D. VARENII
Geographia
Generalis.

KTHCIC
M. Jo. Georgii Ulmeci
Koenigst. Miss.
compositum Vitch
Anno 1715.

Κτῆμα
M. Jo. Georgii Wernei
Koenigsb. Mon
comparatum Vitebs
Anno 1715.

Κτῆμα
M. Jo. Georgii Wernei
Koenigsb. Mis.
comparatum Vitebs.
Anno 1715.

AMSTELODAMI,
Ex Officina Elzeviriana. 1671.

Ad Nobilissimos, Amplissimos, Spectatissimos, & Prudentissimos VIROS,

D. CORNELIUM BICKER à SWIETEN, Dominum in Swieten,

D. NICOLAUM KORVER,

D. ANTONIUM OETGENS à WAVEREN, Equitem, Dominum in Waveren, Boxthol, Ruygewilnis, &c. Fœderatarum Belgii Provinciarum nomine antehac ad Daniæ Regem Legatum,

D. FR. BENNINGIUM KOCK, Equitem, Dominum de Purmerland & Ilpendam, Militiæ Urbicæ Tribunum,

Consules Reipubl. Amstelodam. Sapientissimos.

D. GERHARDUM SCHAEP, J. U. D. Fœderatarum Belgii Provinciarum Senatui Delegatum, & ad Potentissimum Daniæ Regem Exlegatum,

D. WILHELMUM BACKER de CORNELIIS, Equitem S. Marci, in Consessu Deputatorum D. D. Ordinum Hollandiæ Delegatum,

Consulares Reip. Amstelod. & Gymn. Curatores hunc etiam Academiæ Lugd. Batav.

D. PETRUM HASSELAER,

D. CORNELIUM GRAEF, Dominum in Polsbroeck, Curatorem Gymnasii Amstelodamensis,

Consulares & Thesaurarios Reip. Amstel. fidelissimos.

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, SPECTATISSIMI, ET PRUDENTISSIMI CONSULES,

TOta hæc rerum Universitas, quam Mundum appellare consuevimus, à longo jam tempore communi quasi hominum consensu divisa fuit in Tellurem & Cælum. Quæ partitio etsi minus regulis Logicis, & ipsi naturæ conveniens videatur, partim quod essentialem Telluris à cælo differentiam supponit, partim quod exiguam Tellurem toti cælo, hoc est, centrum orbi comparat, tamen ab omnibus fere jam recepta; & tanquam legitima approbata fuit, idque varias ob causas. Plerique ideo Mundum ita dividendum censent, quod tellus sit diversæ admodum à cælestibus corporibus naturæ: illam enim variis mutationibus & corruptionibus obnoxiam esse: hæc vero incorruptibilia sine omni jactura persistere autumant. Deinde aiunt, Tellurem adeo parvam esse si comparetur ad Cælum, ut sit instar puncti vel centri: centrum autem diversam valde naturam habere ab ipso orbe, ac proinde recte Tellurem & Cælum opponi, tanquam diversa & contraria. Cæterum hæ rationes non sunt veritati consentaneæ.

Etenim

Etenim neque excepta ſunt à mutationibus & corruptionibus cæleſtia corpora, ut demonſtrarunt hujus & præcedentis ſeculi Mathematicorum obſervationes: neque Tellurem centrum cœli occupare firmis oſtenſum eſt hactenus argumentis. Quod ſi ob parvitatem opponenda eſſet Cœlo, multo rectius Luna & quædam aliæ ſtellæ, quæ minores ſunt Tellure, eidem opponerentur. Cum itaque hæ rationes falſitatibus laborent, aliæ afferendæ ſunt, propter quas totius hujus Univerſi unam partem Cœlum, alteram eſſe Tellurem dixerint Majores noſtri. Illæ videntur eſſe hæ: Prima, quoniam Tellus eſt generis humani domicilium, ideoque à nobis non minoris æſtimanda eſt quam totum Cœlum. Altera, quia non tantum Tellus eſt domicilium noſtrum, ſed etiam ab illa prima noſtra origo eſt, illa nobis præbet & conſervationis & propagationis adminicula. Tertia, quoniam è Tellure noſtra cœleſtium corporum motus contemplamur. Quarta, quia in Tellurem cœleſtia corpora vires ſuas exerere videntur. Quinta, quoniam Telluris conſtitutio magis nobis cognita eſt, quam cœleſtium corporum. Verum, utcunque ſe iſtæ rationes habeant, id certe ab omnibus prudentibus conceditur, quod cognitio Telluris ſit non tantum homine digniſſima, ſed etiam tam in Republica litera-

ria, quam ad vitæ usum pernecessaria. Non jam dicam de usu quem præstat Historiarum studio, cujus lampades non immerito statuuntur Chronologia & Geographia: non de usu, quem præstat Theologiæ, Physicæ, Politicæ, & aliis disciplinis: illas modo utilitates & commoditates consideremus, quibus mercaturam & rem nauticam, quæ duo Vestræ Reipubl. ærarium, hoc est nervum rerum gerendarum constituunt, adjuvari à Geographia docet & testatur quotidiana in hac urbe experientia. Annon ad mercaturam feliciter & cum fructu, addo etiam jucunde, exercendam plurimum facit, scire regionum, ad quas merces mittendæ, vel è quibus ad hunc vel alia loca deferendæ sunt, situm, distantiam, interjecta maria, iter, vicina loca, infensos vel amicos incolas habentia, & alia, quæ quidem è Mappis Geographicis non sine honesta animi voluptate hauriuntur? Nautæ vero amplissimum imo divinum Geographiæ usum agnoscunt, quando remota maria & furentem Oceanum sulcare suscipiunt freti Mapparum Geographicarum & aliarum regularum, quas ad directionem navis Geographia illis largita est, certitudine. Quæ etsi hodie in hac vestra civitate non tam à Mathematicis, quam ab artificibus lucri causa & nautarum informatoribus, imo ab ipsis nautis fiant & doceantur,

nemo

nemo tamen ideo existimare debet, ab illis, non à Mathematicis profecta hæc esse. Etenim inventio illarum rerum & demonstratio, unde certitudo dependet, multo difficilior fuit & majoris est operæ, quam usurpatio: hanc Mathematici ita facilem reddidere, ut etiam illi, qui Mathematici non essent, capere possent: illam vero, demonstrationem dico, quoniam ex ipsis Mathesis penetralibus, nempe Theoretica Geometria, maxima ex parte petitur, soli Mathematici asservant, quandoquidem majorem postulat ingenii fatigationem, quam homines, qui lucro tantum intenti solam usurpationis & utilitatis cognitionem quærunt, sustinere velint vel possint. Neque hoc tantum in Geographia locum habet, sed etiam in plerisque aliis Scientiis Mathematicis idem perspicue licet videre, inprimis in Arithmetica. Quid ejus usu & exercitio hodie vulgarius, præsertim in hac vestra civitate? quid facilius? quis è mercatoribus, imo mercatorum pueris, non novit promtissime calculum juxta regulas Arithmeticæ instituere, imo etiam alios artem hanc docere? At vero, antequam regulæ, juxta quas praxis instituitur, à Mathematicis essent è penetralibus Arithmeticæ erutæ & demonstratæ, & methodus expedita exercitii monstrata, plane tunc nemo erat qui ista facere posset. Ne-

que si ab illis, qui promtissimi sunt in usu; quæras, cur hoc vel isto modo ad supputationem agendum sit, quicquam rationis vel fundamenti nancisceris, quoniam demonstrationes à Mathematicis tantum & fiunt & asservantur: neque si nova quædam regula pro novo usu invenienda sit, ad alios, quam Mathematicos recurritur. Et eodem modo cum Perspectiva, statica Mechanica, Musica, Arte muniendi, Geodesia & aliis scientiis comparatum esse perquam facile est ostendere: ut inde manifestum sit, quanta beneficia à Mathesi in vitæ humanæ usum, inprimis vestram civitatem, profecta sint. Sed ut ad Geographiam redeam, etsi hæc tantum de Tellure agat, quæ instar puncti est si cum Cælo conferatur, tamen non minus peculiarem partem Mathesis constituit, quam Astronomia, idque propter causas supra allatas. Duplex autem est Geographia: una Generalis, altera Specialis. Illa considerat Tellurem in genere, varias ejus partes & generales affectiones explicans: hæc autem, Specialis scilicet, observans regulas generales recenset singularum regionum situm, divisionem, terminos & alia cognitu digna. Cæterum qui hactenus Geographiam scripserunt, illi de sola fere speciali prolixe egerunt, pauca vero ad Generalem pertinentia explicarunt, plurimis iisque necessariis neglectis & omis-

sis,

ſis, ita ut juvenes ſpecialem addiſcentes fundamenta hujus diſciplinæ maxima ex parte ignorarent & ipſa Geographia vix Scientiæ titulum tueretur. Quod cum animadverterem, ut malo huic remedium facerem, cœpi cogitationes meas ad ſupplendum hunc defectum, hoc eſt, ad ſcribendam Generalem Geographiam convertere, neque à ſuſcepto labore ceſſavi, donec opus abſolutum eſſet, ut nimirum pro mearum virium modulo quem ex diligenti Mathematicarum diſciplinarum per multos annos cultura Deus mihi conceſſit, Reipubl. literariæ atque juventutis ſtudiis inſervirem, vel ſaltem voluntatem inſerviendi probarem. Hunc meum laborem cur vobis, VIRI MAGNIFICI, inſcripſerim & conſecraverim, plurimis inductus ſum rationibus. Prima, quoniam toto terrarum orbe nulla eſt civitas, quæ magis quam hæc Veſtra Geographiæ cognitione & indigeat & utatur propter admirandas in omnes terræ angulos navigationes. Secunda, quia Veſtræ Reipubl. navigationibus non parum crevit Geographiæ ſtudium, multa dubia & incertitudines ſublatæ ſunt. Tertia, quoniam Vos cognovi eſſe omnis eruditionis Fautores & Promotores, ideo nullus dubito, quin Geographicum quoque ſtudium maximi æſtimetis. Quarta, eaque præcipua cauſa eſt, quod hoc meum opus in Veſtra Ur-

be & confectum & in lucem editum fuit. Non itaque ſub alterius Patroni favore, quam Veſtro, in lucem prodire debuit. Etenim cum Patria mea variis prius belli injuriis afflicta tandem in favillas & cineres tota redacta eſſet, bono quodam fato vel potius Dei Opt. Max. providentia in Veſtram civitatem me contuli, ubi commodam nactus ſum ſcribendi occaſionem de iis rebus, quas in alio loco agens vix potuiſſem abſolvere, quandoquidem non pauca ab aliis Scriptoribus vel omiſſa vel perperam tradita de Terræ & Oceani partium conditione, ſitu, ventis, & populorum moribus exquirenda fuerunt à nautis vel aliis, qui in regionibus iſtis commorati fuerant. Multa in hoc libro loca id teſtantur: idem manifeſtum eſt ex commentariis, quos præcedenti anno de Japoniæ regno, religione, ut & diverſa gentium religione edidi: & magis id perſpicuum evadet, ſi favore Veſtro & liberalitate ſtudia mea juvabitis, ut perficere liceat, quæ inter alias meas meditationes de naturalibus obſervationibus in variis Telluris partibus, quæ de cibo & potu diverſorum populorum, quæ de cibi & potus eſſentia & materia, item de diverſa diverſarum gentium medicina, & quæ de medicamentis paratu facilibus atque aliis rebus commentari incepi. Laus veſtra eſt, PROCERES, quod induſtrios & labore ſuo Rei-

Reipublicæ inſervire cupientes atque hoc ipſo opere demonſtrantes libenter foveatis, alatis & promovere ſtudeatis: date & mihi, cujus conatus adverſa fortuna Marte & Vulcano impedire ſatagit, ut veſtram liberalitatem laudare, Vobiſque eorum, quæ publico bono edere ſtudeo, promotionem aſſcribere poſſim, quo tota Reſpubl. literaria intelligat, quantum Veſtræ Prudentiæ debeatur. Quod ſi feceritis, operam dabo ut intelligatis, non in hominem ignavum & Veſtra liberalitate atque favore abutentem beneficium Vos contuliſſe. Deus Vos, veſtramque Rempubl. diu incolumem ſervet. Valete. Ex meo muſeo Calendis Auguſti, Anno CIↃ IↃ CL.

Væ Magfæ, Ampliſ. & Prudæ,

Obſervantiſſimus

BERNHARDUS VARENIUS,
Med. D.

CONTENTA
SINGULORUM CAPITUM, ET PROPOSITIONUM INDEX.

CAPUT I.

CAPUT II.

CA-

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

2. *Terra*

CAPUT IX.

28. Se-

CAPUT XV.

CAPUT XVI.

CAPUT XVII.

17. Fon-

CAPUT XVIII.

CA-

CAPUT XIX.

22. Pro-

C A-

CAPUT XX.

De motu aëris & Ventis in genere; de plagis.

CAPUT XXI.

De Ventis in specie, & de Tempestatibus. P. 383

GE-

GENERALIS GEOGRAPHIÆ.

LIBER II.

De Affectionibus Telluris cælestibus.

CAPUT XXII.

CAPUT XXIII.

CAPUT XXIV.

C A-

CAPUT XXV.

CAPUT XXVI.

C A-

CAPUT XXVII.

De Umbris & denominatione locorum inde orta.

CAPUT XXVIII.

C A-

CAPUT XXIX.

CAPUT XXX.

LIBER TERTIUS.

Pars Comparativa terrestris.

CAPUT XXXI.

1. *Quælibet loca possunt assumi pro initio numerationis longitudinu locorum.*
2. *Primum meridianum determinare in globo Telluris.*
3. *Datâ loci latitudine & longitudine, exhibere illum locum in Globo & Mappis.*
4. *Omnes Stellæ removentur à meridiano quolibet quindecim gradibus in una hora.*
5. *Datis ad unum idemque temporis momentum horis duorum locorum, invenire unius loci longitudinem ab altero.*
6. *Datis eisdem & uno loco in Globo vel Mappis dato, exhibere alterius loci meridianum in Globo & Mappis, sive meridianum, in cujus uno puncto alterum hunc locum jacere certum est.*
7. *Invenire loci longitudinem, in quo versamur, modi sex.*
8. *Alii modi inveniendæ longitudinis, minus proprie ita dicti, quinque.*
9. *Tabula longitudinis & latitudinis locorum celebrium.*

CAPUT XXXII.

1. *Dato loco Telluris, reliquorum locorum situm ad eum expendere, & invenire.*
2. *Dato loco in Tellure, exhibere in Globo omnia illa loca, quæ ad locum illum sita sunt in plaga data.*

3. Dato

CAPUT XXXIII.

situs

CAPUT XXXVII.

CAPUT XXXVIII.

CAPUT XXXIX.

tempore dirigatur in unam plagam, & quanam via inter duo loca sit commodissima ad navigationem.

5. *In navigationibus, quibus navis dirigitur versus Septentrionem vel Austrum, via navis est portio Meridiani illorum locorum.*

6. *Si navigatio instituatur à loco aliquo in Æquatore sito, ita ut navis dirigatur versus Orientem vel Occidentem, erit via navis portio ipsius Æquatoris.*

7. *Si navigatio ab aliquo extra Æquatorem sito instituatur, ita ut navis dirigatur versus Orientem vel Occidentem (plagas cardinales), erit via navis peripheria paralleli loci, à quo navigatur.*

8. *Si navigatio à quovis Telluris loco instituatur, ita ut navis dirigatur in plagam non cardinalem, erit via navis non circularis sive peripheria circuli, sed linea curva solida, helicis modo Tellurem infinitis gyris atque flexibus circa polos ambiens.*

9. *Non pervenitur ab uno loco in alterum (nisi in uno meridiano vel ambo in Æquatore fuerint), si navis dirigatur in plagam, in qua alter locus à primo situs est.*

10. *Quando navis in eandem, quando in alias plagas dirigenda sit, quam situs loci unius ad alterum habet.*

11. *Loxodromiarum sive rhomborum numerus.*

12. *Loxodromiæ magnitudo.*

13. *Partes Loxodromiæ inter æquidistantes parallelos sunt æquales.*

14. *Datis duobus locis Telluris, invenire Loxodromiam sive rhombum, quæ via navis erit, si ab uno ad alterum sit navigandum, & plagam, in quam navis dirigenda.*

CAPUT XL.

GEO-

GEOGRAPHIÆ GENERALIS PARS ABSOLUTA.

SECTIO PRIMA.

DE PRÆCOGNITIS GEOGRAPHIÆ.

CAPUT I.

De Geographiæ Definitione, Divisione, Methodo & aliis Prolegomenis.

DUdum invaluit consuetudo, ut illi qui scientiam aliquam aut disciplinam integre pertractant, de hujus doctrinæ conditionibus atque methodo & constitutione aliisque proprietatibus quædam præmittant. Neque hoc sine ratione, modo absque obreptione Sophistica fiat, existimo fieri, cum per talem informationem Lectorum intellectus Ideam quandam totius disciplinæ vel saltem argumentum alius concipiat, & quomodo versari debeat in hac disciplina, cognoscat. Nos itaque primo hoc capite de Geographiæ Constitutione, & natura, pauca præfabimur.

Definitio.

Geographia dicitur scientia Mathematica mixta, quæ Telluris, partiumque illius affectiones à quantitate dependentes, nempe figuram, locum, magnitudinem, motum, cælestes apparentias, atque alias proprietates affines docet.

A quibusdam nimis strictè sumitur pro sola regionum Telluris descriptione & distributione. Ab

aliis contra nimis late extenditur, qui descriptionem politicam singularum regionum adjungunt. Sed hi facile excusantur, cum illud faciant ad retinendos & excitandos lectorum animos, qui nuda regionum enumeratione & descriptione sine morum gentis explicatione somnolenti plerunque redduntur.

Divisio.

Dividimus Geographiam in Generalem & Specialem, sive Universalem & Particularem (Golnitzius explicationem Geographiæ ait duplicem esse, Exteriorem & Interiorem, sed impropria & Catachristica est hæc appellatio, & sine ratione assumta, cum termini, Generalis & Specialis, sint aptiores). Generalis sive universalis Geographia dicitur, quæ Tellurem in genere considerat, atque affectiones explicat, non habita particularium regionum ratione. Specialis sive Particularis dicitur, quæ singularum regionum Telluris constitutionem docet: estque duplex, Chorographia & Topographia. Chorographia regionis alicujus, magnitudinem saltem mediocrem habentis, descriptionem proponit. Topographia parvum aliquem Telluris tractum seu locum describit.

Nos hoc libro Generalem Geographiam exhibebimus, quam in tres partes distribuendam esse existimavimus, quæ sunt *Pars Absoluta*, *Pars Respectiva*, *Pars Comparativa*. In Parte absoluta contemplabimur corpus ipsum Telluris & partes ejus atque affectiones ejus proprias, ut figuram, magnitudinem, motum, terras, maria, fluvios, &c. In Parte Respectiva illas affectiones atque accidentia considerabimus, quæ Telluri à cælestibus causis accidunt. Pars denique Comparativa continebit illarum proprietatum explicationem, quæ ex diversorum locorum Telluris comparatione existunt.

Obje-

Objectum.

Objectum Geographiæ, sive subjectum circa quod, est Tellus, inprimis superficies ejus & partes.

Affectiones.

Triplicis generis esse videntur illa, quæ in singulis regionibus considerari merentur, ac proinde in Speciali Geographia ad singulas regiones explicari possunt cum fructu discentium & Lectorum, nempe *Terrestria*, *Cælestia*, *& Humana*. Cælestes affectiones voco illas, quæ ex apparenti solis & stellarum motu dependent, & octo esse videntur. Primo, *Elevatio poli*, *distantia loci ab Æquatore & à polo*. Secundo, *Obliquitas motus diurni stellarum supra Horizontem illius loci*. Tertio, *Quantitas diei longissimi ac brevissimi*. Quarto, *Clima & Zona*. Quinto, *Calor*, *frigus atque anni tempestates: item pluvia*, *nix*, *venti & alia meteora*. Etsi enim hæc ad terrestres proprietates possint referri, tamen quoniam cum quatuor anni temporibus & Solis motu magnam habent connexionem, ideo ad cælestium classem retulimus ea. Sexto, *stellarum ortus*, *apparentia*, *& mora supra Horizontem*. Septimo, *stella per verticem loci transeuntes*. Octavo, *quantitas vel celeritas motus*, quos juxta Copernicanam hypothesin singulis horis locus quilibet rotatur. Juxta Astrologos *nona affectio* addi posset, quoniam illi singulis regionibus præficiunt unum ex duodecim Zodiaci signis atque hujus signi planetam. Sed mihi vana hæc doctrina semper visa fuit, neque ullum ejus doctrinæ fundamentum perspicio: in fine tamen Specialis Geographiæ recensebimus eorum hanc distributionem.

Hæc de cælestium affectionum classe. *Terrestres* voco, quæ in ipsius regionis loco considerantur, quarum numero decem. Primo, *Limites & circumscri-*

cum scriptionem. Secundo, *Figuram.* Tertio, *Magnitudinem.* Quarto, *Montes.* Quinto, *Aquas, nempe fluvios, fontes, sinus maris.* Sexto, *Sylvas & deserta.* Septimo, *Fertilitatem & sterilitatem, item fructuum genera.* Octavo, *Mineralia, sive fossilia.* Nono, *Animalia.* Decimo, *Longitudinem loci* quæ primæ terrestri proprietati nempe circumscriptioni adjungi potest.

Tertium affectionum, quæ in singulis regionibus spectari merentur, genus facio *Humanas*, quæ ab hominibus sive incolis regionum dependent, quarum etiam decem circiter constitui possunt. Primo, *Incolarum statura, conformatio, color, vitæ diuturnitas, origo, cibus, potus.* Secundo, *Quæstus & Artes, quibus occupantur incolæ, mercatura & merces, quas mittit illa regio in alias.* Tertio, *Virtutes, vitia, eruditio, ingenium, scholæ*, &c. Quarto, *Consuetudines circa puerperia, nuptias, funera.* Quinto, *Sermo seu lingua, qua utuntur incolæ.* Sexto, *Regimen politicum.* Septimo, *Religio & status Ecclesiasticæ rei.* Octavo, *Urbes & loca celebriora.* Nono, *Historiæ memorabiles.* Decimo, *Viri illustres, artifices & inventa à singularum regionum incolis.*

Hæc sunt tria affectionum genera in Speciali Geographia explicanda, etsi illæ, quæ tertiam classem faciunt, minus recte ad Geographiam referantur: Sed dandum est aliquid consuetudini & utilitati discentium. Nos præter illa adjungemus Speciali Geographiæ multa capita de Usu Geographiæ.

In Generali vero Geographia, quam hoc libro explicabimus, considerantur primo affectiones absolutæ Telluris, & partium constitutio. Deinde cælestes proprietates in genere contemplabimur, quæ deinde in Speciali Geographia ad singulas regiones applicanda sunt. Denique in Parte comparativa ea proponentur, quæ in unius loci cum alio comparatione offeruntur.

Prin-

Principia.

Triplicia sunt principia, quibus Geographia utitur ad confirmandam Propositionum veritatem. Primo, Geometricæ, Arithmeticæ atque Trigonometricæ propositiones. Secundo Astronomica præcepta & theoremata, etsi miraculo simile videatur, quod ad Telluris, in qua habitamus, naturam cognoscendam uti debeamus cælestibus corporibus, quæ tot myriadibus milliarium à nobis remota sunt. Tertio, Experientia. Etenim maxima Geographiæ pars, inprimis specialis, sola experientia & observatione hominum nititur, qui regiones singulas descripserunt.

Ordo.

De Ordine, quem in disciplina hac Geographica observare commodum esse existimo, dictum est in Divisione & Affectionum explicatione. Occurrit tamen quædam difficultas de ordine in affectionum harum explicatione observando, nimirum, utrum singulis regionibus suas affectiones, an vero affectionibus generaliter explicatis ipsæ regiones attribuendæ sint? Aristoteles, libr. 1 Histor. Animal. ut etiam libr. 1 de part. Anim. similem movet dubitationem, & multis disputat: utrum ad singulas animalium species enumerandæ sint proprietates eorum, an vero proprietates hæ generaliter explicandæ, & animalia, in quibus ea reperiantur, subjungenda. Similis difficultas in aliis Philosophiæ partibus occurrit. Nos in Generali Geographia, quasdam affectiones generaliter explicavimus, quas in speciali Geographia ad singularum regionum explicationem accommodabimus.

Methodus.

De Methodo, hoc eſt, Modo probandi dogmatum Geographicorum veritatem, ſciendum eſt, quod in Generali Geographia plurima proprie dictis Demonſtrationibus confirmentur, inprimis cæleſtes affectiones: in Speciali autem Geographia omnia fere ſine Demonſtratione explicantur (exceptis cæleſtibus affectionibus, quæ demonſtrari poſſunt) quo experientia & obſervatio, hoc eſt ſenſuum teſtimonium illa confirmat, neque poſſunt alio modo probari. Etenim ſcientia tripliciter ſumitur. Primo, pro qualicunque cognitione, etiamſi ex probabilibus tantum ſit. Secundo, pro cognitione certa, ſive hæc certitudo à Demonſtrationum robore, ſive à ſenſuum teſtimonio dependeat. Tertio, pro ſola cognitione per Demonſtrationem: quæ uſurpatio ſtrictiſſima eſt, convenitque Geometriæ, Arithmeticæ, reliquiſque Scientiis Mathematicis, excepta Chronologia, Aſtrologia & Geographia, quibus Scientiæ vocabulum in ſecunda ſignificatione competit.

Probantur etiam vel oſtenduntur potius plurimæ propoſitiones per Globum terreſtrem artificialem, per mappas quoque Geographicas: atque harum propoſitionem, quæ ita oſtenduntur, quædam poſſunt legitimis Demonſtrationibus confirmari (quod tamen propter captum Lectorum omittitur) aliæ nequaquam ita probari poſſunt, ſed ideo recipiuntur, quia ſupponimus, omnia loca in globo & mappis ita eſſe diſpoſita, ut in ipſa Tellure jacent. In hiſce tamen Deſcriptiones potius ab autoribus Geographis confectas ſequimur: globus & mappæ ad illuſtrationem & faciliorem comprehenſionem inſerviunt.

Origo Geographiæ.

Origo Geographiæ nova non est, neque uno partu in lucem edita est, neque ab uno homine profecta: sed dudum ante multa secula ejus primordia jacta sunt, etsi antiqui Geographi tantum in describendis regionibus, hoc est, Chorographia & Topographia occupati fuerunt. Romani solebant, devicta & subjugata aliqua provincia, hujus Chorographiam in Tabula expressam & claris signis illuminatam monstrare in triumpho spectatoribus. Erant præterea Romæ in porticu Luculli multæ Geographicæ Tabulæ omnium contemplationi expositæ. Senatus Romanus anno ante natum Christum centesimo circiter, miserat Geodætas & Geographos in diversas mundi plagas, ut totam Tellurem dimetirentur, sed vix vigesimam partem perlustrarunt. Neco Ægyptiorum Rex, multis ante Christum natum seculis per Phœnices universum Africæ externum latus integro triennio explorare jussit. Darius Indi ostia & mare Æthiopicum Orientale scrutari mandavit. Alexander Magnus in expeditione sua Asiatica duxit secum duos itinerum mensores & descriptores, Diognetum & Betonem, teste Plinio, ex quorum annotationibus & Itinerariis Geographi sequentium seculorum multa desumserunt. Etenim cum omnium fere aliarum artium studium à bellis afficiatur damno, sola fere Geographia ab illis crescit una cum Fortificatoria, quam vocant.

Cæterum valde manca, imperfecta, & falsitatibus plurimis scatens Geographia veterum erat, quoniam ignorabant has, quæ non infimæ sed præcipuæ sunt cognitionis, Telluris partes, (vel saltem non habebant certam de iis experientiam) 1. Totam Americam. 2. Terras Septentrionales. 3. Terram Australem & Magellanicam. 4. Ter-

tam circum navigari posse & Oceanum continuo tractu ambire Tellurem (quosdam tamen ex antiquis in hac opinione fuisse non nego, at illud certo scivisse, id nego). 5. Zonam Torridam habitabilem esse & ab infinitis populis habitari. 6. Telluris dimensionem veram, etsi multa in hoc negotio scripserint. 7. Africam posse circumnavigari, & australem Africæ partem. 8. Regionum remotarum veris Descriptionibus carebant tam Græci quam Romani, atque innumera falsa & fabulosa de populis in Asiæ termino atque Septentrionalibus locis scripta reliquerunt. 9. Motum maris sive fluxus diversitates & generalem illum fluxum ignorabant. 10. Imo Græci atque ipse Aristoteles Fluxum & Refluxum maris non habuerunt cognitum. 11. Ventorum diversitates paucas habebant perspectas, generalis omnino illis incognitus. 12. Magnetis insignis proprietas, qua Septentrionem & Austrum monstrat, ipsis occulta fuit, etsi alteram illam, qua ferrum trahit, cognoverint. Anaximander autem, qui vixit anno ante Christum, cccc circiter, primus scribitur tentasse Telluris dimensionem.

Geographiæ Præstantia.

Commendat studium Geographicum, 1. Dignitas, quia hominem Telluris incolam & ratione præ aliis animalibus præditum maxime decet. 2. Jucundum quoque est & quidem honesta recreatio contemplari Telluris regiones & proprietates. 3. Insignis utilitas & necessitas, cum neque Theologi, neque Medici, neque Jurisconsulti, neque Historici neque Literatores alii carere possint Geographiæ cognitione, si absque remora progredi voluerint in suis studiis. Hæc ab aliis satis ostensa sunt & multis exemplis illustrari possunt.

Sub-

SPECIALIS GEOGRAPHIA considerat in singulis regionibus triplicia.

- Terrestria decem.
  - 1. Limites & Circumscriptionem.
  - 2. Longitudinem loci & situm.
  - 3. Figuram.
  - 4. Magnitudinem.
  - 5. Montes, { eorum appellatio & situs, altitudo, proprietas & contenta.
  - 6. Fodinas.
  - 7. Sylvas & deserta.
  - 8. Aquas { Mare, lacus, paludes, Fluvii. Horum fontes, ostium, tractus, latitudo, aquæ copia, celeritas, aquæ qualitas, cataractæ, &c.
  - 9. Fertilitatem, vel sterilitatem, & fructus.
  - 10. Animalia.
- Cælestia octo.
  - 1. Distantiam loci ab Æquatore & Polo.
  - 2. Obliquitatem motus supra Horizontem.
  - 3. Quantitatem dierum.
  - 4. Clima & Zonam.
  - 5. Calorem, atque anni tempestates, ventos, pluvias & alia meteora.
  - 6. Stellarum ortum & moram supra Horizontem.
  - 7. Stellas per verticem loci transeuntes.
  - 8. Quantitatem vel celeritatem motus juxta Copernicanam hypothesin.
- Humana decem.
  - 1. Incolarum statura, vita, cibus, & potus, origo, &c.
  - 2. Quæstus & artes, mercatura, merces.
  - 3. Virtutes & vitia, ingenium, eruditio, &c.
  - 4. Consuetudines circa puerperia, nuptias, funera.
  - 5. Sermo & lingua.
  - 6. Regimen Politicum.
  - 7. Religio & status rei Ecclesiasticæ.
  - 8. Urbes.
  - 9. Historiæ memorabiles.
  - 10. Viri illustres vel fœminæ, artifices, inventa.

- GENERALIS GEOGRAPHIA in tres Partes in hoc libro divisa est, quæ sunt
  - PARS ABSOLUTA divisa in Sectiones sex.
    - SECTIO PRIMA, de præcognitis capita duo.
      - Cap. I. De Prolegomenis.
      - Cap. II. De quibusdam necessariis ex Geometria.
    - SECTIO SECUNDA, affectiones totius Telluris explicat capitibus V.
      - Cap. III. De Telluris Figura.
      - Cap. IV. De ejus dimensione & magnitudine.
      - Cap. V. De ejus motu.
      - Cap. VI. De ejus loco in Systemate Mundi.
      - Cap. VII. De ejus substantia & materia.
    - SECTIO TERTIA, in qua Terræ Constitutio & partes explicantur capitibus quatuor.
      - Cap. VIII. De divisione Terræ per Aquas.
      - Cap. IX. De Montibus in genere.
      - Cap. X. De Montium differentiis.
      - Cap. XI. De Sylvis, desertis, & fodinis.
    - SECTIO QUARTA, HYDROGRAPHIA, in qua Aquarum constitutio & proprietates explicantur capitibus VI.
      - Cap. XII. De Divisione Aquarum.
      - Cap. XIII. De Oceano & Mari.
      - Cap. XIV. De motibus maris, inprimis de Fluxu & Refluxu.
      - Cap. XV. De Fluviis.
      - Cap. XVI. De Lacubus, stagnis & paludibus.
      - Cap. XVII. De aquis mineralibus.
    - SECTIO QUINTA
      - Cap. XVIII. De mutatione locorum aridorum in Aquosa; & contra.
    - SECTIO SEXTA, de Atmosphæra.
      - Cap. XIX. De Atmosphæra & Aëre.
      - Cap. XX. De Ventis in genere.
      - Cap. XXI. De Ventorum differentiis & in specie.
  - PARS RESPECTIVA explicans affectiones cælestes capitibus IX.
    - Cap. XXII. De affectionibus cælestibus in genere.
    - Cap. XXIII. De latitudine loci & elevatione poli.
    - Cap. XXIV. De Divisione Telluris in Zonas.
    - Cap. XXV. De longitudine dierum & divisione Telluris in Climata.
    - Cap. XXVI. De luce, calore, & tempestatibus anni.
    - Cap. XXVII. De Umbris, & divisione incolarum respectu umbrarum.
    - Cap. XXVIII. De comparatione Affectionum cælestium in diversis locis, ubi de Antœcis, Periœcis & Antipodibus.
    - Cap. XXIX. De Diversitate Temporis in diversis locis.
    - Cap. XXX. De diverso ortu Solis, Lunæ, &c. atque aliis apparentiis.
  - PARS COMPARATIVA, affectiones illas considerans, quæ ex comparatione unius loci ad alium oriuntur.
    - Cap. XXXI. De longitudine locorum.
    - Cap. XXXII. De situ locorum ad invicem.
    - Cap. XXXIII. De distantia locorum mutua.
    - Cap. XXXIV. De Horizonte visibili.
    - Cap. XXXV. De arte Nautica in genere & navium structura.
    - Cap. XXXVI. De onere navibus imponendo.
    - Cap. XXXVII. De Directoria artis Nauticæ Parte prima, Cognitio intervalli.
    - Cap. XXXVIII. Secunda parte, Cognitio plagarum.
    - Cap. XXXIX. Tertia pars de Histiodromia, sive via navis.
    - Cap. XL. Quarta pars de loco navis in itinere.

Subj
tenta h
te oculo
graphia
observa

Quæda
qu

SApie
voca
lum evo
affectio
nus nec
dicio &
velit. I
ta; quan
phiæ stu
callent,
cessaria
felicius
neutiqu
nem, q
metria S
plinas ar
proribus
ignoran
nent de
ticis præ
tuor Nu
Subtract
præterea
que de h
plerique
cti, & si

Subjungo hic Tabulas duas, quarum prior Contenta hujus libri nempe Geographiæ Generalis ante oculos ponit: altera ordinem in Speciali Geographia ad singularum regionum explicationem observandum.

Caput II.

Quædam ex Geometria & Trigonometria, quæ studiosos Geographiæ scire oportet.

SApienter Plato Geometriam & Arithmeticam vocavit alas, quibus hominum mentes in cœlum evolarent, hoc est, solis stellarumque motus & affectiones scrutarentur. In Geographia non minus necessariæ sunt eæ disciplinæ, si quis cum judicio & absque impedimento eam apprehendere velit. Interim paucioribus Geographia est contenta; quam Astronomia. Et quoniam multi Geographiæ studio capiuntur, qui disciplinas illas non callent, nos pauca hic afferemus ex illis, quæ necessaria esse putamus Geographiæ studioso, ut eo felicius & promtius in hac disciplina versetur: etsi neutiquam probemus pravam illam consuetudinem, qua adolescentes nondum delibata Geometria & Arithmetica ad alias Philosophiæ disciplinas animum applicant: sed causa est in Præceptoribus & Professoribus, quorum plerique ipsi ignorant has scientias, & ideo juvenes non monent de hac erronea consuetudine. Ex Arithmeticis præsupponimus in Lectore cognitionem quatuor Numerationis specierum, nempe Additionis, Subtractionis, Multiplicationis, Divisionis, & præterea Regulæ auteæ sive Regulæ De-tri. Neque de his loquemur in præsentia, quandoquidem plerique adolescentes ea cognitione sunt instructi, & si qui ignorent, viva Præceptoris voce po-

tius, quam ex libro addiscant. sed *Geometrica afferemus.*

1. Geometria tres agnoscit magnitudinum species, quibus omnia dimetitur, nempe Lineas, Superficies & Corpora seu Solida: neque datur quartum in Natura.

2. Linea alia est Recta, alia Curva. Et curva alia uniformis seu circularis, alia difformis seu dissimilaris, ut lineæ ovales, conchoides, helices, &c.

3. Circulus dicitur spatium seu superficies plana, & figura, curva linea inclusa, in quo spatio punctum aliquod est, à quo ductæ rectæ ad curvam illam terminantem omnes sunt æquales. Et curva illa terminans spatium dicitur linea circularis seu peripheria circuli. Punctum illud medium dicitur centrum circuli.

4. Diameter circuli dicitur linea recta per centrum ducta ad peripheriam ex utraque parte. Semidiameter, quæ ex centro ad peripheriam ducitur.

5. Arcus dicitur pars peripheriæ circuli. Quadrans dicitur quarta totius peripheriæ pars. Complementum arcus alicujus dicitur, arcus, quo a quadrante differt vel deficit: Excessus, quo excedit.

PROBLEMATA.

6. *Data linea recta, & puncto in ea vel extra eam ducere ex illo puncto lineam perpendicularem.* Sit data A B, punctum C. Sumatur quodvis circini intervallum, & posito pede uno circini in C, altero pede secetur linea in d, & f. Tunc centro d. describatur arcus supra partem d f: item centro f, alius arcus priorem secans in g, & h, & ducatur g h, hæc erit perpendicularis.

7. *Circulum & peripheriam in quatuor partes secare.* Ducatur una diameter, & ex centro excitetur

tur ſupra illam perpendicularis : Erit hæc quoque diameter, & ſecta erit peripheria cum circulo in quatuor æquales partes ſeu quadrantes.

8. *Peripheriam circuli in gradus dividere.* Dicitur autem gradus pars trecenteſima ſexageſima peripheriæ. Etenim Mathematici peripheriam in trecentas & ſexaginta (360) partes ſecant : & gradum in ſexaginta minuta prima ; minutum primum in ſexaginta ſecunda. Signum gradus eſt ſupraſcriptum gr. minuti primi pr. minuti ſecundi ſec. : nempe ita : 3 gr. 2 min. 5 ſec. Hac ratione efficitur, ut quadrans habeat 90 gradus ; ſemiperipheria, 180. ſexta pars ſit 60.

Ad abſolvendum itaque Problema aſſumto prius quadrante circuli, ſumatur intervallo circini, ſemidiameter circuli, & hoc intervallo auferatur arcus à peripheria. Hic arcus erit ſexaginta graduum, & reſtabunt in quadrante triginta gradus, quibus biſſectis, habebis quindecim gradus, & hiſce mechanice triſſectis, habebis quinque gradus, qui iterum mechanice in quinque partes ſunt ſecandi, quæ erunt ipſi gradus. Cæterum ope inſtrumentorum hæc promtius & perfectius abſolvuntur.

9. *Quadranguli rectanguli aream ſeu ſpatium contentum invenire, datis duobus lateribus quadranguli.* Multiplicetur unum latus in alterum : Productum indicabit areæ quantitatem. Sciendum autem lineas menſurari lineis, ſuperficies ſeu ſpatia menſurari menſuris, quæ ſint ſuperficies & quidem quadratæ; corpora denique & ſolida menſurari menſuris, quæ ſint corpora & ſolida Cubica. Ita latera domus menſuramur pedibus lineis, aream domus ſeu pavimentum metimur pedibus quadratis : capacitatem domus ſeu ſoliditatem explicamus pedibus Cubicis.

10. *Data ſemidiametro circuli vel diametro,*

invenire in eadem mensura peripheriam circuli, & contra, *Data peripheria invenire diametrum, & quidem quam proxime.* Problematis solutio dependet ex proportione diametri ad peripheriam quæ juxta Archimedis Demonstrationem, fere est ut 7 ad 22, vel accuratius, ut 10000000000 ad 31415926535. Detur itaque diameter 12 pedum. Fiat per regulam auream, ut 7 ad 22, ita 12 ad peripheriam circuli istius. Vel ut 10000000000 ad 31415926535, ita 12 ad eandem peripheriam.

Contra, si detur peripheria, quæratur autem diameter, Fiat ut 22 ad 7 vel ut 31415926535 ad 10000000000, ita data peripheria ad quæsitam diametrum.

11. *Data peripheria circuli in pedibus vel milliaribus & diametro: Vel etiam data sola peripheria vel sola diametro, invenire aream circuli in pedibus vel milliaribus quadratis.* Juxta primum datum, multiplicetur data peripheria in quartam diametri partem, vel semiperipheria in semidiametrum: quod producitur, erit area quæsita. Juxta secundum datum præstat prius invenire semidiametrum vel semiperipheriam, ex præcedenti Problemate, etsi sine hoc absolvi posset.

12. *Data semidiametro vel diametro globi alicujus, invenire illius superficiem in quadrata mensura & soliditatem in cubica mensura.* Globus dicitur corpus rotundum seu solidum, in cujus medio aliquod punctum est, ex quo omnes rectæ ductæ ad superficiem sunt æquales. Et punctum hoc dicitur globi centrum. Linea per centrum ducta dicitur diameter: Et axis, si globus circa eam diametrum volvatur, seu rotetur. Porro si globus undique secetur, sectio est circulus. Et si per centrum secetur seu planum duci cogitemus, erit sectio Circulus, cujus eadem diameter est, quæ ipsius globi. Et tales circuli dicuntur circuli sphæræ seu

glob

globi Majores: reliqui circuli sphæræ Minores dicuntur.

Ad problematis itaque solutionem, ex data diametro inveniatur primo peripheria circuli majoris. Deinde multiplicetur diameter in hanc peripheriam, producetur superficies globi in quadrata mensura.

Porro hæc superficies multiplicetur per sextam diametri partem. Quod producitur, erit soliditas globi in cubica mensura.

13. *Triangulum rectangulum dicitur, cujus unum latus alteri perpendiculariter insistit*, sive angulum rectum 90 graduum cum eo facit. Latera hæc duo dicuntur catheti, tertium latus hypotenusa.

Angulorum mensura est arcus, qui describitur centro assumto vertice illius anguli: Nimirum quot graduum est arcus ille inter crura anguli interceptus, tot graduum dicitur esse ille angulus. Ita angulus rectus dicitur esse nonaginta graduum, quia arcus ita descriptus semper est quadrans peripheriæ circuli.

Sinus alicujus arcus dicitur recta, quæ ex uno arcus termino ducitur perpendicularis in diametrum ductam per alterum arcus terminum.

Tangens illius arcus dicitur recta tangens arcum in uno termino, & terminata recta, quæ ex centro per alterum arcus terminum ducitur. Hæc vero ita ducta dicitur, *secans* illius arcus.

Sinus vero anguli dicitur sinus arcus illius, qui metitur illum angulum: Ita Tangens anguli, & Secans.

Porro sciendum est, opera & studio Mathematicorum Tabulas esse confectas, in quibus assumta semidiametro 100000 (vel plurium cyphrarum) reperiuntur sinus & tangentes & secantes omnium arcuum peripheriæ, ex. gr. 2 gr. 10 gr.

20 gr. 33 min. &c. Et hæ Tabulæ dicuntur *Canon Mathematicus*, habentque infinitas utilitates omnibus Mathematicis & Physicis Scientiis. Ideo Geographiæ studiosos pauca hæc de illis dicere volui. Usus autem ejus præcipuus est in Triangulorum mensura tam Sphæricorum, quam planorum. Sed quia sphæricorum mensura aliquam difficultatem habet, quæ illis tantum videtur necessaria qui profundius immergere se huic disciplinæ cupiunt, ideo de planis Triangulis rectangulis solum dicemus, quorum dimensionem facile capere quilibet potest & debet.

DUO THEOREMATA,

Quorum frequens usus in Geographia.

14. *Cujusvis Trianguli tres anguli simul sumti sunt æquales duobus rectis angulis sive* 180 gr. & ideo duo acuti in Triangulo rectangulo faciunt 90 gr. Præterea, *si linea recta tangat circularem, & ex puncto contactus ducatur recta ad centrum circuli: hæc faciet angulum rectum cum linea Tangente.*

15. Problemata vero, quorum usus frequens est, sunt hæc.

16. I. *Data Trianguli rectanguli hypotenusa & una catheto, invenire angulum contentum vel alterum acutum.* Ad cujus inventionem fiat juxta Regulam auream, ut hypotenusa data ad datam cathetum, ita sinus totus 100000 (qui numerus est semidiameter in Tabulis sinuum assumtus) ad sinum anguli alterius. Hic sinus in Canone quæsitus monstrabit arcum seu quantitatem anguli, qui adjacet hypotenusæ. Angulus vero contentus est inventi anguli complementum ad 90 gr. Itaque si inventum angulum subtrahas à 90 gr. relinquitur angulus quæsitus.

II. *Data catheto & angulo acuto adjacente, invenire*

venire hypotenusam. Fiat juxta regulam auream, Ut Sinus complementi dati anguli ad 100000 (vel 1000000 in majori Canone) ita data cathetus ad quæsitam hypotenusam.

17. III. *Datis duabus cathetis, invenire angulum alterutri catheto adjacentem.* Fiat, ut una cathetus ad alteram, ita sinus totus 100000 ad Tangentem anguli, qui adjacet primo assumtæ catheto.

18. IV. *Data hypotenusa & uno angulo acuto, invenire alterutram cathetum.* Fiat, ut sinus totus 100000 ad sinum anguli, qui opponitur quæsitæ catheto, ita data hypotenusa ad cathetum illam.

De variis mensuris.

A Quoniam in Geographia frequentissimus est mensurarum usus, & vero diversi populi diversis utuntur mensuris, ideo de illis quædam monenda sunt partim ad Veterum Geographorum & Historicorum scripta bene intelligenda, partim propter hodiernam diversarum mensurarum comparationem cognoscendam.

Famosa mensura est *pedu longitudo*, sed apud diversos populos diversa. Usitatus jam Mathematicis est pes Rhinlandicus Snellii, quem hic antiquo Romano æqualem esse probat. Et quoniam Snellius diligentissimus & accuratissimus fuit in terræ dimensione, ideo merito pes ille Rhinlandicus assumitur pro regula omnium mensurarum. Ejus quarta pars est in margine apposita AB.

Decempeda continet tales pedes decem. Dicitur & pertica. Sed hodie Geodætæ perticam Rhinlandicam faciunt duodecim pedum Rhinlandicorum vel etiam sedecim in Germania: quod valde incommodum est in calculo vel supputatione; *Milliare Hollandicum* idem Snellius

lius facit perticarum Rhinlandicarum (12 p dum singulæ) 1500 sive pedum Rhinlandi rum (cujus quadratum apposuimus hic in ma gine) 18000.

Atque hæ duæ mensuræ, pertica & milli oriuntur ex pedum multiplicatione seu agg B gatione. Mensuræ vero ex pedis divisione in digitus, palmus, granum. Digitus est duodecim pedis pars. Palmus continet digitos quatuor. Gra num est quarta digiti: sed harum infrequens e usus. Præstat pedem in decem digitos, digitum decem grana dividere.

Atque hæ mensuræ sufficiunt hodierno usui Geographia: sed aliæ addendæ sunt, nempe prim Veterum, Græcorum, Romanorum, Persarum Ægyptiorum; & Recentiorum, Gallorum, Hisp norum, Italorum, Germanorum, Polonorum Moscorum, Turcarum.

Stadium Græcorum censetur fuisse pedum Gra corum 600: qui faciunt pedes Romanos se Rhinlandicos 625. Nam Græcus pes major paul fuit Romano.

Milliare Germanicum (qualium Geograp quindecim attribuunt gradui uni) continet ped Rhinlandicos 14000 $\frac{4}{19}$. Censetur passuum 4000 stadiorum 32. Ad Rhinlandicum proportio ejus est, quæ 15 ad 19.

Milliare Italicum & Romanum passuum est 1000 pedum Rhinlandicorum 4000. Octo stadia unum milliare Romani Scriptores etiam Lapidem vocant ubi de vicinis urbi locis loquuntur.

Passus Geometricus & absolute ita dictus contine pedes quinque.

Orgyia continuisse censetur pedes sex, & Gra corum passus fuisse dicitur à nonnullis.

Cubitus pedum 1 $\frac{1}{2}$ fuisse existimatur.

Pari-

Parasange, Persicum milliare, continuisse censetur triginta stadia: passus autem Persicos 3000.

Schœnus, Ægyptiorum mensura continet sexaginta stadia juxta Herodotum: juxta Plinium quadraginta. Verum in diversis locis fortasse diversa magnitudo fuit: vel etiam stadium Herodoti à Pliniano differt: vel libri corruptisunt.

Leuca Gallica ad milliare Rhinlandicum habet proportionem, quam 25 ad 19. Hispanica leuca ad idem milliare est, ut 17 $\frac{1}{2}$ ad 19. Sed quia in diversis Galliæ atque Hispaniæ locis diversa observatur leucæ magnitudo, ideo hæc non sunt omnino certa.

Anglicum milliare ad milliare Rhinlandicum est, sicut 55 ad 19, vel etiam ut 60 ad 19. Verum triplicia habent Angli milliaria. Majora, quorum 27 $\frac{1}{2}$ æquant gradum sive 19 Hollandica: Mediocria, quorum 50: Minima quorum 60 vel 55.

Danicum vero, & Suecicum, ut 10 ad 19. in quibusdam tamen locis utuntur Germanico.

Russicum ut 80 ad 19. Vocant autem Voest.

Turcarum milliare sive leuca censetur æqualis Italico milliari, ita ut 60 faciant gradum.

Arabum leuca olim censetur fuisse vicesima quinta pars gradus, ita ut 25 æquarint gradum unum vel 19 milliaria Hollandica: verum aliam quoque mensuram usurparunt, cujus 56 gradum effecisse perhibentur.

Indorum milliaria centum gradui æqualia esse judicantur, etsi Indi vulgo per dierum & horarum itinera describant distantias.

Cambaiensis & Guzaratensis regni incolæ utuntur mensura, quam Cosam vocant, cujus triginta faciunt gradum unum.

Sinæ tres itinerarias mensuras observant, quas vocant Li, Pu, Uchan. Li est intervallum, ex quo hominis

hominis alte clamantis vox audiri poteſt in pla-
tie & aere quieto, quod cenſetur trecentorum
paſſuum Geometricorum. Pu continet decem
ita ut viginti gradum conficiant. Decem Pu facie
Uchan, quod unius diei iter ſtatuunt, nempe p
ſuum quindecim millium.

Milliare quadratum Rhinlandicum eſt pedu
quadratorum.

Milliare Cubicum Rhinlandicum eſt pedum C
bicorum.

Exiſtit autem milliaris quadrati numerus
multiplicatione milliaris in ſe, & Cubicum m
liare, ſi quadratum milliare multiplicetur per m
liare ſimplex. Idem de pedibus quadratis & Cu
cis intelligendum eſt.

SECTIO SECUNDA
GEOGRAPHIÆ ABSOLUTÆ,

*Continens affectiones generales & abſolutas te
Telluris, quinque capitibus.*

CAPUT III.

De Figura Telluris.

PRima omnium Telluris affectionum eſt *Figu*
non tantum nobilitate, ſed etiam utilitate
neceſſitate excellens, cum abſque illius cogniti
nihil in Geographia demonſtrari vel cognoſci ſo
poſſimus, atque omnia ſequentia ex hac fere
dependeant & fluant. Primo itaque loco de
agendum eſſe manifeſtum eſt.

Variæ autem de Telluris figura extiterunt
niones. Etenim vulgus (hoc eſt homines m
Geographiæ cognitione imbuti) exiſtimant,
ram latiſſima planitie, cujus terminus ſit circ
tis linea, excurrere, niſi montes vel valles oc
ra

rerint. In eadem sententia fuit Lactantius, aliique Patres, qui Tellurem infinitis radicibus deorsum extendi atque fundari acriter defenderunt, moti quibusdam sacræ Scripturæ locis male explicatis vel intellectis. Vide Lactant. l. 3. c. 24. & Augustinum l. 16. de Civit. Dei c. 9. Sed & antiquo Philosopho Heraclito hæc sententia tribuitur: etsi hunc alii scribant Telluri attribuisse formam παραβολοῦ sive profundo excavatam alveo. Quid? quod è recentioribus prioris seculi non ignobilis Philosophus Franciscus Patricius mordicus tueri conatus est terram plano exporrigi pede. Cylindraceam ejus formam Anaximander statuisse scribitur à Peucero: sed id verisimile non est, cum & dimensionem Telluris tentaverit & Astronomiæ peritus satis pro illius seculi ratione fuerit, quippe qui Lacedæmone Heliotropia constituit, in quibus gnomonis apex umbra sua signabat æquinoctiorum & solstitiorum diem. Leucippus tympani in modum conformatam tellurem existimasse scribitur: & sunt qui nescio quas absurdas opiniones Veteribus asscribere audent: de quibus videatur Aristoteles l. 2. de cælo c. XIII.

Cæterum vera & ab omnibus fere Philosophis, Mathematicis vero omnibus, defensa sententia est, Terram esse globosam seu Sphæricæ figuræ. Argumenta vero, quibus ad confirmationem hujus utuntur Scriptores, adeo obscure & confuse proponunt ut pertinacem contrariæ sententiæ defensorem cogere nequeant. Nos itaque quantum fieri potest, clarissime illas rationes proponemus & examinabimus, ut lectores distinctam illarum cognitionem consequantur.

Leviores primo rationes, quæ probabiles vel Sophisticæ potius sunt, rejicio, nempe has. 1. Sphætica figura est capacissima. Ergo terra debuit talem

lem figuram habuisse. 2. Omnes partes terræ, dunt ad centrum idem. Ergo partes illæ on constituent figuram globosam. 3. Cum in c tione aquæ adhuc terræ esset confusa, fuit pro dubio humida & mollis tellus. Humidorum tem & liquidorum figura est sphærica. Ergo e telluris talis figura post separationem humidi à co mansit.

Hisce & similibus argumentis neglectis, vi mus firmiora; quæ triplicia sunt. Unius & p generis tantum est unum, quod est à priori. p qua duo genera sunt à posteriori: nempe quæ à cælestibus apparentiis desumuntur, quædam eis, quæ in Tellure observamus sine cælo. Q ad primum attinet, à priori concludens, de tum id est à natura aquæ, solerque demonstr hæc peti vel ex Aristotele vel ex Archimede. stoteles lib. 2. de cæl. c. 5. suam, quam tam præcessoribus Philosophis accepit, his verbis posuit: Superficiem aquæ rotundam (sphæric esse patebit, si suppositionem sumserimus, aq suapte natura semper ad magis concavum (d viorem) locum confluere, & eum locum m concavum esse, qui est propinquior centro. cantur igitur ex α centro, rectæ lineæ $\alpha\beta$ & & ex β in γ linea ducatur $\beta\gamma$, ad quam a perpendicularis ducatur $\alpha\delta$, & protrahatur i Patet itaque lineam $\alpha\delta$ esse minorem lineis $\alpha\gamma$ (per 18. l. 1. Elem. Euclidis.) Ergo hic δ, magis concavus est. Quare affluet aqua (& γ) quousque lineæ $\alpha\beta$, $\alpha\delta$, $\alpha\gamma$ sint æqua At α est æqualis $\alpha\beta$, $\alpha\gamma$. Ergo aquam ipsam hisce esse, quæ sunt ex centro ductæ, necesse (Nota hæc pars, At α &c. nihil facit ad dem strationem). At ea, quæ tangit eas, quæ sunt centro ductæ, circumferentia est. Rotunda est superficies aquæ, quæ quidem est $\beta\gamma$.

Hæc Aristotelis Demonstratio est, in qua præ-
cet confusam & malam compositionem (quæ cor-
rigi potest) hæc animadverto. Primo quod suppo-
nit centrum aliquod universi: secundo, quod
declivem magis aut minus locum sumit respectu
illius centri: Hæc enim duo in dubium revocaret,
qui figuram sphæricam Telluris negaverit. Primum
tamen de centro Universi sufficienter probari vel
corrigi potest. Namque vel stellas motu quotidia-
no circumduci dicendum est, vel terram circumro-
tari circa suum centrum (hoc enim motus appa-
rens stellarum cogit). Si stellæ, jam punctum id
circa quod volvuntur, erit centrum Universi: si
terra, jam punctum medium terræ sive circa quod
rotatur poterit assumi in Demonstratione pro hoc
puncto centrali Aristotelis. Verum præcipua dif-
ficultas est in secunda suppositione, nempe mi-
norem vel majorem declivitatem spectari debe-
re respectu istius centri. Etenim qui defenderet A-
quæ superficiem planam esse vel alterius figuræ,
ille negatet hoc suppositum, diceretque declivita-
tem spectandam esse juxta nostros sensus, nem-
pe respectu planitiei Horizontalis nostræ, juxta
quam tellus infinitis spatiis in profundum exten-
datur: vel etiam alio modo declivitatem defini-
ret. Atque ita demonstratio hæc nihil concludit,
nisi concedatur, declivitatem locorum Telluris
sumendam esse respectu illius centri, circa quod
apparens motus quotidianus cælestium corporum
perficitur: quod etsi verum sit, possintque omnes
aliæ declivitatis definitiones, juxta quam aqua
moveri dicitur, refutari, tamen pro principio ad-
mitti vix potest, cum fere supponere videatur sphæ-
ricam terræ figuram.

Alii itaque Archimedeam præferunt Demon-
strationem, quæ reperitur l. 1. de iis, quæ vehun-
tur in aqua. Hæc quidem artificiosior est quam
Aristo-

Aristotelis: attamen iisdem laborat difficultatibus, quandoquidem Telluris Sphæricam figuram & ejus centrum supponit, ratione cujus pressioram aquæ sumit. Absit vero ut divinissimum Archimedem alicujus paralogismi arguamus, quem neque unquam decepisse neque unquam deceptum esse scimus. Etenim Archimedi, illo libro non est propositum Telluris sphæricam figuram demonstrare (sic enim petitionem principii admisisset): sed solius Aquæ seu omnium liquorum generalem naturam contemplatur, ad quam supponit tanquam notius & ex aliis phænomenis demonstratum, Tellurem esse sphæricæ figuræ, sive habere in se centrum suum, ad quod gravia moveantur: quod miror Clavium non animadvertisse, qui Commentariis in Joannem de Sacro Bosco usurpat Archimedeam demonstrationem pro sphæricæ Telluris figura asserenda. Sed & Snellius idem facit in suo Eratosthene Batavo. Alia ratio est cum Aristotele. Huic enim eo loco propositum erat, & Terræ & Aquæ & Cœli sphæricam figuram demonstrare. Quare non sine paralogismo assumere potuit terræ vel universi centrum.

Ita vidimus, argumentum à priori ab Aqua desumtum, quod ab omnibus fere Geographiæ Scriptoribus usurpatur, aliqua laborare imbecillitate: quæ an tolli possit, de eo despiciant docti Mathematici. Ego quidem integrum huic cogitationi diem attribui & varia tentavi, sed non factum sum voti compos: esset quippe validum & elegans argumentum sphæricæ Telluris figuræ. Sepositis jam illo, asseremus argumenta à posteriori, & primo quidem à cælestibus apparentiis desumta.

1. Concipiamus lineam meridianam nostri loci seu puncti cujuslibet B in tellure, sive sectionem telluris factam plano, quod per polos mundi M, N, transit A B C D: hæc linea solet dici latitudo terræ; & quando, sive aliquis faciens in A B C D, esse. Est aliquis ficies aliquodvis p li, deinc punctum pendicula li, ista sup

Quoni mus pun nem, A res, ide superficie corpus.

Quod nem latit sit circula multis. quovis, utrum M in æqual appropin linea itin tur com 2. Quon quam cu populis i rientia te perpendi Torrida, gr. P, & Q P (vel stantiam stantiæ sc

ræ; & quæ huic perpendicularis ducitur, longitudo, sive aliud planum Æquatori cælesti parallelum faciens in tellure lineam E B F C. Dico tam lineam A B C D, quam E B F C in tellure circularem esse. Est autem theorema Geometricum: si superficies aliqua juxta unam dimensionem secetur per quodvis punctum, fiatque sectio peripheria circuli, deinde juxta alteram dimensionem per idem punctum secetur plano, quod priori plano sit perpendiculare, fiatque sectio iterum peripheria circuli, ista superficies est sphærica.

Quoniam itaque in superficie telluris assumsimus punctum B pro libitu, & ostendemus sectionem, A B C D, E B F C esse peripherias circulares, ideo ex dicto theoremate concluditur, quod superficies telluris sit sphærica, & Tellus sphæricum corpus.

Quod autem sectio Telluris juxta dimensionem latitudinis ab uno polo ad alterum A B C D sit circularis, probatur ex apparentiis cælestibus multis. 1. Si in hac linea A B C D, sumto loco B quovis, aliquis progrediatur versus polum alterutrum M, vel stellam ei vicinam, animadvertit in æqualibus factis itineribus, polo se æqualiter appropinquare. Hoc autem fieri non posset, nisi linea itineris B A D C esset circularis, & ostenditur commode per globum terrestrem artificialem. 2. Quoniam A B C D est linea meridiana, in quam cum Sol venit, meridies nobis & omnibus populis in hac linea A B C habitantibus est, experientia testatur, Solem alicui loco in linea A B C perpendiculariter imminere (nempe in Zona Torrida, ut nautæ satis superque testantur) ex. gr. P, & si æqualia sumamus spatia æqualia B Q, Q P (vel quævis alia) animadvertemus, solis distantiam à vertice Q, æqualem esse excessui distantiæ solis à vertice B supra distantiam à verti-

ce

ce Q: quod fieri non posset, nisi linea B P Q. esset circularis. 3. Eadem ratio est omnium stellarum quæ cum in meridianum A B C veniunt, distantiæ earum à verticibus P, Q, B, habent eandem inter se rationem, quam distantiæ Q P, P B, Q B. Ita cum nautæ nostri navigant versus Austrum, stellæ quæ antea plane non erant conspicuæ & infra Horizontem, paulatim magis magisque per navigationis proportione altiores fiunt. 4. Ita si sumantur multæ stellæ in cœlo, & loca terræ, per quorum verticem eæ transeant, in uno meridiano animadvertes, horum locorum distantiam habere eandem inter se proportionem, quam distantiæ punctorum Meridiani, in quibus stellæ illæ meridiem agunt. Jam quod ad longitudinem Telluris attinet, ex. gr. E B F C, quod hæc quoque circularis sit, & quod tellus tumorem Sphæricum juxta hanc dimensionem habeat, ex eo probatur, quoniam Sol & omnes stellæ populis, qui à nobis versus Orientem agunt, citius multo oriantur, quam nobis & citius occidunt: illis vero, qui ad Occidentem à nobis habitant, contra, tardius oriuntur & tardius occidunt, & quidem juxta eam proportionem temporis, quam habent distantiæ meridianorum istorum locorum à nostro meridiano. Ita si duo loca à nostro sumantur, unius meridiani distantia versus Orientem 225 mill. alterius 450, nempe dupla: tunc deprehendemus in hoc loco duabus horis citius Solem oriri quam in nostro: in altero vero loco tantum una hora citius orietur. Clarius fit argumentum, si de appulsu Solis ad meridianos diversorum locorum proponatur. Etenim quæ est ratio distantiæ locorum à nostro, eadem observabitur ratio temporum, quæ intercedunt inter appulsus ad Meridianos illos & nostrum, sive inter arcus Æquatoris, inter Meridianos illorum & nostrum interceptos: quo

ex Eclipsi
Telluri S
per globu
ineptæ su
Ita tan
ne Sphæ
Verun
ti potest
cultatis
enim qu
secundu
peripheri
cæli pu
num stel
lide, q
Theoren
metris de
quod sive
per unun
que omn
li, istud c
Acced
petita,
à Sole spa
tur. Quo
Lunæ ob
ci demon
minoso o
bram,
recte asse
Rigide
ta à Tellu
te Sphæri
1. A c
Europæi
dentem S
gellanicu

ex Eclipsibus conspicuum fit. Hæc autem fieri, si Telluri Sphæricam figuram tribuamus, ostenditur per globum artificialem: aliæ vero figuræ ad hoc ineptæ sunt efficiendum.

Ita tam de latitudine Telluris quam longitudine Sphæricæ figura ostensa fuit.

Verum ex sola etiam latitudine Telluris probari potest Sphærica ejus figura, (cum aliquid difficultatis habere videatur ratio longitudinis.) Etenim quoniam omnes sectiones Telluris, quæ fiunt secundum latitudinem ejus in diversis locis, sunt peripheriæ circulorum, transeant vero per idem cæli punctum nempe polum conversionis vicinum stellæ polari, ex hisce duobus inferre licet solide, quod Telluris figura Sphærica sit. Est enim Theorema Geometricum, quod propterea à Geometris demonstrari debet, hoc: si solidum aliquod sive corpus secetur planis utcunque multis per unum aliquod punctum transeuntibus, fiantque omnes sectiones in superficie peripheriæ circuli, istud corpus Sphæricum est.

Accedit alia non parum fortior ratio à cœlo petita, nimirum umbra, quam tellus aversa parte à Sole spargit ad Lunam, unde hæc Eclipsin patitur. Quoniam enim hæc umbra Conica est, ut ex Lunæ obscuratæ ratione declaratur, & vero, Optici demonstrant, si solidum aliquod utcunque luminoso oppositum Sphærico faciat Conicam umbram, solidum illud esse Sphæricæ figuræ, hinc recte asseritur Sphærica Telluri figura.

Rigide tamen si agamus, concludit Argumenta à Telluris contemplatione, pro illius rotunditate Sphærica desumpta sunt hæc.

1. A circumnavigatione. Quoniam octies jam Europæi ex Europa solventes & directo ad Occidentem & Austrum itinere usque ad Fretum Magellanicum, deinde ad Occidentem & Septentrio-

nem iterum redierunt ab Oriente in Europam, atque omnia illis phænomena evenere, quæ a glo bi proprietate emanant: quod certe haud factum fuisset, si Tellus non esset globosa. Certe super hac figuræ Telluris hypothesin omnes illæ navigationes fundatæ fuerunt, quæ propterea non ita feliciter successissent, si alia fuisset ejus figura.

2. Quando vel mari vel terra proficiscimur ad altis turribus & montibus, tunc paulatim partes turris & montium inferiores occultantur nobis usque ad ipsa fastigia, quæ ultimo occultantur. Eodem modo quando è longa distantia accedimus ad turrim vel montem excelsum, primo apex nobis se offert conspiciendum, deinde partes continuæ inferiores, donec in propinquo versantibus nobis ipsa radix montis seu pes videtur. Et fit hæc apparitionis & occultationis incrementum omnino juxta talem proportionem, qualem tum Sphæricus Telluris causari potest: neque jure aliam figuram explicari potest. Diagramma clarius propositum efficiet.

3. Quia dimensio altitudinis montium, quæ super hypothesin globosæ Terræ figuræ fundatur, cum rei veritate convenire deprehenditur.

Cæterum ut omnium horum argumentorum à posteriori desumtorum numerum in unam summam contrahamus, (etsi Geometrice tractari possent, sed magni laboris & difficultatis ea res foret. Nam demonstrandum esset, posita hac vel illa proprietate, lineam esse circularem:) ideo Sphæ ca figura Telluri assignanda est, quia omnes apparentiæ tam cælestes, (ut poli elevatio diversa, diversa Solis altitudo ejusdem diei in diversis regionibus, umbrarum ratio, dierum longissimorum differentia & incrementum versus polum, stellarum plures vel pauciores apparentes circa polos, diversum ortus & occasus syderum tempus, &c.) quæ

Terrestres, ut navigationum directio, apparitio & occultatio montium turriumque, distantiæ locorum, plagæ, venti, &c. commodissime & apte explicantur juxta illam figuram: neque alia figura excogitari potest, quæ id præstet, ut ex consideratione variarum figurarum patet. Et noster globus factitius terrestris omnia ita exhibet, sicut in Tellure revera deprehenduntur: quod certe non fieret, si Tellus aliam haberet figuram, quam nostri factitii globi. Et quamcunque aliam formam elegeris, innumera absurda sequuntur. Namque planam non esse, ex adductis apparentiis manifestum est. Nec cavam esse posse patet ex eo, quod sol & stellæ prius occidentalibus populis quam orientalibus apparere deberet, si talis esset, sicut videmus Solem Orientem prius illustrare valles quam aversam montium partem.

Neque parum ad hoc credendum facit, quod ex omnibus corporibus solum Sphæricum similare est, hoc est cujus omnes partes inter se similes sunt, & sibi mutuo applicari possunt; & sumtis duabus æqualibus partibus, omnes affectiones, quæ uni parti conveniunt, illæ etiam alteri competunt. Hoc autem in nullo alio corpore locum habet. Et vero in Telluris dimensione deprehendimus, cum in diversis locis eadem ratione instituatur, inveniri eandem magnitudinem.

Rationum vero, quibus quidam planam figuram attribuere Telluri sunt conati, levitatem quilibet perspicere potest: Sunt enim hæ. 1. quia sereno aere mare planum apparet, eodem modo etiam terra, si undique circumspiciamus. 2. quia nisi tellus plana figura esset, nimis ruinæ videretur obnoxia, & mobilis; sed planæ figuræ sunt stabiliores. 3. quia Sol & Luna dum oriuntur & occidunt, rectis lineis paulatim oriri & occultari videntur, debebant autem curva linea secari ab Hori-

zonte nostro, si Tellus Sphærica vel saltem ro-
tunda esset. Ita antiqui ratiocinati sunt, ut Aristo-
teles refert. 4. Quidam contra globositatem ra-
tiocinantur ex tot montibus qui rotunditatem
impediant. 5. Quia aqua censetur altior esse quam
terra. 6. Quia fieri non posse existimant, ut ho-
mines nobis oppositi consistant in Tellure, & non
deorsum ad cœlum cadant. Hæc cogitatio multis
doctis quoque, non vulgo tantum scrupulum fa-
cit, quod vix credidissem, nisi ex ipsorum ore
aliquoties ista audivissem, qui mihi confessi sunt,
etsi Sphæricam Telluris figuram non ausint neque
possint propter urgentes rationes negare, tamen
istum scrupulum non posse ex animo amovere. ut
taceam Augustini atque aliorum Patrum sanc-
tinos & irrisiones. Cæterum hæ rationes à quoque
facile refutantur. Montium altitudinem, nullam
habere proportionem ad Terræ magnitudinem
infra demonstrabitur. Porro posita jam & asserta
Sphærica Telluris figura, omnia illa, quæ Geo-
metræ de Sphæra & globo demonstrarunt, Tellu-
accommodari poterunt & debent, ideoque cen-
tri, diametri, seu axis semidiametri, poli, circuli
maximi, &c. definitiones in memoriam voca-
dæ sunt.

Quisnam autem primus Telluris Sphæricæ
figuram asseruerit, id antiquitatis tenebris obvo-
lutum est. Sane vetustissimam esse doctrinam ex
eo patet, quod Babylone ab Alexandro capta in-
ventæ ibi sint Eclipses annotatæ & supputatæ, 1
annos ante Christum multos, quod sine hac Te-
luris figuræ cognitione fieri nequit. Thaleti Gra-
satis hoc perspectum fuisse, ex prædictione Ec-
psis patet.

CAP.

Caput IV.

De Telluris dimensione & magnitudine.

TElluris dimensio tria complectitur primaria capita. 1. Diametri seu semidiametri, hoc est lineæ à superficie ad centrum ut etiam peripheriæ, terræ sive circuitus longitudinem. 2. Superficiei totius Telluris magnitudinem. 3. Soliditatem seu corpoream Telluris dimensionem. Cæterum hæc ita comparata sunt, ut uno eorum cognito, reliqua duo innotescant per Geometrica Theoremata, quoniam tellus Sphæra quædam est: ut capite 2 monstratum est. Nobilissima hæc & cognitu dignissima affectio jam à multis seculis exercuit præstantissima ingenia: ita ut quidam integros libros de hac sola materia conscripserint. Et ideo non ingratum studiosis Geographiæ fore putavi, si historiam hujus dimensionis hoc loco enarrarem. Diogenes Laërtius laudat Anaximandrum Milesium Thaletis discipulum, quod præter alia Astronomica inventa, primus quoque terræ marisque circuitum seu perimetrum descripserit: Vixit autem Anaximander circa annum 550 ante Christum natum. Ejus dimensionem secuti videntur Mathematici sequentium temporum, usque ad Eratosthenem, quoniam nullius alterius mentionem faciunt scriptores: atque ideo ab Anaximandro assignatam magnitudinem eam existimo esse, quam Aristoteles annotavit in fine libri 2 de Cælo dicens: Mathematicorum etiam, qui magnitudinem orbis terræ metiri conantur, quadringentis terram cingi stadiorum millibus dicunt. Ex hac perimetro non est difficile assignare semidiametrum Telluris juxta Anaximandrum. Verum enimvero cum præter unicum illum Diogenis Laërtii locum nihil annotatum inveniamus

de Anaximandri Inventione & modo, obscurata est illius diligentia, & Eratosthenis, qui post Anaximandrum hoc negotium suscepit, celebrata ab omnibus industria: Vixit hic circa annum 200 ante Christum: & ut in reliqua Mathesi & dimensionibus fuit versatissimus, ita hanc Telluris Geodæsiam accuratissime perfecisse existimatus est, & illi primo hæc gloria ascripta. Prodidit autem perimetrum seu ambitum Telluris esse ducentorum quinquaginta mill. stadiorum (250000, alii 252000) quæ Plinius ait efficere passuum Romanorum trecenties quindecies centena millia, hoc est 315000 milliaria Romana, quæ singula censentur mille passuum.

Scripserat Eratosthenes de Geographia tres libros, qui jam non exstant amplius injuria temporis: Strabo singulorum librorum argumenta recenset: & Cleomedes Modum annotavit, quo Eratosthenes usus est ad inventionem ambitus Telluris: in quo quid desideretur, postea dicemus. Etenim Eratosthenis dimensio à multis Mathematicis, inprimis Hipparcho (100 annis post Eratosthenem) judicata est à vero abludere: etsi de Hipparchi dimensione nihil perscriptum sit nisi quod 25000 stadia addiderit Eratosthenis perimetro. Sed proximus post Eratosthenem aggressus est hanc doctrinam Posidonius, scientissimus non tantum Astronomus & Practicus, verum etiam in omni Philosophiæ parte, paulo ante Christi Nativitatem, nempe Ciceronis & Pompeii ætate. Hic per suam dimensionem invenit Terræ ambitum esse stadiorum 240000, ut Cleomedes annotavit; verum 180000, ut Strabo: unde magnum existit dubium de causa hujus discrepantiæ inter Cleomedis & Strabonis assignationem: cum Strabonis hæc verior sit, etsi paucis verbis prolata: Cleomedis autem à vero aliena, etsi multis Geodæsiam

dæsiam Posidonii enarraverit, *De ipsius Modo dicemus infra.*

Cæterum Eratosthenis dimensio à plurimis adhuc usurpata est usque ad Ptolomæum (anno 144 post Christum) qui perimetrum 180000 stadiorum usurpavit & veritati convenientem præ reliquis esse asseruit, ita ut à Theone hæc ipsi inventio tribuatur. Marinum quoque celebrem Geographum & cujus scriptis Ptolomæus multum fuit adjutus, aliquid tentasse in hoc negotio colligitur ex ejusdem Ptolomæi Geographicis.

Ipse Ptolomæus testatur de semetipso in libr. 1. Geog. cap. 3. quod dimensionem hanc tentaverit, & quidem alia via, quam præcessores, in locis nimirum diversorum Meridianorum: sed non addit, quantam invenerit perimetrum: usurpat enim à Marino & præcessoribus acceptam 180000 stadiorum.

Post illa tempora, cum in Græcia paulatim scientiarum cultus evanesceret, nihil in hoc negotio actum, neque Romani quicquam susceperunt.

Sed Arabes & Saraceni, rerum potiti, sicut aliarum disciplinarum splendorem à Græcis ad se transtulerunt, ita hanc Mathesis partem non liquerunt intactam. Etenim (ut Snellius refert ex Abelfedea Geographo Arabe, qui circa annum Christi 1300 floruit, & cujus scripta Romæ excusa sunt) circa octingentesimum Epochæ Christianæ annum Maimon Rex Arabum, seu Califa Babyloniorum, Matheseos studiosus, utpote qui magnam Ptolomæi Constructionem jussit ex Græco in Arabicum sermonem convertere, qui ab Arabibus dicitur Almagestus Ptolomæi, hic, inquam, Maimon convocatis quibusdam Mathematum peritis mandavit, ut Terræ perimetrum scrutarentur. Ad quod peragendum campos Zinjar seu Mesopotamiæ elegerunt, atque sub eodem

Meridiano à Septentrione in Austrum progres donec elevatio poli uno gradu decreverat, inven runt ad amussim intervallum seu iter confectu esse 56 milliarium vel $56\frac{1}{2}$, unde conficitur p rimetrum juxta eos esse 20060 vel 20340 milli rium.

Ex eo tempore ad nostrum usque seculum n mo problema hoc sollicitavit: sed Arabes ple que hanc suorum Mathematicorum dimensione usurparunt: Latini vero cum Astronomiam tr ctare inciperent, adhibuerunt eam, quam Ptol mæus usurpaverat 180000 stadiorum, quæ f ciunt 324000 milliaria Italica, vel Germani 5400 milliaria, quoniam uni gradui quindeci Germanica vel 60 Italica assignata sunt, cum d berent assignari 15 & $\frac{5}{8}$, quoniam 32 stadia u buuntur circiter uni Germanico milliari: & f perimeter foret 5625 milliar. Germanica. Cæ rum ante triginta circiter annos Mathematic insignis Snellius Professor Leydensis, animadve tens usitatam Mathematicis perimetrum tem vel unius gradus definitam in milliaribus quind cim magnitudinem, non certa inniti demonstr tione, sed dubiam esse, ideo magna prorsus i dustria dimensionem hanc aggressus est, & feli ter perfecit, demonstrans unius gradus in tem magnitudinem esse 28500 perticarum (quarum singulæ continent duodecim pedes Rhinland eos) sive novendecim milliarium Hollandicorum & totam perimetrum 8640 milliarium. Millia autem definit perticis 1500, sive 18000 pedib Rhinlandicis. Hanc historiam dimensionis Te luris placuit præmittere, ut Lectores intelligan quanta cum industria hoc negotium tractatum si & quanta cum difficultate conjunctum. Jam d modo ipso dimetiendi loquemur.

Inte

Innititur autem hæc Inventio figuræ Telluris, quam in præcedenti capite probavimus Sphæricam esse. Etenim concipimus Tellurem secari plano transeunte per centrum: hæc sectio efficiet circulum Telluris maximum (Sphærâ enim utcunque sectâ, sectio fit circulus; si autem per centrum secetur, circulus erit maximus), & ideo hujus circuli peripheria in superficie Telluris erit ambitus seu circuitus & perimeter telluris. Et ab hujus peripheriæ magnitudine incipit hoc dimetiendi negotium. Quoniam itaque hæc peripheria, sicut aliæ, dividitur animo in 360 gradus (ut cap. 2 dictum) & vero totius peripheriæ magnitudinem obire non possumus, ideo eo reducitur problema, ut unius gradus vel alterius partis, ex gr. $\frac{1}{2}$ grad. magnitudinem in mensura cognita inveniamus, cujus necessitas etiam in aliis problematibus occurrit. Peripheriam autem Telluris accipimus plerunque Meridiani circuli, quia hic facillime & minori erroris occasione determinatur per nostrum locum & Septentrionem seu stellam polarem, vel aliis modis, quos cap. XXIII afferemus.

Modus Primus, quo Arabes & alii usi sunt.

Horizon H h R s f sit itaque Meridiani nostri terrestris (qui cælestis a b c d subjacet & concentricus est), peripheria A B C D. R centrum Telluris. Noster locus B. vertex b polus Telluris A, cælesti subjacens. Erit elevatio poli supra Horizontem A H a h. Assumamus jam alium locum in eodem meridiano, A B C D vel sub eodem a b c d jacentem G, vertex g, Horizon f F R t T. Sit jam observata accurate elevatio poli in loco B, nempe a h vel A H. Item loci G, nempe f a vel F A. Et auferatur F A ab H A, relinquitur H F,

cui arcus B G inter loca interceptus est æquali. Deinde intervallum inter B G accurate metie dum est in certa mensura, ex. gr. quot perti contineat, vel quot milliaria. Hæc enim respo debunt arcui B G. Et per regulam auream ut B ad A B G c d 360 gr. ita inventum intervallu vel perticæ vel milliaria ad perticas vel millia totius perimetri A B G C D: Vel ut B G arc ad unum gradum ita inventæ perticæ vel millia ad perticas vel milliaria, quæ debentur uni gradu

NOTA. Si intervallum B G non placeat meti sed vulgi determinationem sequi placet, tunc jun illud iter determinanda est quantitas. Ex gr. U gradui respondere quindecim milliaria talia, qui inter B G sint decem, &c.

Exemplum. B Amstelodamum, ubi Elevat poli A H, a h est 52 gr. 23. min. G sit Schoo ven jacens cum Amstelod. sub eodem meridian cujus Elevatio poli A f, a f est 51 gr. 54 min. I itaque f h vel B G, 29 minut. Distantia aute inter Amstelod. & Schoonhoven est $9\frac{1}{4}$ milli Holland. vel perticarum Rhinland. (12 pe 13875. Itaque ut 29 minut. ad 60 min. vel 1 ita $9\frac{1}{4}$ ad 19 mill. Holl. Ergo 19 mill. Hollandi faciunt gradum unum in peripheria Telluris. 360 gr. sive tota peripheria est milliar.

Vel: intervallum B G censetur $7\frac{1}{4}$ milliaria Germanicorum (debet unum censeri 1900 per cis Rhinlandicis.) Itaque fiat: ut 29 pr. ad 60 ita $7\frac{1}{4}$ ad 15 milliaria talia Germanica. Ita 1 pr. facit 15 milliar. Germanica. Ita Pragæ E vatio, poli est 50 gr. 6 min. Lincii 48. gr. 16 m Different. B G erit 1 gr. 50 min. Et censetur dist 26 mill. Germanica. Itaque perimeter erat 51 milliarium. Et totus circuitus telluris 5400 milli

Mi

Modus secundus, Eratosthenis.

Sint iterum duo loca telluris in eodem Meridiano. B. sit Alexandria Ægypti, ubi Eratosthenes Regiæ Bibliothecæ præfectus vixit. G sit Syene, urbs Ægypti sub Tropico Cancri, quam Eratosthenes in sua dimensione elegit, & distantiam ejus ab Alexandria assumsit 5000 stadiorum. Observetur quadrante jam in ambobus locis uno eodemque die in meridie Solis quando in lineam meridianam a b c d venit, distantia à verticibus b, g. Sit Alexandriæ die solstitii, 21 Junii observata g f seu G F, $\frac{1}{50}$ peripheriæ sive 7. gr. 12 min. In Syene autem sit nulla distantia, hoc est Sol vertici eorum g eminet perpendiculariter. Erit itaque B G arcus inter duo hæc loca interceptus 7 gr. 12 min. Et quia distantia ponitur 5000 stadior. (quorum 8 faciunt milliare Italicum vel 32 Germanicum.) Itaque juxta regulam auream erit ut 7 gr. 12 pr. ad 1 gr. (vel ut $\frac{1}{50}$ ad $\frac{1}{360}$ sive ut 5 ad 36) ita 5000 ad $694\frac{4}{9}$ stadia, quæ debentur uni gradui, Vel ut $\frac{1}{50}$ ad 50 sive ut 1 ad 50, ita 5000 ad 250000 stadia totius peripheriæ A B C D, juxta hanc dimensionem. Cæterum cum diversi sint modi ad altitudinem Solis meridianam, & distantiam à vertice g b sumendam, Eratosthenes illud fecit per Sciathericum cavum Sphæricum, quod Scaphen & Scaphium appellarunt, ubi stylus B X indicat verticem O X Z radius solis umbram styli terminans designat arcum B Z, quantus est O b distantia solis à vertice, 7 gr. 12 pr. Alexandriæ: Sed in Syene stylus G X nullam umbram spargit eo die: quia Sol O illi perpendiculariter imminet, & ideo nulla tunc Solis à vertice est distantia. Quoniam itaque Angulus B X Z est æqualis angulo b x o, cujus mensura est b O sive

B G, ideo B G æqualis est B Z, 7. gr. 12. pr. vel $\frac{1}{50}$ peripheriæ. Reliqua peraguntur, ut dictum est.

Modus tertius Posidonii.

Sint duo loca B G sub eodem Meridiano. Posidonius sumsit B, Rhodum, ubi ipsi vixit, & G Alexandriam Ægypti. Observetur in his duobus locis, stellæ alicujus S, altitudo, quando in Meridianum venit, supra Horizontem: idque eadem die vel diversis diebus. Nihil enim refert. Posidonius sumsit stellam S Canobum, fulgentem in primæ magnitudinis in Argo navi. Hæc autem supra Horizontem h H S Rhodi non oriebatur, sed tantum stringebat Horizontem in S: Sed supra Alexandrinum Horizontem F R t, elevata ex arcu t S, $\frac{1}{48}$ totius peripheriæ, sive 7 gr. 30 min. Itaque arcus T s, hoc est B G, distantia erit etiam 7 gr. 30 min. Est autem juxta ipsum intervallum Rhodi & Alexandriæ 5000 stadiorum. Itaque 7 gr. 30 min. ad 1 gr. sive ut $\frac{1}{48}$ ad $\frac{1}{360}$, hoc est ut 48 ad 360 ita 5000 ad 666 $\frac{2}{3}$ stadia, quæ debentur uni gradui. Vel ut 1 ad 48 ita 5000 ad 24000 stadia totius perimetri telluris juxta hasce Posidonii hypotheses.

Modus quartus Snellii.

Quia in prioribus Modis assumsimus duo loca B, G, sub eodem meridiano jacentia, & vero loca commoda ad hoc negotium sub diversis meridianis jacere possunt, ideo de hoc quoque ex exemplum proponendum esse duximus, & quidem Snelli.

Sit itaque A B C D Meridianus Alemariæ, Alemaria. Elevatio poli h a 52 gr. 40 $\frac{1}{2}$ min. distantia à polo B A 37 gr. 19 min. 30 sec.

Alter locus sit P, Berga ad Zomum, Meridi-

nus A P V V distantia à polo, hoc est, complementum Elevationis (51 gr. 29 min.) A P, est 38 gr. 31 min. Itaque ducta P G perpendiculari ad A B G, differentia distantiarum à polo est B G, 71 min. 30 sec. vel 1. gr. 11. min. 30 sec.

Porro distantiam Alemariæ à Berga, B P, Snellius invenit geodæsia operosa 34710, perticarum Rhinlandicarum: Et angulum positionis P B G 11 gr. 26 min. 2 sec. Itaque in Triangulo rectangulo P B G, datur hypotenusa BP & angulus PBG. Itaque per probl. cap. 2 invenitur B G 34018, (pro quibus Snellius assumit 33930. Nam detrahit 88 perticas propter stationes elevationum poli). Est autem arcus BG 71 $\frac{1}{2}$ scrupulorum, differentia Elevat. poli. Itaque ut 71 $\frac{1}{2}$ min. ad 1 gr. vel 60 min. ita 33930 (vel 34018) ad 28473 perticas pro uno gradu, vel ad numerum rotundum, 28500, sive 19 milliar. Holland. Qui sphæricam Trigonometriam callent, Ex datis, A B, A P, angulo A B P possunt invenire arcum B P 1 gr. 14 min. qui cum æquentur perticis 34710, erit 1 gr. æqualis perticis 28300 perticarum seu 18 milliar. & $\frac{4}{7}$. Sed quod hic numerus à Snelliano differt, causa est 1, quod Snellius non ipsa puncta turrium B, P, ex quibus angulum G B P est adeptus, sumsit pro electionibus poli cognoscendis, sed loca seu ædes paululum remotas ab iis. Vide eum p. 197. Eandem tamen inventum iri polorum altitudinem in turribus nemo potest dubitare. Altera causa est, quod lineas B G, B P, P G, assumit rectas, quæ tamen rectæ non sunt, etsi parvam & nullius momenti differentiam videatur hæc discrepantia creare. Sed assumatur Snelliana quantitas gradus 28500 perticarum (mea 28300 perticarum) hæ faciunt 19 $\frac{147}{150}$ mill. (meæ 18 $\frac{4}{7}$ milliar. Erit perimeter seu ambitus juxta Snellium 10, 260,000

pertic. vel 123, 120, 000 pedum, vel 8640 m
liar. Holland.

Quintus modus, primus Terrestris.

Tres sequentes modi terrestres sunt, sine cœlo
meridiana linea opus perficientes. Sit B P mon
vel turris altitudo: hæc geodæticâ ratione inq
renda est. Dein termini remotissimi, à quo vid
potest, vel qui ex eo videri potest, distantia P S.
licet P S recta non sit, tamen quia totius tellu
peripheriæ minima portio est, ideo pro recta
mitur: & Triangulum B P S rectangulum: in o
ex datis B P, P S, invenitur angulus B S P, cui
qualis est P R S, cujus mensura est arcus S P. Itaq
ut hic arcus ad unum gradum, ita inventa distan
P S ad quantitatem unius gradus. Ex. gr. sit
altitudo 480 passuum sive $\frac{1}{8}$ circiter milliaris Ge
manici. Et distantia P S puncti S, quod vid
terminat, sit 40000 passuum vel 10 milliaria
Germ. Itaque juxta probl. cap. 2 fiat: Vt P
pass. ad B P. 480 pas. ita $\frac{\text{Sin. Tot.}}{10000000}$ ad 11904
Tangentem anguli B S P vel S R P vel arcus S
nempe 41 m. Itaque ut 41 m. ad 60 m. ita 4000
pass. ad 59000 passus, hoc est 15 milliaria circ
pro uno gradu.

Vel sine Tabula sinuum & sine perimetri inve
tione potest inveniri semidiameter P R. Etenim
ut B P ad P S ita P S ad P R, ut 480 ad 40000, i
40000 ad 33333333 passus pro semidiametro R P.

Modus sextus, secundus Terrestris, sine distantiæ cognitione.

Verum eadem semidiameter R P etiam h
modo concludetur & invenietur. Sit P B tum
excelsa, nimirum ex foramine B demissa bol
deprehendatur altitudo 100 pass. (Vel si mon

P B altitudo sit cognita ex alia geodæsia 4000 passuum. Deinde adhibito in fastigio B instrumento inveniatur angulus ultimi visus, P B S, 88 gr. 37 min. Itaque B R S erit 1 gr. 23 min.

Ex Canone Sinuum sumatur sinus 88 gr. 37 m. Et hic subtrahatur à sinu toto 10000000.

Fiatque ut Residuum ad sinum 88 gr. 37 min. ita B P 1000 passuum ad semidiametrum S R in passibus.

Modus septimus, tertius Terrestris.

Hic modus prioribus accuratior & ad praxin accommodatior videbitur, adhibens duos montes, vel altitudines quorum non altitudo sed distantia cognita sit, quæ geodætice inveniri potest. Sit B P una altitudo, mons, turris, arx, &c. S T altera, distantia T P sit quinque milliarium Germanicorum. Inveniatur per Instrumentum angulus B T R 89 gr. 45 min. & in altero monte T B R 89 gr. 55 min. Erit angulus P R S 920 min. (quia tres anguli T, B, R æquantur duobus rectis 180 gr.) Quare juxta regulam auream ut 20 gr. ad 60 gr. ita 5 milliaria ad 15 mill. pro uno gradu.

Hi sunt præcipui modi Telluris dimetiendæ. Namque ex inventa unius gradus mensura, tota perimeter, diameter, superficies & soliditas invenitur ita.

Quoniam perimeter juxta Snellium est 8640 mill. Holl. vel 10, 260, 000 pertic. Rhinlan. vel 123, 120, 000 pedum. Ideo per probl. c. 2 invenitur semidiameter Telluris $1088\frac{3}{4}$ mill. vel pertic. 1633190 vel pedum 19598300. Superficies telluris $18811353\frac{3}{5}$ milliaria Holl. quadrata.

Et tota soliditas est milliarium Cubicorum 4095683 1512.

Ve-

Verum quoniam usitatior est supputatio Germanica milliaria, quorum quindecim unu gradum constituant, ideo hæc adhiberi possun sed cum hac conditione, ut talia intelligan milliaria, quorum xv faciant xix milliaria Hi landica, sive ut unum milliare contineat pe cas Rhinlandicas 1900, vel pedes Rhinlandi 22800.

Erit itaque peripheria seu circuitus telluris lium milliarium 5400: semidiameter 860: super cies 9278181 mill. quadrat. Soliditas 265693 milliarium Cubicorum.

Commodissima vero sunt Italica milliaria, qu rum sexaginta uni gradui solent attribui. Sic em apte unum milliare respondet uni minuto grad Sed debet tale milliare Italicum intelligi, quod h beat perticas Rhinlandicas 475. Sic erit circui telluris talium milliarium 21600: semidiame 3440. Hisce ita expositis, causæ afferendæ sun cur autorum recitatæ antea dimensiones ita disc pent, & quid in singulis desideretur.

In primo Modo hæc occurrunt. 1. Quod in s menda elevatione poli erretur. 2. Quod de lo sub eodem Meridiano dubitari possit. 3. Quod d stantia non distincte explicetur. Et quia Arabes h modo usi sunt, ideo quæ in eorum dimensione d siderantur, sunt hæc. 1. Ignota nobis est exacta m gnitudo milliaris eorum (4000 cubitorum est xta Alfraganum). 2. Non indicarunt loca, quoru elevationes sumserunt, & ideo de illorum diligen tia non possumus inquirere. 3. Nec modum qu distantiam mensi sunt, indicarunt.

In Eratosthenis Dimensione hæc animadversio nem merentur.

1. Quod arcui invento BZ 7 gr. 12 min. no addidit 15 min. pro arcu inter radium Solis XZ verum centralem radium, qui sumendus fuisset, in tercepto.

2. Quo

2. Quod Syenen & Alexandriam sub eodem Meridiano jacere non probavit.

3. Quod umbrarum terminus non accurate possit notari, & præterea loca circa Syenem ad 150 stadia hoc habeant, quod sine umbra sit stylus.

4. Quod distantiam inter Syenen & Alexandriam assumsit juxta vulgi opinionem, quæ ἀκριβείαν non curat: Neque stadiorum magnitudo nobis certo constet.

In Posidonii Modo hæc vitia inesse censentur.

1. Quod Canobum non attolli existimaverit supra Rhodi Horizontem, cum tamen 2 gr. attollatur: certe non potuit scire, quod accurate stringat.

2. Quod distantiam inter Rhodum & Alexandriam per conjecturas & vulgaria itinera determinavit.

3. Quod ipsius stadiasmus non satis determinatus sit.

4. Quod dubium sit, An Alexandria & Rhodus sub eodem Meridiano jaceant, &c.

In Modis terrestribus hic inest defectus, 1. quod facile peccetur in montium exacta dimensione. 2. Extremum visus punctum accurate sciri non potest, tum propter refractiones, tum propter oculorum debilitatem.

Hæc de Telluris circuitu maximo, semidiametro, superficie & soliditate dixisse sufficiat. Possemus ex soliditate de pondere ejus judicare, si corpus similare esset: sed quoniam diversi ponderis partes, quarum proportio nos latet, illi insunt, ideo non nisi facta suppositione pondus determinari potest.

Animadversione dignum est, quod Telluris semidiameter sit modulus & mensura omnium cælestium dimensionum tam in assignandis distantiis planetarum à Tellure & à se invicem, quam in magnitu-

gnitudine eorum ſupputanda. Ita dicimus Sol abeſſe à Tellure Semidiametris 1200 circiter, I nam 40, &c.

Cæterum cum in Geographia non tantum mu res Telluris circulos, ut Æquatorem, &c. ſed etia parallelos Æquatoris conſideremus, ideo etiam terminandum, quot milliaria vel perticæ reſp deant uni gradui in ſingulis parallelis. Pertica numerationem ex Snellio deſumſimus, milli ipſe ſupputavi: nempe 1900 pert. pro milliar. G man. 1500 pro Belgico, ſed 475 pro Italico.

Tabula quantitatis unius Gradus in ſingulis Parallelis.

Gradus, quibus paralleli diſtant ab Æquatore, ſive Elevatio poli parallelorum.

	Perticæ unius gr.	Milliaria Holland. *mill.*	*part.*	Milliaria German. *min.*	Milli Itali *min.*
Æquat.	28500	19.		15. 0	60.
1	28496	18.	1496	14. 59	59.
2	28483	18.	1483	14. 59	59.
3	28461	18.	1461	14. 58	59.
4	28431	18.	1431	14. 57	59.
5	28392	18.	1392	14. 56	59.
6	28344	18.	1344	14. 55	59.
7	28288	18.	1288	14. 53	59.
8	28223	18.	1223	14. 51	59.
9	28149	18.	1149	14. 48	59.
10	28067	18.	1067	14. 46	59.
11	27976	18.	976	14. 43	58.
12	27877	18.	877	14. 40	58.
13	27769	18.	769	14. 37	58.
14	27653	18.	653	14. 33	58.
15	27529	18.	529	14. 29	58.

Latitudo.	Perticæ unius gr.	Milliaria Holland.		Milliaria German.		Milliar. Italica.	
		mill.	*part.*		*min.*		*min.*
16	27653	18.	453	14.	25	57.	40
17	27255	18.	255	14.	21	57.	20
18	27105	18.	105	14.	16	57.	4
19	26947	18.	0	14.	11	56.	44
20	26781	18.		14.	6	56.	24
21	26607	17.	1107	14.	0	56.	0
22	26425	17.	925	13.	54	55.	36
23	26234	17.	734	13.	48	55.	12
24	26036	17.	536	13.	42	54.	48
25	25830	17.	330	13.	36	54.	24
26	25616	17.	116	13.	29	54.	0
27	25394	16.	1394	13.	22	53.	28
28	25164	16.	1164	13.	15	53.	0
29	24927	16.	927	13.	7	52.	28
30	24681	16.	681	13.	59	51.	56
31	24429	16.	429	12.	51	51.	24
32	24169	16.	169	12.	43	50.	52
33	23902	15.	1402	12.	35	50.	20
34	23628	15.	1128	12.	26	49.	44
35	23346	15.	846	12.	17	49.	8
36	23057	15.	557	12.	8	48.	32
37	22761	15.	261	11.	59	47.	56
38	22458	15.		11.	49	47.	16
39	22149	14.	1149	11.	39	46.	36
40	21832	14.	832	11.	29	46.	
41	21509	14.	509	11.	19	45.	16
42	21180	14.	180	11.	9	44.	36
43	20843	13.	1343	10.	58	43.	52
44	20501	13.	1001	10.	47	43.	8
45	20152	13.	652	10.	36	42.	24

Latitudo.	Perticæ unius gr.	Milliaria Holland. *mill.*	*part.*	Milliaria German. *min.*	Milliaria Italica.
45	19798	13.	298	10. 25	41.
47	19437	13.	0	10. 14	41.
48	19070	12.	1970	10. 2	40
49	18698	12.	698	9. 50	39.
50	18319	12.	319	9. 38	38.
51	17936	11.	1436	9. 26	37.
52	17546	11.	1046	9. 14	37.
53	17152	11.	652	9. 2	36.
54	16752	11.	252	8. 49	35.
55	16347	10.	1347	8. 36	34.
56	15937	10.	937	8. 23	33.
57	15522	10.	522	8. 10	32.
58	15103	10.	103	7. 57	31.
59	14679	9.	1179	7. 44	31.
60	14250	9.	750	7. 30	31.
61	13817	9.	317	7. 16	29.
62	13380	8.	1380	7. 2	28.
63	12939	8.	939	6. 48	27.
64	12494	8.	494	6. 34	26.
65	12045	8.	45	6. 20	25.
66	11592	7.	1092	6. 6	24.
67	11136	7.	636	5. 52	23.
68	10676	7.	176	5. 38	22.
69	10213	6.	1213	5. 23	21.
70	9748	6.	748	5. 8	20.
71	9279	6.	279	4. 53	19.
72	8807	5.	1307	4. 38	18.
73	8333	5.	933	4. 23	17.
74	7846	5.	346	4. 8	16.
75	7376	4.	1376	3. 53	15.

Latitudo.	Perticæ unius gr.	Milliaria Holland. mill.	part.	Milliaria German. min.		Milliar. Italica. min.	
76	6895	4.	895	3.	38	14.	32
77	6411	4.	411	3.	23	13.	32
78	5925	3.	1425	3.	8	12.	32
79	5438	3.	938	2.	25	11.	28
80	4949	3.	449	2.	36	10.	24
81	4458	2.	1458	2.	20	9.	20
82	3966	2.	966	2.	5	8.	20
83	3473	2.	473	1.	50	7.	20
84	2979	1.	1479	1.	34	6.	12
85	2484	1.	984	1.	18	5.	12
86	1988	1.	488	1.	3	4.	12
87	1492	0.	1492	0.	47	3.	12
88	995	0.	995	0.	31	2.	4
89	497	0.	497	0.	16	1.	4
90	0	0.	0	0.	0	0.	0

CAPUT V.

De Motu Telluris.

MOtus Telluris Pythagoricus sive circumrotatio (non tremor vel concussio illa), causa est plerarumque apparentiarum cœlestium juxta Copernicanos, cum sine illo unusquisque locus perpetuam harum constantiam habiturus fuisset. Sed nulla est Telluris affectio, de qua major atque severior sit disputatio, cum etiam non ita dudum censuram Romanæ Ecclesiæ passa sit. Quoniam autem admodum verisimile multis videtur, eum dari, ideo paucis eum explicare conabor.

Solem, Lunam, omnesque cœli stellas apparere singulis diebus, hoc est, spatio 24 horarum ab Oriente ad Occidentem moveri, & ad eadem fere cœli

cœli loca redire, nemini vel ex vulgo ignotum. Oportet itaque vel ipsas moveri revera, vel moveri, atque nostrum motum imputari stel. Etenim si duæ res distantiam mutent, altera ad minimum mota fuit; quod axioma manifestissimum est.

Terram stare, stellas cum cœlo moveri, veteris fuit & est opinio Astronomorum, qui Ptolemaici vocantur: sed stellas suum constanter tenere locum, & terram circumgyrari circa suum centrum olim defenderunt Pythagorici, quorum princeps fuit celeberrimus Aristarchus Samius, qui proprio hujus placiti defensionem ab adversario & inimico suo accusatus est violatæ religionis coram Areopagitis, sed absolutus judicum sententia. Cæterum paucos reperit adstipulatores hoc dogma, imo multis seculis oblivione quasi sepultum fuit, adeo nulla ejus in scholis vel mentio facta, donec Copernicus Astronomus insignis ante duo circiter secula magnum ei conciliavit nomen, atque excitavit, ut plurimi Astronomi & quidem excellentes dogma hoc amplecterentur atque multis rationibus confirmarent: inter quos non ita pridem floruerunt Dominus Keplerus Cæsarum Mathematicus, Galilæus de Galilæo Italus, & Magni Hetruriæ Ducis Mathematicus, & Lansbergius Belga. quoniam duplex nobis deprehenditur cælestium corporum motus, primus, quo omnes stellæ tam fixæ quam planetæ pari tempore, nempe 24 horis circa tellurem ferri videntur, atque oriri, meridiem agere & occidere: Secundus, qui proprius dicitur, quo planetæ diverso motu ab Occidente in Orientem, ut etiam stellæ fixæ ferri observant. Ptolemaici utrunque hunc motum ipsis Stellis seu Orbibus inesse affirmant: Copernicani autem primum illum motum solius Telluris non circumlationi de loco in locum, sed ejus in loco

mani

manenti in Orien tur) assi fixas & tes mot que axi planetis tam esse ponunt re cum, n illam di pore qu Mercuri

Ratio

1. Qu horis 24 cere, & tis in su rationi c lum: fie quantib apparen tum asse facere p est, in h

2. Q superans enim cu vastissim minuto tium fer scribatur de mini suum ax

3. A compare terrestri.

manentis rotationi circa suum axem ab Occidente in Orientem (qualis omnibus stellis indita videtur) asscribunt: Secundo autem illo motu stellas fixas & Solem etiam liberant, & horum apparentes motus Telluris circumlationi circa Solem atque axis inclinationi attribuunt, relquis tamen planetis eum relinquunt: nimirum Solem planetam esse negant, sed Tellurem in ejus locum reponunt: Solem vero in Ptolemaicum Telluris locum, nimirum Centrum totius mundi (subtilem illam differentiam Copernici non jam specto), utpote qui Telluri, Saturno, Jovi, Marti, Veneri & Mercurio sit causa circumeundi.

Rationes hujus dogmatis sunt hæ.

1. Quoniam tantus est numerus stellarum, quæ horis 24 circa Tellurem circuitum videntur perficere, & hæc apparentia per unius Telluris manentis in suo loco motum explicari potest, ideo magis rationi consentaneum est, hunc statuere, quam illum: sicut nobis in navi sedentibus, & appropinquantibus ad stationem multarum navium, quæ apparent nobis appropinquare, non ideo hisce motum asscribimus. Et omnino cum natura non soleat facere per plura, quod per pauca potest, verisimile est, in hac quoque re illud observatum esse.

2. Quia incredibilis & omnem cogitationem superans celeritas, motus stellarum illius foret: Etenim cum infinito fere spatio à Tellure absint, & vastissimus orbis illis percurrendus sit, uno horæ minuto ad minimum per centena millia milliarium ferri deberent. Contra, si Telluri motus adscribatur hic primus, manet hæc in suo loco, neque de minima celeritate timendum est, quia circa suum axem rotatur.

3. Accedit argumento huic majus robur, si comparemus vastitatem corporum cælestium cum terrestri. Etenim cum Sol ad minimum ducenties

major

major sit Tellure, stellæ vero fixæ vel millies jores, cui non verisimilius fiat, Tellurem circa suum axem motu naturali, quam tanta pora incredibili pernicitate de loco in locum veri?

4. Quoniam omnes Astronomi illustriores Tychone coacti apparentiis jam negant Orbes lidos, quibus antiqui ad faciliorem stellarum tus hypothesin utebantur, ideo multo incred lior videtur illarum circumlatio circa Tellu Negant autem orbes solidos, quia si hi essent, cedenda esset penetratio orbium mutua, cum dam planetæ in alterius alicujus sphæra depre dantur frequenter.

5. Nulla ratio reddi potest, cur stellæ circa lurem moveantur, cum contra, cur Terra & qui planetæ circa Solem cum reliquis planetis veatur, aliqua possit dari ratio.

6. Quia nec polus, nec axis est realis circa q stellæ ferri ponuntur: contra in Tellure & pol axis est.

7. Quia multo facilior est navigatio ab Occi te in Orientem, quam ab Oriente in Occident Etenim ex Europa in Indiam navigatur menf circiter quatuor, ex India in Europam reditur mensium spatio circiter. Nimirum quia in illa vigatione in eandem plagam cum Tellure mo tur: in hac vero in contrariam.

8. Quia omnes apparentiæ cœlestes, ortus, casus syderum, dierum incrementum, &c. pos explicari, si Tellurem moveri ponamus. Inpr autem hujus hypothesis commoditas & neces conspicitur in admirandis illis Planetarum ctionibus, ad quas explicandas Ptolomaici mu circulos Epicyclos & Eccentricos sine ulla rat excogitare coguntur: Copernicani autem illa Telluris motu secundo circa Solem facili ne

deducunt ita, ut manifestam illarum causam reddant, & adeo facilem, ut vel indocti illam capere possint, nimirum 1. Cur planetæ interdum retrogradi videantur, & quidem Saturnus sæpius & diutius quam Jupiter, Jupiter quam Mars, &c. interdum celeriori motu ferri, interdum stationarii esse. 2. Cur Venus & Mercurius nunquam possint tota nocte conspicui esse. 3. Cur Venus nunquam majori à Sole intervallo, quam sexaginta graduum, Mercurius non majori, quam triginta graduum intervallo discedat, & ideo nunquam oppositi conspiciantur Soli. 4. Cur Venus ejusdem diei & vespere post Solem & mane ante Solem possit conspici.

Plures apparentias afferre supersedeo: sed illæ præcipuæ sunt, ex quibus ego existimo argumentum magni momenti peti hujus motus Telluris, cum per hunc adeo apposite & jucunde explicentur, ut admirandum potius esset, si Tellus non moveretur talibus apparentibus phænomenis.

Hæc sunt faciliora argumenta, quibus Copernicani Motum Telluris evincere volunt, quæ etsi Apodictica non sint, tamen admodum probabilem reddunt hanc hypothesin præ illa, quæ cœlum moveri ponit. Alterutrum enim admittendum est.

Illæ vero rationes, quas quidam in contrarium afferunt, facili negotio dissolvuntur: sunt enim hæ: 1. Terram esse ineptam ad motum propter gravitatem. 2. Partes telluris moveri naturaliter motu recto ad centrum, ideo circularem motum esse contra naturam ejus. 3. Si tellus moveretur, lapidem è turri demissum non posse cadere ad pedem turris. 4. Globum è tormento explosum versus Orientem ad metam aliquam (vel etiam si avis quædam ad Orientem volaret), non posse hanc attingere, si meta cum tota Tellure versus

Orientem moveretur: vel saltem celeriorem s attactum, quam si ad Orientem emissus e globus. 5. Neque turres neque ædificia consist posse, sed propter illum Telluris motum collap ra esse, neque homines à vertigine immunes re. 6. Quia videmus, inquiunt, stellas mutare cum, non autem Tellurem. 7. Quia tellus est centro mundi: centrum autem non moven 8. Quia Sacræ literæ stabilitatem Telluris com mant.

Etenim ad hæc Copernicani respondere sol hunc in modum. Ad primum, negando tot Tellurem gravem esse: namque gravitas est p tium ad totum homogeneum tendentia: & t gravitas quoque in Lunæ partibus & Solis den est, neque tamen Luna vel Sol gravis dicitur.

Ad secundum dicunt, motum illum rect esse partium Telluris, non totius Telluris, an hujus circularem motum non impedire illa rectilineam lationem, quod declaratur à parti Lunæ & Solis.

Ad tertium respondetur triplici modo. 1. mo enim gravia talia non ad centrum prim feruntur ad ipsam Tellurem, & ideo brevissim nea ad superficiem ejus: brevissima autem hæc, quæ turri respondet sicut ferrum non ad trum magnetis, sed ad magnetem tendit. 2. Te aër adhæret Telluri & cum hac movetur, ide tiam talia gravia demissa simul hunc circula motum acquirunt & moventur tanquam in 3. Gassendus crebra experientia demonstra quod si ex moto corpore aliquid projiciatur, projectum etiam illo motu corporis moveri gr. lapidem dejectum è fastigio mali navis cel rime motæ, tamen non relinqui à navi, sed ad dem mali decidere: Et è pede mali explosum pendiculariter è sclopeto globum, rursus per

dicu

diculariter decidere. Itaque allata objectio nihil valet.

Ad quartum respondetur eodem modo, ut ad tertium.

Ad quintum dicimus tale quid locum non habere, quia motus est æquabilis, nec in aliud corpus impingit, & ædificia tanquam corpora gravia & Telluri homogenea moventur tanquam in navi. Etenim in navi celerrime etiam vel tardissime mota, si modo æquabilis sit navigatio, hoc est, sine fluctibus & aquâ planâ deprehendimus erecta corpora non everti, imo pocula vino plena nihil effundere. Ad sextum, dicimus mutationem loci stellarum non sentiri, sed situs respectu nostri mutationem deprehendimus: potest autem hæc situs mutatio animadverti & esse, sive nos cum Tellure sive nobis immotis stellæ moveantur, vel etiam & nos & stellæ.

In septima objectione & major & minor falsa est, vel saltem dubia.

Ad octavum respondetur, 1. Scripturam Sacram in rebus physicis loqui secundum apparentiam & vulgi captum, ex. gr. quando Luna cum Sole dicitur magnum luminare quod ad noctem illustrandam creatum sit, cum tamen nec Luna magna sit, respectu stellarum & telluris, nec proprium lumen habeat, neque omnibus noctibus illuminet terram. Ita Solem ab extremitate ire & ad extremitatem redire dicit Scriptura, cum tamen revera talis extremitas nulla sit. Ita in Jobi libro attribuitur Telluri figura plana & quadrata, cui columnæ sint suppositæ, quibus innitatur, quod quidem haudquaquam ita intelligendum esse, vel vulgus novit. Plura loca adduci possent: sed sufficiunt hæc. Namque sacræ literæ nobis non ad philosophandum sed ad pietatem colendam concessæ sunt. 2. Loca quædam Scripturæ adduci solent,

quæ non de immobilitate ejus, sed de constan
& duratione loquuntur, ut locus ille quem e
bo attulimus.

Ita paucis enarravimus, qualis sit motus,
à Copernicanis Telluri ascribitur, cujus acc
tior explicatio in Astronomia solet adhiberi.
autem supposito, applicanda erunt ad Tellur
omnia illa, quæ in circumrotato globo spec
solent, nempe: Axis, circa quem rotatur, est
ex diametris: Poli, sunt extremitates axium
duo puncta, quæ non moventur: tertio circu
maximus seu peripheria, juxta quam fit circum
tatio, & ejus paralleli. Nunc de quantitate il
motus seu celeritate videamus. Motus prim
quo circa suum axem Tellus convertitur, non
test in tota Tellure spectari, sed in diversis l
diversus est, nempe quo locus Æquatori pro
est, eo majori celeritate & spatio movetur;
propior polo, eo tardius & minori spatio: m
mus vero est in locis, quæ in Æquatore jac
Etenim quoniam viginti quatuor horis qui
telluris locus circumvolvitur per peripheriæ
græ spatium, nempe 360 gradus, ideo spatiu
nius horæ invenitur, si 360 dividantur per 24;
tus enim est quindecim graduum: Hi gradus
quibus locus in Æquatore vel extra eum jace
cumvolvitur in una hora: faciunt autem si in
quatore locus jacet, milliaria Germanica 22;
quatuor horæ minutis volvetur per unum grad
hoc est, quindecim milliaria, & in uno horæ m
to per 3¾ milliaria.

Sed loca extra Æquatorem versus polum
utrum jacentia, ejusdem horæ spatio per toti
quidem gradus sed multo minores rotantur, m
rum eadem est ratio inter motus celeritate
iter duorum locorum, quæ est inter sinus arcu
quibus illa loca à polo distant. Ex gr. Amste

mi distantia ab Æquatore, seu Elevatio poli est 25 gr. 23 min. Itaque distantia à polo est 37 gr. 37 min. cujus sinus 61037. Sumamus alterum locum esse in Æquatore cujus distantia à polo est 90 graduum, hujus sinus 100000. Et vero locus sub Æquatore quatuor minutis horæ fertur per quindecim milliaria, & una hora per 225. Quare per regulam auream,

Ut 100000 ad 61037, ita 15 ad 9 milliaria.

Vel, ita 225 ad 135 milliaria,

Itaque Amstelodamum hoc motu singulis horis fertur per 135 milliaria, & quatuor horæ minutis per novem.

Sed multo facilior est hujus inventio per Tabulam, quam in præcedentis capitis fine posuimus. Quoniam enim facta divisione 360 graduum per 24 horas, deprehendimus singulis horis quemlibet locum moveri per quindecim gradus sui circuli, & ideo per unum gradum moveri quatuor minutis horæ, ideo si cum loci propositi elevatione poli vel distantia ab Æquatore ingrediamur Tabulam illam, inveniemus ad gradus Elevationis datæ adscripta milliaria, quæ debentur motui propositi loci spatio quatuor horæ minutorum. Ex. gr. Stockholmiæ Elevatio poli est 60 gr. circiter. & in Tabula ad gradum 60, invenio respondere uni gradui milliaria septem. Itaque dico Holmiam quatuor horæ minutis moveri vel gyrari per tot milliaria.

Tantus est motus primus spectatus in Telluris locis. Sed motus secundus est totius Telluris de loco in locum, & omnes partes seu loca moventur æquali celeritate & per æquales peripherias. Hujus quantitas ex Telluris à Sole distantia dependet, & perficitur integro anno, atque adeo singulis diebus Tellus perambulat unum circiter gradum, & in una hora duo minuta cum dimidio.

De Tertio Telluris motu, quoniam difficil rem habet contemplationem, Astronomis ag dum relinquo, quia in Astronomia ejus suppone di necessitas est. Origanus quidem de secundo Mo etiam controversiam movit, existimans primu solum Telluri convenire, secundum autem sol stellis fixis relinquendum esse: sed apparentia motibus planetarum, quas antea attulimus, secu dum Telluris motum satis adstruunt.

CAPUT VI.

De situ seu loco Telluris respectu Planetarum & Stellarum.

CONsideratio situs Telluris in toto hoc Mu Systemate respectu reliquorum Planetar affinem habet contemplationem ei, quam de M tu Telluris in præced. cap. attulimus. Commu enim sententia Philosophorum & Astronomor Ptolomaïcorum statuit, Tellurem occupare Ce trum hujus Universi, ita ut in medio sit omni stellarum & Planetarum. Copernicani vero c antiquis Pythagoricis collocant Solem in cen omnium stellarum, Tellurem vero tanquam p netam inter Martem & Venerem constituunt, que annuo cursu circa Solem circumferri arbitr tur, quod ex diagrammate melius intelligi In eo tamen duæ hæ discrepantes sententiæ co veniunt, quod utraque fatetur, in Tellure c centrum motus illius primi, quo stellæ spatio horarum circumferri nobis videntur. Hac en hypothesi & Astronomia & Geographia indig ita ut sive Ptolomaïcam sive Pythagoricam s tentiam sequaris, nihil ideo firmitati & certitu ni vel Astronomiæ Generali, & Geographiæ de dat. Differentia enim opinionum in hoc consi

qu

quod Ptolomaïci motum hunc ipsis stellis volunt inesse, Pythagorici quiescentibus stellis Telluri eum assignant; quorum neutrum vel Astronomiæ communi vel Geographiæ necesse est statuere.

Juxta Ptolomaïcos situs Telluris ad planetas & stellas fixas est hic, Tellus, Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Jupiter, Saturnus, Stellæ fixæ.

Juxta Copernicanos talis: Sol in medio Systematis mundi tanquam Cor & focus collocatus est, post eum Orbita Mercurii, Veneris, Telluris, Martis, Jovis, Saturni, Stellarum fixarum.

Si quæras, quantum Tellus & nos in Tellure existentes distemus à Planetis, sciendum est, non esse unam & eandem perpetuo distantiam, sed singulis diebus mutari, & propterea Astronomi tres distantiarum gradus recensent, Minimam, Mediam, Maximam. Media distantia Telluris à reliquis Planetis juxta plurimos Astronomos est hæc:

A Luna distat semidiametris suis 60.
A Mercurio 110.
A Venere 700.
A Sole 1150.
A Marte 5000 circiter.
A Jove 11000 circiter.
A Saturno 18000.

Verumenimvero omnino incerta est Martis, Jovis, Saturni & stellarum fixarum distantia, ob defectum parallaxis. In Copernicana Hypothesi distantia variatur non tantum à Planetarum motu, sed etiam à motu ipsius Telluris.

Rationes utriusque sententiæ, Ptolomaïcæ nimirum & Copernicanæ, de situ Telluris sunt eædem fere cum eis, quas in præcedenti capite de Motu Telluris attulimus: cum hoc enim magnam habet affinitatem hæc disputatio. Si enim secundum motum, qui proprius dicitur, Soli tribuas, non Sol sed Tellus erit in medio: si vero Telluri,

non Tellus sed Sol in medio erit. Pro Copernicanorum nimirum sententia adduci possunt hæc:

1. Sol non tantum fons lucis est, quæ tanquam clarissima fax illuminat Tellurem, Lunam, Veneren & reliquos sine dubio planetas, sed etiam fons eus caloris & Vitalis Spiritus quo totum hoc universum foveri & sustentari videtur. Ideo medium locum omnium obtinere, & hos circa eum moveri probabile.

2. Verisimilius est Tellurem circa Solem moveri ut cum reliquis Planetis ab eo lumen & calorem accipiat; quam Solem circa Tellurem ferri, cum ab hac nihil accipiat.

3. Sole collocato in medio, redditur alia causa, quare reliqui planetæ & tellus circa eum ferantur, nimirum quia Sol vastissimum corpus & magnis viribus præditum, ideo reliquos Planetas ad motum excitat. Et imprimis hæc ratio cum habet, si Kepleri hypotheses de motibus Planetarum amplectamur.

4. Solem circa axem suum rotari probant observationes Galilæi & Scheineri de Maculis solaribus. Hac igitur ratione reliquis planetis circumeundi causa existit, nec videtur ei alius motus attribuendus.

5. Si Telluri locum inter Martem & Venerem, Soli vero centrum attribuamus, apte respondet motus singulorum planetarum distantiæ à centro, quod in Ptolomaica hypothesi non fieri potest ex Motuum Solis, Veneris & Mercurii consideratione.

6. Apparentiæ illæ cœlestes, quibus in principio capite ad Motum Telluris secundum probandum usi sumus, valent quoque ad locum hunc, quem dixi, Telluri attribuendum, nimirum retrogradationes planetarum cursus, statio, Veneris & Mercurii mirabiles apparentes motus, &c. Etenim motus

ille secundus Telluris, hunc Telluris locum & situm præsupponit, vel proxime sibi conjunctum habet. Est vero hoc argumentum meo quidem judicio præcipuum. Ex primo autem Telluris motu nihil pro situ Telluris colligendo desumi potest: namque Tellus in centro Mundi esse potest, si absque secundo esset, ut etiam Origanus statuit.

7. Sic quoque commode explicatur variatio distantiæ planetarum à Tellure. Verumenimvero Aristotelici cum Ptolomaicis sententiam Pythagoricorum pluribus impugnant argumentis, & Telluri centrum pro loco vendicare conantur hisce rationibus. 1. Gravia feruntur ad centrum mundi. Tellus autem gravissimum corpus est: itaque centrum illud occupat. 2. Gravia à Tellure discederent versus centrum universi, nisi in Tellure hoc centrum esset. 3. Centrum est locus ignobilissimus, & Tellus etiam pars ignobilis hujus Universi: Itaque centrum occupabit. 4. Si Tellus esset extra mundi & stellarum motus centrum, tunc stellæ & constellationes quibusdam anni temporibus & diebus viderentur majores, quam aliis. 5. Neque media cœli pars semper conspicua foret, ut oriente Tauro, occideret Scorpius, &c. 6. Neque æquinoctia forent. 7. Neque Luna eclipsata oriente Sol occideret, &c. 8. Neque singulis gradibus in cœlo in Tellure responderet æqualis milliarium numerus.

Rationes has Aristotelicas Copernicani facili opera diluunt. Prima enim & secunda resellitur, quoniam gravium motus non ad centrum universi, sed ad corpus homogeneum est, ut ex partibus Lunæ, Solis, Magnetis probatur. Tertia ratio falsam assumit Majorem & Minorem. Namque & centrum nobilis locus est, & Tellus non ignobilis. Reliquæ rationes refutantur facile per

Diagrammata, hoc saltem præsupposito, Tell à Sole seu Centro distantiam, utut magna tamen si ad stellarum fixarum distantiam à comparetur, tam parvam esse, ut nuliam ad proportionem habeat: hoc autem videtur nullis magnum postulatum in Astronomia Copnicana.

Cæterum ad hunc locum pertinet explic theorematis, distantiam stellarum fixarum & riorum planetarum, Martis, Jovis & Saturni, tam esse à Tellure, ut semidiameter Telluris lam habeat ad eam proportionem: Lunæ vero neris & Mercurii distantiam tantam non esse Sole dubium est adhuc: certe si quæ est semi metri Telluris ad distantiam Telluris à Sole prop tio, ea admodum exilis erit.

Probatur autem theorema ita. 1. Stellæ & planetæ superiores eodem momento orin bis apparent, quo per supputationem factam apparerent, si in centro Telluris constituti mus. Itaque distantia nostri loci à centro tell hoc est semidiameter ad distantiam fixarum lam habet proportionem. 2. Si stellæ fixæ vel nius superiorum planetarum altitudinem meri nam vel aliam Instrumento capiamus, deprehe dimus eandem, ac si in centro Telluris eam ob vassemus; itaque semidiameter Telluris evane respectu istius distantiæ. 3. Si aliqua esset prop tio, tunc distantia duarum stellarum minor de henderetur circa Horizontem, quam circa Meri num, quia in hoc situ propiores sunt Telluri fere semidiametro Telluris.

Idem de Sole valet, namque illius diameter deprehenditur major in Meridiano, quam cum huc in Horizonte est.

Lunæ vero diameter in Meridiano obsere paulo major, quam cum in Horizonte est. Ita

in Meridiano aliquantulum propior est nobis, nempe una fere semidiametro Telluris.

CAPUT VII.

De telluris substantia & constitutione.

CONsideravimus in præcedentibus capitibus quatuor generales Telluris affectiones seu proprietates, nulla habita ratione ipsius substantiæ seu essentiæ. Hanc vero illis explicatis jam contemplari convenit, ut quale corpus sit Terra, quomodo partes ejus cohæreant, sciamus: quod etsi magis Physicum videatur, tamen quoniam ad perfectam Telluris cognitionem requiritur, paucis de eo agemus, accuratam hujusce theoriam Physico relinquentes.

PROPOSITIO I.

Ex quibus corporibus simplicibus & similaribus Tellus constet sive composita sit, exponere.

Diversæ sunt super hac re Philosophorum opiniones. Peripatetici quatuor numerant Telluris & totius sublunaris Orbis elementa, vulgo satis jam nota, Ignem, Aërem, Aquam & Terram. Multi ex veteribus, ut Democritus, Leucippus, statuebant, totum mundum constare ex minimis particulis solidis, quæ tantum variis figuris & magnitudine differant: eosdem multi è recentioribus sequuntur, & nuper Cartesius conatus est juxta talem hypothesin omnia naturalia phænomena explicare.

Chymici tria ponunt principia, Solem, Sulphur & Mercurium, quibus Caput Mortuum quidam recte addunt, cum tria illa sint fœcunda. Mihi sepositis ambiguis vocabulis & rebus bene expensis quinque videntur esse prima simplicia corpora, nempe, Aqua, Oleum seu Sulphur, Sal, Terra &

Spiritus quidam, quem acidum nonnulli ap-
lant, sive is sit Mercurius Chymicorum. Et
omnia corpora & partes Telluris resolvuntur
quinque illas elementares substantias. Non
men negaverim, illas ipsas non tam essentia in
na, quam singulari figurarum & magnitudi
varietate differre.

Ex hisce proinde corporibus tota Tellus con
quæ multis modis commixta sunt, unde ta
corporum varietas existit, quæ diversa à se inv
& similaria apparent. Verum de hisce accura
explicatio ad Physicam pertinet, ubi plenius
quando ista tractabimus.

Propositio II.

Tellus dividitur in partem siccam & liquidam, in Terram & Aquam, quibus alii atmosphæram jungunt.

Vulgaris hæc est Geographorum divisio, &
mitur tunc Aqua in lata significatione pro o
liquido seu fluido, sicut Terra pro tota sicc
consistente Telluris parte, adeoque varia & di
sæ naturæ corpora complectitur, nempe ad T
ram referuntur hæ: 1. Arena, sabulum, arg
& terræ minerales, Creta, Cinnabaris, Oc
Terra Lemnia, Samia, Armenia & aliæ multa
cies. 2. Lapides, quorum magna est varie
3. Metalla, Aurum, Argentum, Æs, Stann
Plumbum, Mercurius seu argentum vivum: T
Terræ metallicæ, aureæ, argenteæ, &c. 4. Sulph
Salia, Nitrum, Alumen, Bitumen, Vitriolum,
timonium, 5. Herbæ & animalia.

Ad aquam referuntur 1. Maria & Ocean
2. Fluvii & aqua dulcis. 3. Lacus, paludes. 4. A
minerales, ut thermæ, acidulæ, &c.

Atmosphæra est subtile illud corpus, quod T
lurem cingit versus cœlum, & complectitur

rem, nubes, pluvias, &c. In has itaque tres partes Tellus commode dividitur.

Propositio III.

Quomodo terra & aqua cohæreant & Tellurem constituant, exponere.

1. Terra, hoc est sicca Telluris pars, non una & æquabili superficie terminatur, sed multas habet cavitates, multas elevatas partes. In cavitatibus, quæ circa totam terram hinc inde reperiuntur, continetur mare seu Oceanus, atque ideo pars superficiei terrestris tegitur aquis, pars extat & eminet supra aquas. Ipsæ cavitates non æquabili cavitate factæ sunt, sed hinc inde scopulos & elevatas partes habent, alicubi admodum depressas voragines. Ita pars terræ extans supra aquas habet quosdam quasi umbilicos in medio sui, & aliæ partes aliis magis vel minus elevatæ seu depressæ sunt. Ita fit, ut aqua ambiens totam Tellurem impediatur, ne totam terram obtegat, sed partes altiores & extantes sint insulæ, quarum quædam magnæ, quædam parvæ.

2. Præter illam continuam cavitatem seu alveum in Terra in exteriori superficie, intus quoque in soliditate Terræ existunt innumeri hiatus, recessus, anfractus, cuniculi, voragines, tubuli, vasta receptacula, in quorum quibusdam mare est, nempe quæ alveo maris per aliquam viam conjunguntur, in quibusdam aqua dulcis, fluvii, amnes, in quibusdam spiritus vel etiam sulphurea & fumans substantia. Recte Seneca: Nimis ille oculis permittit, qui non credit esse in abscondito terræ sinus maris vasti. Nec enim video, quid prohibeat vel obster, quo minus illic habeatur aliquod etiam in abscondito littus, & per occultos meatus receptum mare. Multas itaque cavitates in ipsa solida terra existere, non est quod du-

bitemus. Etenim id conjicimus ex hisce. 1. fluviis, qui reperiuntur in multis locis, ubi ad signem profunditatem effoditur terra, quod in dinis frequens est. 2. In nonnullis locis immensa est maris profunditas. 3. Specus aliquot in terra. In Occidentali parte insulæ Hispaniæ mons est visendæ altitudinis, multis intus cavis specubus, in quibus tanto sonitu, tantis aquarum fragoribus præcipitantur fluvii, ut ad quinque milliaria procul ea ruina exaudiatur. 4. Voragines quædam in mari reperiuntur, quas vocant *Maestroom*. 5. Terræ motus etiam probant subterranearum cavitatum existentiam. 6. Fluvii quidam sub terram se condunt, ut Niger, Tigris, &c. 7. Fontes salsi qui sine dubio (maxima saltem parte) à mari fluunt, reperiuntur in multis locis. 8. In multis locis terræ ad ambulantium ingressum tremunt, ut circa fanum S. Omer in Belgio, & in agro Brabantino (*die Peel*).

COROLLARIUM.

Ex hisce itaque patet, falsam esse veterum quorundam Philosophorum sententiam, qui totam terram aquæ innatare defenderunt. Sic enim nulli essent maris alvei, sed ubique immensa ejus profunditas. Ex antiquis Philosophis quidam eam dicuntur fovisse opinionem (ut Democrito asscribitur) quod aqua olim Terræ fuerit commixta, ita ut tota Tellus mollis esset, mediamque inter siccum & liquidum haberet naturam, sive consistentiam atque figuram perfecte rotundam, sive sphæricam: deinde vero aqueas particulas paulatim coivisse in unum corpus propter naturalem conjunctionis proprietatem, quæ in aqua deprehenditur: atque tunc terrestres partes aqua destitutas in se collapsas esse & condensatas, factosque ab aqua alveos esse inter terras hinc inde

de. Eandem opinionem plurimi Christiani Philosophi moderni defendunt, & ita Mosis vel potius ipsius Dei ter opt. max. in prima creatione verba à Mose allata intelligenda censent: *Congregentur aquæ in locum unum, & appareat arida.* Sed Doctores primitivæ Ecclesiæ sive Patres plerique aliter de hoc sentiunt. Opinantur enim, Aquas jam tum fuisse separatas à partibus terrestribus, verum circa totam terram extitisse sive terram texisse, atque ita in naturali suo loco fuisse. Deinde autem verbis illis Jehovæ miraculose aquam recessisse & terras detectas fuisse, & in hunc usque diem per singularem Dei providentiam aquas impediri vel coërceri, quo minus terras iterum tegant, adeoque pro miraculo habendam censent hanc terrarum & Oceani constitutionem. Verum enim vero sine sufficienti causa hac in materia eos ad miraculum confugere, probabimus capite XVIII, ubi ostendemus, quod aquæ sive Oceani inundatio in omnes terras prohibeatur ab altitudine & consistentia terrarum, quæ si à causis quibusdam, quarum variæ sunt, tollatur, non cessat Oceanus in illas terras invadere, atque eas obtegere. Est itaque hic causa manifesta, neque miraculo opus est. Neque antiquorum Philosophorum sententia antea adducta difficultate caret, nimirum si aqua terræ ita commixta fuit in unam massam, cur non potius terrestres partes subsiderint, & sic aqua totam terram texerit: illi hoc fortuitæ partium aquearum, ut etiam terrestrium, conjunctioni & motui ascripserunt. Hæc obiter dicta sunto propter nonnullos, qui de hisce anxie solent inquirere: ad Geographiam enim non pertinent, quippe quæ nec veterum opiniones curat, nec in explicandis Telluris proprietatibus confugere debet ad miracula.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Terrarum superficies continua est, aquarum item.

Etenim superficies terræ extantis continua alveorum maris superficiei, & hæc aliis extantibus terræ partibus. Ita quoque Oceani & sinuum atque fluviorum una est continua superficies, non omnium aquarum, quia lacus quidam sunt qui cum Oceano non conjunguntur superficie nus, ut Parime lacus, Caspium mare.

PROPOSITIO V.

Quomodo Telluris partes, quæ à superficie, hac nostra habitatione sunt remotæ versus centrum, constitutæ sint, incertum est.

Quidam existimant, aquam esse circa Telluris centrum in imo. sed verisimile magis est, terram eum occupare locum. Gilbertus Anglus opinatur Telluris corpus intus nil aliud esse, nisi dum mum magnetem, illas vero partes, ad quas homines fodiendo perveniunt, & in quibus herbæ crescunt, & nos vivimus, esse tanquam corticem crustam Telluris, in qua continuæ generationes & corruptiones fiant. Non multum diversa Cartesii sententia, qui existimat, tres regiones versæ substantiæ in Telluris corpore esse. Intimam circa centrum ejus, secundam densam & opacam ex particulis minutissimis, tertiam, in qua homines occupantur, ex particulis minus cohærentibus.

Verumenimvero de hac re vix quicquam certum asseverare licet. In plurimis subterraneis locis ignem glisceere & fumos à sulphure elevari, manifestum est ex thermis. Thurnheuserus affirmat experientia se edoctum esse, quod in fodinis

minus aquæ deprehendantur, quo profundiores sive centro Telluris propiores sunt. Verum ex particulari ejus observatione non existimo satis tuto aliquid asseverandum esse.

PROPOSITIO VI.

Consistentia Terræ & coharentia est à sale.

Artificiosa resolutio partium terræ ostendit, quod in omnibus reperiatur quædam salis species, & eo plus, quo est durius corpus, (exceptis paucis oleosis) ut in metallis, petris, &c. Et omnium rerum concretionem à sale esse, manifestum est ex lapidibus, quos arte efficere possumus è Sale durissimos. Quod si à terra separes Salem, non illa amplius cohærebit. Sed pulvis erit, neque ad duritiem reduci potest sine Salis admixtione.

PROPOSITIO VII.

Terrarum species variis modis inter se commixtæ sunt in Tellure.

Ita in fodinis reperiuntur particulæ aureæ, argenteæ, plumbeæ, &c. non coacervatæ & ab aliis sejunctæ, sed tum inter se invicem, tum cum inutili terra mixtæ, secundum minimas particulas, ut non primo aspectu sed aliis indiciis deprehendant artifices, quid in quavis metallica terra contineatur. Eodem modo in agris miscetur arena argillæ, limo, sali, &c. Cum Amstelodami aliquando ad puteum faciendum effoderetur terra usque ad ducentorum & triginta duorum pedum profunditatem, hæ species terrarum oblatæ sunt. Hortensis terræ pedes septem, nigræ ad ignem nutriendum aptæ, quam vocant Torff (neque enim sunt cæspites proprie loquendo) pedes novem, argillæ mollis novem, arenæ octo, terræ quatuor, argillæ decem, terræ quatuor, arenæ, super qua solent domus Amstelodamenses fistucari, pedes decem,

argillæ

argillæ duo, ſabulonis albi quatuor, ſiccæ
quinque, turbidæ unus, arenæ quatuordecim,
gillæ arenariæ tres, arenæ cum argilla mixtæ
que, arenæ marinis conchulis mixtæ quatuor,
inde fundus argillæ ad centum & duorum pe
profunditatem, denique ſabulo triginta pedu
unius, ubi foſſio deſiit.

PROPOSITIO VIII.

*Cavitates terræ, & tam externa quam interna
diſpoſitio & partium ſitus non ſunt perpetuo eadem
diverſis temporibus diverſa.*

Etenim non tantum aqua maris varias
tiones & ruinas in terræ partibus efficit,
quædam foramina obſtruuntur, quædam la
redduntur, ſed etiam ſpiritus & ſulphureæ ſub
tiæ in terra hinc inde latitantes cum gliſcere
piunt & in vapores reſolvi, impetuoſe partes
movent & protrudunt, ut ex terræ motibus
feſtum eſt. Et veriſimile eſt in interioribus T
tis partibus ſimiles fieri motus quorum maio
partem nos non ſentiamus.

De mutua vero aquæ & terræ mutatione
perficie Tellutis dicemus capite XVIII.

- TELLUS dividitur in TERRAM { tectam aquis, & Extantem. } & AQUAM.
  - TERRÆ autem extantis Superficies per Maris interfluxum distinguitur in partes hasce quatuor
    - 1. In MAGNAS CONTINENTES sive Maximas Insulas, quarum quatuor numerantur à nobis.
      - 1. VETUS ORBIS, cujus partes. { Europa. Asia. Africa. } Termini hujus Continentis sunt { A Septent. Mare Boreale, glaciale & Tartar. Ab Oriente, Pacificum & Indicum. Ab Austro, Australe. Ab Occidente, Atlanticum. }
      - 2. NOVUS ORBIS, seu AMERICA, cujus partes { Septentrionalis & Meridionalis. } Termini hujus sunt { A Septentr. Fretum Davis. Ab Oriente, mare Atlanticum. Ab Austro, Fretum Magellanicum. Ab Occidente, mare Pacificum. }
      - 3. TERRA POLARIS SEPTENTRIONALIS, sive Groenlandia. Cingitur undique mari & fretis.
      - 4. TERRA AUSTRALIS seu Magellanica incognita.
    - 2. PENINSULAS seu CHERSONESOS, quæ sunt Continentium illarum partes.
      - Rotundas, quarum latitudo & longitudo sunt æquales circiter. { Africa ipsa. Peloponnesus seu Morea, Chersonesus Græciæ. Chersonesus Taurica, seu Tartaria Przecopensis. Cambaia. }
      - Oblongas, quarum multæ sunt: { 1. Chersonesus aurea seu Malacca, adhærens Indiæ. 2. Cimbrica, sive Jutlandia, adhærens Holsatiæ. 3. Corea, adhærens Tartariæ. 4. 5. Partes Americæ Septen. & Merid. } 6. California. 7. Jucatan. 8. Chersonesus Thraciæ. 9. Nova Francia. 10. Ionia, Cnidensis, Myndensis.
      - Affines peninsulis sunt { Italia, Græcia, Achaia in specie. Hispania, Asia minor, Arabia. Norwegia cum Suecia & Lappia. Beach regio Magellanicæ, & nova Guinea. } Indostanis regna. Cochinchina. Nova Britannia in America. Monomotapa, &c. Cambaia.
    - 3. INSULAS, quarum facio tres classes.
      - Magnas novem: { Britannia. Japonia. Islandia. Canadensis. } Sumatra. Madagascar. Borneo. Nova Zembla. California.
      - Mediocres tredecim: { Sicilia. Hibernia. Hispaniola. Cuba. } Java major. Celebes. Creta. Luconia. Sardinia. Frieslandia. Terra nova circa novam Fanciam. Midanao. Ceilanum.
      - Parvas novem: { Gilolo, Amboina, Timor, jacent inter Indicas Insulas. Corsica, Majorca, Cyprus, Negroponte, jacent in mari Mediterraneo. Seelandia Daniæ, Jamaica in sinu Mexicano. }
      - Minimas, quarum consideramus, { 1. Celebriores solitarias, Rhodus, Malta, Lemnos, S. Helena, D. Thomæ, Madera, &c. 2. Congeries, sive quæ magno numero in mari jacent sibi valde vicinæ, { Canariæ. Flandricæ. Hesperides. Sinus Mexicani. } Maldivæ. Circa Madagascar. Moluccæ & Bandanæ. Philippinæ. Japoniæ. Insulæ latrunculorum Maris Ægei. Circa Britanniam. Insulæ Salomonis. }
    - 4. ISTHMOS { Inter Ægyptum & Arabiam, sive Africam & Asiam. Corinthiacus inter Peloponnesum & Achaiam. Isthmus Panamensis seu Americanus longissimus omnium. Inter Jutlandiam & Holsatiam. Inter Malaccam & Indiam, &c. }

sunt hæ

SECTIO TERTIA.

GEOGRAPHIÆ ABSOLUTÆ.

In qua capitibus quatuor explicatur constitutio Terræ, sive siccæ partis Telluris.

CAPUT VIII.

De divisione partium Terræ naturali, facta ab Oceano circumfluente.

QUæ hoc capite de Terræ Divisione & capite XV de Maris divisione trademus, ea magnopere juvabunt adolescentes ad comprehendendam & memoriæ infigendam superficiei Telluris partiumque distinctionem, & situm, atque ideo attente sunt perlegenda & cum globo Terrestri & Mappis conferenda. Diximus capite præcedenti, quod Tellus dividatur, quantum ad substantiam sive materiam, in partes duas, Aquam & Terram, sive Fluidum & Consistens, quibus Atmosphæram tanquam corticem vel tegumentum adjunximus. Primo itaque loco de parte consistente, nempe Terra, dicemus.

PROPOSITIO I.

Terræ quædam portio tegitur aqua, quædam portio extat supra aquæ superficiem, atque ab aqua cingitur.

Veritas hujus Propositionis manifesta est per experientiam. Sunt tamen quædam partes terræ, quæ aliquo tempore aquis teguntur, aliquo ab eis liberæ sunt & conspicuæ, ut insulæ multæ ad Norwegiam, Scotiam atque alias regiones: adde hisce pulvinos & littora. Verum cum adeo parvæ sint hæ partes, non habemus earum rationem in

præ-

præsentia. Neque illam quæstionem hic mo-
mus: Utrum majorem superficiei Telluris pa
occupet Terra, an Aqua? De hac capite ar
paucis agemus. Nunc partem extantem con
rabimus, eamque absolute appellabimus Te
vel Insulas.

PROPOSITIO II.

*Terra extans supra aquas non est una & conti
sed multæ à se invicem per interfluentem aquam
juncta.*

Faciemus earum differentias quinque, ne
Terras sive Insulas Maximas, Magnas, Medio
Parvas, Minimas.

De causa & origine harum terrarum extan
sive insularum agemus cap. XVIII. quia ibi com
dior locus est de hac materia agendi.

Cæterum omnes terræ extantes appellandæ
sent insulæ, cum insula nihil aliud sit quam
ab aquis cincta: usus tamen loquendi min
terris vocabulum hoc sive appellationem ade
propterea quod adeo magnæ sint & vasti tra
ut minus sensilis sit aquæ circuitus. Adeo ill
lent vocari Terra firma, itemque Contine
magnæ. Et sane propter ingentem magnitudin
ad quam reliquarum insularum magnitudo
parata exigua est, peculiare nomen meren
ideo nos quoque eas appellabimus Terras fi
& magnas Continentes. Alia tamen est signi
tio, in qua vulgo & frequenter usurpatur voca
lum Continentis Terræ. Sumitur enim 1 sim
sime, pro parte Terræ quam ex nullo latere
alluit. 2. latius, pro parte terræ, quæ ab uno
tere à mari alluitur, sed ab altera parte adh
aliis terris lato tractu. 3. generaliter & latiss
pro terræ parte adhærente alteri utcunque, ne
lato vel angusto tractu. Hæ significationes dis

sunt ab ea, qua maximæ insulæ dicuntur Continentes.

PROPOSITIO III.

Terræ maximæ sive *Insulæ maximæ* aut *Magnæ Continentes* (de appellatione cum nemine certabo) sive *Terræ firmæ sunt quatuor.*

1. VETUS ORBIS. 2. NOVUS ORBIS, sive AMERICA. 3. TERRA POLARIS ARCTICA sive ORBIS ARCTICUS. 4. TERRA AUSTRALIS sive MAGELLANICA.

VETUS ORBIS ex quatuor illis celeberrimus & solus antiquis cognitus, quem nos incolimus, dividetur fere I Mari in duas partes parvo Isthmo conjunctas, quarum unaest Africa, alteram Europa & Asia faciunt. Cingitur ab Oceano hunc in modum:

A Septeptrione est mare glaciale, Septentrionale, mare album, Oceanus Tartaricus.

Ab Oriente Oceanus est Chinensis & Pacificum mare.

Ab Austro Oceanus Indicus, Australis & Æthiopicus.

Ab Occidente mare Atlanticum jacet, dictum del Nort.

Divisionem hujus Continentis, de qua diximus, faciunt Mare Mediterraneum & Arabicum sive rubrum mare; vel sinus Mediterraneus & Arabicus. Distantia enim sinuum, hoc est latitudo intercedentis tractus non est major quam triginta circiter milliarium, qui si abesset, Africa faceret peculiarem Terram firmam & numerum augeret.

Minimo intervallo Vetus Orbis versus Orientem distat ab America circa fretum Anian, si modo hoc existit. Europæ autem ab America minima distan-

distantia est inter Norwegiam & Terram no Americæ Septentrionalis.

A terra polari Arctica Vetus Orbis minimo tervallo abest circa fretum Waigats. Ab Australi lari sive Magellanica circa Novam Guineam.

NOVUS ORBIS, sive AMERICA cingitur ab Oceano.

A Septentrione Mare est incognitum, imo certum, præter fretum Davis.

Ab Oriente est mare Atlanticum.

Ab Austro est fretum Magellanicum.

Ab Occidente est mare Pacificum.

Hic quoque Orbis parum abest, quin in duas sulas sit sectus, nimirum ad Panamam & Nombre Dios, ubi exiguo terræ tractu prohibetur confu Oceani Pacifici & Atlantici.

Distat minimo intervallo à Vetere Orbe fretum Anian. A terra polari Arctica, circa tum Davis. Ab Australi, circa Magellanicum tum.

TERRA POLARIS ARCTICA & AUSTRALIS undique mari cinguntur, illa ptentrionali, cujus partes sunt fretum Davis Waigats, Anian: hæc mari Australi, Pacifico, Indico freto Magellanico.

POLARIS Arctica à Veteri Orbe minimum habet intervallum ad fretum Waigats: ab America ad fretum Davis. Ab Australi terra ingenti removetur spatio.

POLARIS AUSTRALIS, sive potius Terra Australis maxime vicina est Veteri Orbi ad Novæ Guineæ procurrentem tractum: Americæ sive Novo Orbi ad fretum Magellanicum.

Cæterum de sola hac Australi certo explorare habemus, quod mari undique cingatur & à reliquis separetur: de tribus reliquis, nempe Orbe Veteri, America & Orbe Arctoo, nondum omni

no certa res est, utrum undique mari cingantur & à se invicem separentur: admodum tamen est verisimile propter varios Oceani intra terram procurrentes sinus & fretorum initia. Sola Australis circumnavigata est hactenus, in reliquis nondum licuit. Vetus enim Orbis nondum ultra fretum Waigats circumnavigatus est, etsi totum littus Occidentale, Australe & Orientale sit lustratum, adeoque exigua Septentrionalis littoris pars lustranda restet. America circumnavigata est excepta parte littoris Septentrionalis, propter fretorum incertitudinem, vel difficultates. Sic itaque situm quatuor maximarum insularum sive continentium explicavimus.

PROPOSITO IV.

Insulas magnas in Telluris superficie numeramus decem, quæ sunt

1. BRITANNIA, comprehendens Angliam & Scotiam, censetur maxima ex omnibus insulis, quæ vulgo ita appellantur, exclusis illis, quas præcedenti Propositione enumeravimus. Jacet inter Europam & Americam, vicina est Belgio & Galliæ: cingitur à mari Atlantico. Forma est oblonga.

2. JAPONIA, quæ in Mappis & globis minorem habet magnitudinem, quam habere debebat: qui enim istic fuerunt, asserunt majorem esse vel saltem non minorem ipsa Britannia. Jacet in Orientali termino Asiæ, non procul à China. Cingitur ab Oceano Pacifico. Forma est aliquantum oblonga & curva.

3. LUCONIA, quæ etiam à Metropoli dicitur Manilha, est una ex Philippinis, quæ ultimæ sunt Orientalium insularum in Asiæ termino. Sunt qui eam majorem esse volunt, quam Britannia est; verum qui ibi fuerunt, minorem esse dicunt. Cingitur

gitur ab Oceano Pacifico, sive Orientali. Forma oblonga cum multis curvaturis.

4. MADAGASCAR, sive insula S. Laurentii, jacet ad Orientale litus Africæ, non procul faucibus rubri maris & ab Arabiæ littoribus. Cingitur ab Oceano Indico, quoniam totum mare inter Africam & Indiam hodie appellatur Indicum. Forma est oblonga.

5. SUMATRA, quam quidam Geographi non immerito veterum TAPROBANAM esse existimant, jacet in finibus Asiæ inter insulas Indicas, non procul à Malaccensi Chersoneso, in longum extensa recta. Cingitur ab Oceano Indico.

6. BORNEO, non procul à Sumatra in Indico mari sita est forma rotunda: in ejus magnitudine assignanda ingens inter Scriptores discrepantia. Quidam enim circuitum ejus faciunt 2000 milliarium & maximam inter Indicas esse volunt: alii tantum 300 circiter.

7. ISLANDIA, cujus una portio in Zona Temperata, altera in Zona Frigida jacet, non procul à Terra polari & Norwegia. Cingitur à mari Septentrionali. Forma est oblonga.

8. TERRA NOVA, insula adjacens Canadæ in Septentrionali America. Cingitur à mari Septentrionali, regio major est, quam vulgo Tabulæ exhibent. Per multas curvaturas marum incipit.

9. Inter fretum Davis & fretum Hudsonii in Septentrionali Oceano jacet magna insula ad mare polarem. Tabula Universalis Visscheri exhibet anno 1594 exhibet eam: in aliis Tabulis non reperi hactenus. Forma est rotunda.

10. NOVA ZEMBLA, sita inter Polum Arcticam & Samoiedam atque Russicam. Cingitur à Mari glaciali, Tartarico. Separatur ab Europa neque à Samoieda per fretum Waigats. Forma est rotunda.

Hi-

Hisce annumeranda est CALIFORNIA, si ea insula est & non pars Americæ, Belgæ enim in quadam Hispanica navi repererunt Mappam Geographicam, quæ Californiam insulam & mari cinctam exhibebat non adhærentem Americæ.

PROPOSITIO V.

Insulas mediocres in Telluris superficie numeramus decem, quæ sunt,

1. JAVA, una ex Indicis insulis inter Asiam & Australem terram, omnium rerum abundantia felix & Paradisus. Cingitur ab Oceano Indico. Forma est oblonga.

2. CUBA, una ex Americanis insulis, non procul ab Hispania Nova & FLORIDA. Cingitur à mari Atlantico in ingressu Sinus Mexicani. Forma est oblonga.

3. HISPANIOLA, jacens à Cuba versus Austrum, major est quam Cuba. Cingitur à mari Septentrionali sive Atlantico, ubi in sinum Mexicanum influit. Forma est subrotunda cum multis procurrentibus angulis.

4. HYBERNIA sive IRLANDIA, non procul à Britannia versus Americam. Cingitur à mari Septentrionali. Forma est subrotunda.

5. CRETA, non procul à Græcia, adjacet Europæ. Cingitur à mari Mediterraneo. Forma est oblonga.

6. SICILIA, non procul ab Italia jacet. Cingitur à mari Mediterraneo. Forma est subrotunda.

7. CEILANUM insula, non procul ab Indiæ ultimo promontorio Comorino. Cingitur ab Oceano Indico. Forma est rotunda. Barrius contendit hanc esse antiquorum Taprobanam.

8. MIDANAO una ex Philippinis in Oceano Pacifico; forma est subrotunda.

9. SARDINIA, jacet in mari Mediterra forma est oblonga.

10. CELEBES insula non procul à Bor ne. Cingitur ab Oceano Indico. Forma est longa.

Hisce annumerari potest Frisiandia, insula procul ab Islandia.

PROPOSITIO VI.

Insulæ parvas in superficie Telluris numeramu cem, quæ sunt,

1. GILOLO, una ex Indicis non proc Moluccis. Cingitur ab Indico Oceano. Form instar Soleæ equinæ.

2. AMBOINA, non procul à Gilolo i dem Oceano. Forma est oblonga.

3. TIMOR, insula non procul ab Austra ra, ad Indicas refertur. Forma rotunda est.

4. JAMAICA in Mexicano sinu non p ab America. Forma est oblonga.

5. SELANDIA insula Daniæ inter Ju diam & Gothiam jacet. Cingitur ab Ocean ptentrionali, ubi hic in sinum Balthicum in Forma est rotunda.

6. CORSICA in mari Mediterraneo.

7. EUBOEA, hodie *Negroponte*, vicin Græciæ: cingitur à mari Mediterraneo; form oblonga.

8. MAJORCA prope Hispaniam.

9. CYPRUS, non procul ab Asia minori: gitur à mari Mediterraneo: forma est oblonga

10. ISABELLA, una ex insulis Salomon Oceano Pacifico.

Possent plures insulæ ad hanc classem rero sed commodius ad ultimum ordinem eas remus.

PROPOSITIO VII.

Minimarum insularum innumerabilis fere est copia in superficie Telluris: ex illis autem considerationem peculiarem merentur, 1. solitariæ celebres. 2. eæ, quæ magno numero in aliquo Oceani tractu reperiuntur, & propter viciniam uno aliquo nomine comprehenduntur vel appellantur.

Vocabimus in genere, Agmen Insularum, quia commodiori vocabulo destituimur. Tractus maris, in quo insulæ hæ jacent, dicitur Archipelagus. Celebres solitariæ sunt, in mari Mediterraneo: Rhodus, Malta, insularum. Ivica, Minorca, Chios, Cephalonia, &c.

In Oceano Atlantico inter Africam & Brasiliam celeberrima apud nautas insula S. Helenæ, ubi etiam insula Ascensionis, insula Divi Thomæ, in ipso Æquatore sita.

Madera insula è regione Freti Gaditani versus Americam.

Zocotora, ante fauces Arabici sinus jacet.

Gotlandia in mari Balthico.

Insula Paradon sola hoc habet, quod de ejus existentia disputent Geographi. Nautæ Lusitani opinantur, ut Linschotius refert, illam jacere centum milliaribus à Canariis insulis versus Occidentem, & sæpe illam conspicuam, plerunque tamen inconspicuam esse: campos ejus virides, fertiles; incolas esse Christianos; verum ignorant cujus nationis vel originis sint, & quo sermone utantur. Hispani aliquoties è Canariis ad illam visendam instituerunt navigationem, sed nunquam reperire potuerunt. Ideo quidam arbitrati sunt spectri esse illusiones; alii existimant, certis tantum anni diebus videri posse; plerunque nubibus vel nebula tectam esse. Mihi tota narratio vana esse videtur.

Inter celebres solitarias dignæ quoque sunt commemoratione illæ, quæ natant in aquis. de quibus vide caput XVIII.

PROPOSITIO VIII.

Agmina insularum minimarum numerantur in superficie Telluris quindecim, nempe:

1. CANARIÆ insulæ, olim Fortunatæ dictæ. Jacent in mari Atlantico non procul ab Africæ litore Occidentali è regione Atlantis montis. Numerantur decem circiter, exceptis minimis.

2. FLANDRICÆ, sive ASORES, in Europam & Americam in Oceano Septentrionali numerantur præcipuæ earum septem.

3. HESPERIDES, hodie Insulæ Viridis, sive Promontorii Viridis. Jacent enim ad Occidentale Africæ litus è regione Promontorii Viridis, numero XII. Cinguntur à mari Atlantico.

4. MALDIVÆ insulæ. Harum ingens dicitur esse numerus, nempe undecies mille; sed quidam mille tantum ab incolis habitari volunt. Jacent in Oceano Indico non procul à Malabarico Indiæ litore, à Septentrione ad Austrum usque ad Æquatorem. Multitudinem efficiunt parvi Euripi influentes, adeo angusti, ut nautæ inter insulas navigantes possint apprehenso ramo alicujus arboris ex una in aliam saltu pervenire.

5. INSULÆ LUCARES inter Floridam & Cubam prope Americam, Hæ vel ideo memorandæ dignæ sunt, quod omnium totius Americæ partium ab Europæis inventæ sunt, nimirum Columbus ad unam ex illis, dictam GUANAHANI, omnium primam, ipse primus ex Europa appulit. Lucarum harum numerantur 400, sed omnes parvæ præter ipsam Luçaiam, à qua omnes denominatæ sunt.

6.

6. INSULÆ PRINCIPIS inter Hispaniolam & Americam; ad quas refero omnes in sinu Mexicano sitas.

7. INSULÆ CAMERCANÆ, ante Hispaniolam versus Veterem Orbem.

8. MASCARENIÆ insulæ inter Madagascar & Africam.

9. MOLUCCÆ, quarum quinque præcipuæ fertilitate caryophyllorum numerantur, sed multo plures sunt, ad illas refero Mauricas. Oceanus Indicus illas ambit.

10. PHILIPPINÆ in ultima Asia in mari Pacifico: magnus earum est numerus.

11. INSULÆ MARIS ÆGÆI, quod primo omnium appellatum est Archipelagus.

12. INSULÆ JAPONIÆ.

13. INSULÆ SALOMONIS in mari Pacifico ad terram Australem.

14. INSULÆ latrunculorum de las Velas in Archipelago S. Lazari.

15. INSULÆ BANDANÆ & aliæ inter Javam & Bandam.

16. INSULÆ ANGLIÆ & SCOTIÆ adjacentes.

17. INSULÆ inter Magellanicum fretum & fretum Le Maire.

Non hic adnumero insulas illas, quæ magno numero adjacent quarundam continentium littoribus, ut Norwegiæ, Chinæ, Brasiliæ, freto Davis &c.

Ad hanc classem etiam referendæ sunt insulæ fluviorum, quales in Nilo, in fluvio S. Laurentii Canadæ, in Wolga, atque aliis quibusdam fluviis reperiuntur, ut etiam illæ, quæ in lacubus quibusdam existunt, ut in Zembre lacu Africæ, in America Australi, ubi insula plumbi in lacu sita, &c.

Propositio IX.

Partes singularum Terrarum sive insularum sunt ejusdem figuræ, sed dissimiles: differentia celeberres sunt Peninsula & Isthmus.

Peninsula Græcis Chersonesus, dicitur pars Terræ, quæ alteri parti jungitur tractu angusto atque in reliquo circuitu undique mari cincta est. Angustus iste tractus terræ dicitur Isthmus, nempe arcta via, per quam ex lata terra pervenitur in latam. Cæterum nec negligendæ videntur partes procurrentes Terrarum, quæ longo tractu in mare exportiguntur, etsi ab uno latere tractu latiore conjungantur cum alia terra. Atque ita Peninsula est species procurrentis Terræ: quanquam omnis talis procurrens Terra possit appellari Peninsula.

Procurrentes terræ sunt, 1. Italia. 2. Hispania. 3. Pars Angliæ. 4. Tota Græcia & Macedonia. 5. Asia Minor. 6. Norwegia & Suecia cum Lappia. 7. India. 8. Camboia. 9. Nova Guinea terræ Australis. 10. Beach ejusdem terræ regio. 11. Nova Britannia, novum Belgium in America. 12. Lingua Africæ, &c.

Propositio X.

Peninsulas numeramus quatuordecim.

Dividimus eas in oblongas & subrotundas.

Oblongæ sunt septem vel octo.

1. *Chersonesus aurea* veterum, hodie Malaccensis adhæret Indiæ.

2. *Chersonesus Cimbrica*, hodie Jutlandia, adhæret Holsatiæ.

3. *California*, ad Occidentale littus Americæ Septentrionalis prope mare Vermejo. Sed recentiores observationes eam insulam perhibent.

4. Ne

4. *Nova Francia*, in Orientali latere Americæ Septentrionalis.

5. *Chersonesus Jucatan* in sinu Mexicano, adhæret Americæ.

6. *Chersonesus Thraciæ* ad Hellespontum.

Chersonesus Cassandriæ ad sinum Thessalonicensem Græci maris. Sunt etiam Asiæ minoris quædam peninsulæ minus celebres, nempe 1. Ionia sive Smyrnensis. 2. Cnidensis, sive Doris regio. 3. Myndensis.

De *Corea* dubium est, utrum Insula sit an Peninsula. Quædam Mappæ adjungunt Tartariæ, quædam mari cingunt. Recentissimæ tamen observationes faciunt eam peninsulam.

Peninsulæ subrotundæ sunt sex.

1. *Ipsa Africa*, pars Veteris Orbis ingens. Cingitur mari Mediterraneo. Atlantico, Æthiopico, Indico, Rubro: adhæret Asiæ angusto tractu ad Ægyptum.

2. 3. *Partes Americæ*, nempe Mexicana & Peruviana. Cohærent ad Panamam angusta via.

4. *Peloponesus*, hodie Morea, pars Græciæ.

5. *Taurica Chersonesus* in Ponto Euxino & paludis Mæotis ostio: hodie Tartaria Przecopensis.

6. *Cambaia* in India.

PROPOSITIO XI.

Isthmos numeramus totidem, quot Peninsulas. Insigniores sunt quinque.

1. Isthmus inter Ægyptum & Asiam, quo Africa adhæret Asiæ.

2. Isthmus Corinthiacus inter Peloponnesum & Græciam.

3. Panamensis inter Mexicanam, Americam & Peruviam.

4. Inter Auream Chersonesum & Indiam.

5. Tauricæ Chersonesi.

CAPUT IX.

De montibus in Genere.

DE montibus plurima occurrent cognitu dig & in Geographia explicanda, partim quia m tunditati Telluris videntur officere, partim qu de illis varia apud Scriptores traduntur.

PROPOSITIO I.

Dicitur autem *mons pars terræ ad insignem altitudinem pertingens*, quæ si minor sit, dicitur coll & clivus.

Promontorium autem dicitur mons in mare pro currens. *Scopuli* dicuntur partes extantes in mar vel etiam petris. Verum in genere sciendum, pa tes terræ quæ planæ apparent, non esse omne ejusdem altitudinis, sed quasdam depressiores, in primis ad littora maris, ita ut altitudo accrescat maritimis locis ad mediterranea. Hoc autem pro batur ex fluviorum fontibus & fluxu. Cum enim illa pars terræ, ad quam fluit aqua, sit humilior à qua fluit, & raro in locis mediterraneis & à ma ri remotis fontes sint fluviorum, patet mediterra nea esse elevatiora maritimis. Sic Bohemia est al tior Holsatia, quod cognoscitur ex fluxu Albis qu à Bohemia fluit ad Holsatiam. Ita ex Danubio, Visurgi, Rheno, Mosa, &c. sumimus indicia ma joris altitudinis locorum mediterraneorum. Helve ticorum & Rhetorum terræ à quibusdam censentu altissimæ totius Europæ, quod inde fluant Rhenus Rhodanus, Danubius. Porro quanta est fluviorum declivitas, tanta est altitudo locorum mediterra neorum supra loca maritima.

Cæterum problemata de montibus cognoscen da, ex quibus judicium de controversiis, vel sci

pti

ptis, & traditis apparentiis est desumendum, sunt hæc:

PROPOSITIO II.

Montis altitudinem per geodæsiam invenire.

Fit hoc eodem modo, quo in Turrium altitudine exploranda utimur, si modo vertex montis aliquo peculiari signo sit notabilis.

Sit A B montis altitudo, A pes, B vertex conspicuus. Mediocri ab ea distantia sumemus lineam F C, ita ut neuter angulorum A F C, A C F fiat valde acutus, sed fere æquales. Observentur deinde facta collimatione ad B, anguli A F C, A C F, & hisce subtractis ad 180 gradibus, residui gradus designabunt angulum C A F. Deinde accurate metienda est distantia stationum F C. Et fiat ut sinus anguli F A C ad sinum anguli C F A (vel F C A si F A velis assumere) ita F C ad A C, distantiam montis à C. Dein suspenso vel erecte collocato instrumento in C, & collimando ad B, sumatur angulus B C A. Et quia Triangulum C A B est rectangulum, nempe B A C est rectus, 90 gr. ideo dabitur etiam angulus A B C.

Fiat itaque ex Triangulo B A C, ut sinus Totus 10000000 ad tangentem anguli B C A ita distantia A C ad altitudinem montis perpendicularem A B.

Exempli gratia. Ponamus Xenagoran Eumeli filium usum esse hoc modo in Olympi montis altitudine cognoscenda (namque accurate eum dimensus est, ut epigrammate testatur) & angulum A F C. invenisse 88 gr. 29 min. Sed angulum A C F 57 gr. 30 min. Itaque C A F erit 34 gr. 13 min. & per mensuram vel alio certo modo invenerit F C 400 pedum Græcorum sive $\frac{2}{3}$ unius stadii. Itaque erit ut sinus anguli C A F, 34 gr. 13 min. ad sinum anguli A C F 57 gr. 30 min. ita

C F 400 pedes ad F A distantiam: Nempe ut 562 ad 84339 ita 400 ad 600. Est itaque F A 600 pedum. Porro angulus B F A sit inventus 84 gr. min. Erit in Triangulo F A B, ut 100000 ad Tang. anguli B F A 1016000 ita 600 ad 6096 pedes pro A B altitudine montis Olympi: sed 600 pedes faciunt stadium. Itaque divisis 6096 per 600 invenniuntur 10 stadia & 96 pedes Græci pro altitudine montis Olympi, quantam Xenagoras invenit. Sed dia autem illa faciunt $\frac{1}{4}$ mill. German. cum $\frac{2}{32}$ vel $\frac{1}{16}$ circiter.

Testatur autem Aristoteles cum multis aliis Scriptoribus, tantam esse altitudinem montis, ut vertex nullos aëris motus nec pluvias sentiat, atque eoque supra aëris secundam regionem sit elevatus, idque collegerunt veteres ex immotis cineribus, non confusis literarum ductibus post aliquot hostra.

Notandum, quod in diversis locis diversa montium altitudo: ideo non valet consequentia. Hunc montem nubes æque tegunt: Ergo est æque altus: Etenim in Septentrionalibus plagis nubes sunt multo humiliores.

Est quidem etiam alius modus in plano dimetiendi montes per duas stationes in eadem cum monte linea recta, sed proclivis est ad errorem propter exiguam angulorum differentiam.

Ex alia tamen altitudine nota, ex. gr. ex turri cujus altitudo cognita est, & distantia à monte accuratius consequemur montis altitudinem. Nempe si ponamus F esse turrim altam 300 pedibus, & in ejus vertice vel commodo loco observatum esse angulum B F P 83 gr. 30 min. Invenietur B P 5796 pedum, cui B A altitudo turris addenda.

PROPOSITIO III.

Data vel cognita altitudine visi montis, quanto intervallo ab eo distemus geodætice invenire, si instrumentum Goniometricum habeamus, vel etiam quadratum Geodæticum, vel radium, aut scalam altimetram.

Sit iterum montis altitudo AB, jam cognita ex scriptis aliorum decem stadiorum & 96 pedum Græcorum sive 6096 pedum. Locus noster F, & cupiamus scire intervallum FA. Observetur Goniometrico sive quadrante angulus BFA, sit ex. gr. 84 gr. 23 min. Itaque in Triangulo rectangulo BAF, cum tria sint nota, erit, ut sinus totus ad Tangentem anguli ABF 5 gr. 37 minut. ita BA nota ad AF quæsitam.

Ut 100000 ad 9234 ita 6096 ad 600 pedes sive unum stadium. Tanto itaque intervallo, quod est FA, distamus à monte. Si quadrato geodætico vel radio utamur, non opus est Canone Sinuum, quod ex Instrumentorum ostensione & explicatione patescit, sed minus accuratus sit ex eis calculus propter defectum veræ proportionis.

NOTA. In duobus hisce problematibus addidi, Geodætice, quoniam alius est modus, quando semidiametro & peripheria Telluris utimur, ut jam proponemus: nam in prioribus intervallum FA tanquam lineam rectam sumsimus, quia exigua est differentia inter illam & curvam.

PROPOSITIO IV.

Dato intervallo, à cujus termino primum conspicitur fastigium montis, inde invenire altitudinem montis per Geographiam.

Sumamus montem altissimum in Insula Teneriffa una ex Canariis, qui dicitur *el Pico*. Et sit Terræ peripheria, & quidem Meridianus montis

illius A B C D F: centrum R, mons ipse sit A B. Ducatur ex B, recta tangens ad peripheriam B F. Erit F ultimum seu primum punctum, ex quo montis vertex B conspici poterit: Ducatur R F. Testantur autem quidam nautæ, quod verticem montis illius conspiciant primo, cum adhuc quatuor gradibus ab eo absunt in Meridiano (namque in hoc situ sub eodem Meridiano facile est illi hanc in gradibus distantiam invenire). Itaque arcus A F erit quatuor graduum: ponamus itaque veram esse hanc relationem nautarum, & radius primum visivum B F venire directe à vertice B, & exquiramus, quanta sit futura montis altitudo, si ita res sese haberet. Angulus B F R est rectus, & quia F A est 4 gr. ideo etiam angulus B R F de 4 gr. & nota est R F semidiameter Telluris, & in Triangulo B R F tria data, eritque,

Ut Sinus Totus ad secantem anguli B R F 4 gr. ita R F ad R B. Ut 10000000 ad 10024419 ut 3440 (milliar. Italic. R F, vel 860 mill. German.) ad 3448 mill. Ital. pro R B: auferes 3440 pro R A, manent 8. mill. Ital. vel 64 stadia sive duo Germ. pro altitudine montis A B, quæ incredibilis sane est, & omnino contra Veteres. Itaque sciendum duo assumta esse in solutione problematis, quæ falsa sunt, primum, quod radius ille qui primo oculum ferit veniens à B, sit directus, cum tamen propter aëris densitatem sit refractus. Nimirum ex verticæ B non potest duci ad F recta (si F A 4 gr.) quin prius incurrat in Tellurem, & ideo directe vertex B non potest in F loco videri, sed radio fracto, nempe B T F, qui fractus est, & quidem primus ex fractis, qui ad F potest pertingere.

Si itaque ponamus, quod hæc refractio efficiat ut uno gradu (hoc est quindecim milliaribus German.) citius hic mons videatur, quam videretur si absque hac refractione esset, nimirum directe

radio BF videri à tribus gradibus AF, invenietur altitudo AB juxta expositam formulam quinque milliarium Italicorum vel quadraginta stadiorum. Sed quia verisimile etiam est (quod secundum est), nautas parum liberalius vel minus accurata dimensione loqui, si adhuc dimidium gradum subtrahamus (neque enim amplius licere puto) ut videri eum ponamus à $2\frac{1}{2}$ gradibus, sive 38 milliaribus Germanicis pro FA; hoc, inquam, posito, & instituto calculo, ut prius invenietur altitudo montis AB unius circiter milliaris.

Si mons videatur à duobus gradibus (seposita refractione), erit altus $2\frac{1}{2}$ milliar. Ital.

Si vero ab uno gradu seu 15 milliaribus Germanicis, erit altus $\frac{1}{2}$ mill. Ital.

Sive quinque circiter stadiorum. Adjicimus in hunc finem Tabulam sequentem.

Si montium altitudo sit.	$\frac{1}{8}$ mil. ger.	$\frac{1}{7}$ mil.	$\frac{1}{6}$	$\frac{1}{5}$	$\frac{1}{4}$	$\frac{1}{3}$	$\frac{1}{2}$	1
Tunc videbitur ab interv. mill.	14	18	20	25	26	$27\frac{1}{2}$	28	$29\frac{1}{4}$

Sed hæc omnia intelligenda sunt sine refractione, quæ plerunque montium & altitudinem visam & distantiam visus auget, ut per Diagrammata videre licet: namque refractus radius FT productus exhibet altitudinem NA.

PROPOSITIO V.

Viso primum montis alicujus, cujus altitudo nota est, fastigio, invenire quanto intervallo ab illo distemus per Geographiam.

Hoc est conversum prioris, & posset ex Tabella præmissa solutio peti: sed calculus monstrabit accuratiorem solutionem. Sit itaque montis AB altitudo cognita, & videatur in F, placeat scire

distantiam A F. B F tangit peripheriam. In Triangulo rectangulo B F R, angulus F est rectus, & cognita sunt duo latera R F, semidiameter Telluris & R B eadem semidiameter cum A B, quam ponimus esse $\frac{1}{2}$ mill. German. Et quia R F vel R A est 860, erit R B $860\frac{1}{2}$. Et fiat ut R B ad R F, ita sinus totus ad sinum anguli R B F.

In pedibus Rinland.

Ut $860\frac{1}{2}$ ad 860 ita 10000000 ad
Ut 19609700 ad 19598300 ita
10000000 ad 9994186, sinus 88 gr.
2 min. 40 pro R B F.

Itaque B R F, hoc est, arcus A F erit 1 gr. 57 min. 20 sec. qui conversi in milliaria Germanica efficiunt $29\frac{1}{4}$ mill. Itaque ab hoc spatio videbitur mons sine refractione, si altus sit $\frac{1}{2}$ milliar. cui pro refractionis augmento addere licet octo milliaria, ut à 37 milliaribus videri possit: sed refractio quoque pro diversa Solis altitudine varia, neque abest ante Solis ortum vel post occasum. Verum plura de hoc negotio dabimus capite de Aëre & parte tertia hujus libri, ubi de Horizonte visibili agemus.

Propositio VI.

Data longitudine umbræ, quam mons aliquis spargit, & data ad id tempus altitudine Solis, invenire montis altitudinem.

Hoc problema proponemus magis propter antiquitatem & jucunditatem, quam quod per umbram accurate obtineri posse altitudinem putamus.

Scripserunt Plutarchus & Plinius (& res certa est propter vulgarem versiculum, Ἄθως κατάφηλος πλουσιόχρηματος Λημνίας βοός. Athos teget latera buculæ Lemniæ), quod mons Athos in Macedoniæ littoribus situs adeo elatus sit, ut umbram jaciat usque in insulam

sulam Lemnum, Sole in Cancro existente, & quidem in forum urbis Myrrinæ, ubi terminus umbræ olim designabatur bucula ærea, quam incolæ propter rei miraculum posuerant: Et scribit Plinius, intervallum inter montem Athos & insulam Lemnum censeri octuaginta septem millibus passuum, sive 87 milliar. Italicis.

Sed non annotarunt Scriptores altitudinem Solis pro tempore ejus umbræ. Verisimile autem est, umbram hanc sparsam à Sole jamjam Occidente, sive ubi civitati Myrrhinæ occultari incipiebat à monte Athos (est enim Athos à Lemno versus Occidentem situs), vel ubi in eo Myrrhinæ verticali erat, qui per Athos montem ducitur. Etsi vero possimus ponere, Solem tunc fuisse in Horizonte fere Myrrinæ F O, & sic radium O F transiisse per verticem montis B, & jecisse umbram AF, eritque tunc O F tangens peripheriæ, & quia datur FR, & angulus FRB (vel assumendo Triangulum BAF, & FA tanquam rectam) invenietur B A stadiorum octo sive unius Italici milliaris, altitudo montis. Attamen quia in hoc Solis situ non potest notari terminus umbræ quippe infinitæ, & præterea ædificia urbis Myrrinæ impedirent & umbram & Solis vicinos umbræ radios, ideo statuendum est, Solem ad minimum duobus gradibus adhuc fuisse elevatum supra Horizontem myrrinæ, ex. gr. in S, ut angulus SFO sit 2 gr. & SF radius Solis transiens per verticem montis T, & umbram in F terminans. Erit itaque in Triangulo RFT obliquangulo



gulo datus angulus T F R 92 gr. & F R T dat 1 gr. 16 min. (quia A F assumimus 87 milliar. Ital & ideo F T R est 86 gr. 54 min. & nota est semidiameter F R, 860 milliar. German. Ideo invenietur T R juxta hanc proportionem.

Ut sinus anguli F T R 86 gr. 54 min. ad sinum anguli T F R 92 gr. ita F R ad R T 860.

Itaque R T erit 861 milliar. German. & Ad montis Athos altitudo unius milliaris Germanici sive 32 stadiorum, quæ nimia est, cum Græci non ultra undecim stadia montes elevari statuerint.

Si unius gradus altitudinem Solis assumamus, invenietur altitudo montis Athos viginti stadiorum.

Verumenimvero causam hujus nimiæ magnitudinis provenientis ex calculo, existimo esse nimiam distantiam Lemni à monte Athos assignatam à Plinio: namque & Tabula Græciæ Sophianæ, & Tabula modernæ Græciæ Blavii exhibent tantum 55 milliar. Ital. distantiam pro F A. Ideo angulus F R T erit vix 1 grad. nempe 55 min. Et sumta Solis altitudine 1 gr. 30 min. erit angulus T F R 91 gr. 30 min. & ideo F T R. 87 gr. 35 min. Et fiet in Triangulo F R T.

Ut sinus Ang. F T R 87 gr. 35 min. ad sinum Anguli T R R 91 gr. 30 min. ita F R 860 ad R T. Vel in Triangulo T F A rectangulo ad A, erit angulus T F A 1 gr. 30 min. & assumitur F A tanquam recta quinquaginta quinque milliarium, invenietur altitudo A T juxta hanc proportionem: Ut sinus totus ad tangentem anguli T F A, 1. gr. 30 min. ita F A 55 milliaria ad A T altitudinem montis.

Hic etiam solvendum esset problema, quomodo montis alicujus altitudo inveniatur, si exploratum sit, quanto citius in illius vertice Sol conspiciatur oriri, quam ad pedem montis. Et contra, si altitudo detur, quomodo hæc Temporis differentia

rentia sit investiganda, qua de re Aristoteles & Plinius quædam incredibilia prodidere, & quæ secus se habere calculus docet. Sed cum hoc sine alterius problematis solutione, quod ad partem secundam hujus libri retulimus, non possit explicari, ideo differemus duo hæc problemata ad caput xxx.

PROPOSITIO VII.

Montium altitudo ad semidiametrum Telluris non habet sensilem proportionem, sive adeo exiguam, ut rotunditati Telluris non magis officiat, quam punctum in globi artificialis superficie notatum.

Ostendimus enim montem insulæ Teneriffæ dictum, *el Pico de Tayde*, non majorem habere altitudinem, quam unius milliaris vel ad summum unius cum dimidio. Et vero vix ullum montem eo altiorem reperiri testatur experientia. Cum itaque semidiameter Telluris sit milliarium 860, erit ratio altitudinis maximæ montium ad semidiametrum Telluris, quæ est 1 ad 860, nempe qualium partium semidiameter Telluris vel globi alicujus est 860, talium unam habebit altitudo montium maxima. Cumque paucissimi sint montes tantæ altitudinis, sed plerique vix ad quartam milliaris partem ascendant, manifestum est, quod rotunditatem Telluris non magis tollant, quam asperitates quædam in globis manu factis artificum horum globorum rotunditatem. Etenim in tota rerum natura nullum corpus est, quod exactam & Geometricam rotunditatem habeat.

PROPOSITIO VIII.

Quomodo montes extiterint, explicare.

Hanc quæstionem quidam Philosophi moverunt: plurimi inutilem esse censent, neque de eo quærendum existimant, propterea quod montes

cum

cum ipsa tota Tellure generatos esse opinentur, qui non paucos subsedisse montes fornicibus sub exesis vel aliam ob causam fatiscentibus, historiis testantur. Quorum autem naturalis corruptio et illorum quoque generationem naturalem, non supernaturalem fuisse judicamus. Præterea quosdam montes progressu temporis generatos esse, colligitur ex conchularum testis, quæ in quibusdam montibus inveniuntur, ut in Geldriæ montibus. Et generationis modus hic esse videtur, si ventus vehemens arenam & sabulum paulatim in loco montis deferat & accumulet accedente pluvia. Quo modo sicut minores montes producere potest, ita verisimile videtur, majores montes non esse generatos, sed ejusdem cum tota Tellure ætatis & originis. Qui magis Theologice philosophantur, illi censent Tellurem primo à Deo creatam fuisse mollem & omnino Sphæricam sine extantibus partibus vel montibus, sine cavitatibus, deinde cum Deus aquam à terra recedere jussisset, tum alveos in terra factos fuisse atque terram ex aliorum remotam montes constituisse. An vero tanta illa montium multitudo & magnitudo ut omnes maris alveos implere possint, ipsi viderint.

Propositio IX.

Cur in montium fastigiis pluviæ, nebulæ, nives frequentes sunt, cum in vicinis vallibus aër serenus, sine talibus meteoris?

Testantur illi, qui in montanis Asiæ, Peruviæ atque aliarum regionum peregrinati sunt, quam frequenter accidat, ut in montium vertice versantes experiantur pluvias, nivem vel densam nebulam, descendentes vero ad subjectam vallem nihil eorum, sed serenum aërem sentiant. Idem in nostræ regionis montibus aliquando animadvertimus.

Cu-

Causam hujus phænomeni quidam esse dicunt, quod montes attrahant aërem & nubes: Sed qua facultate id faciant, non explicant, ideoque nihil ad rem loquuntur. Mihi id videtur fieri hoc modo: Vapores & exhalationes ubi in media aëris regione (in qua sunt plerique montium vertices) condensantur in guttulas, deorsum vergere incipiunt. Et quoniam montium vertices sunt illis viciniores, quam subjectæ valles, ideo illæ guttulæ, quæ supra vertices illos existunt, prius ad terram pervenientes, locum in aëris regione deserunt, quem vicinæ guttulæ statim occupant, quia urgentur & truduntur ab aliis vel ratione fugæ vacui, vel quia aquæ hæc natura est, ut ad illum locum fluat, ubi incipit fieri fluxus vel ubi est locus magis depressus.

PROPOSITIO X.

Montibus accidunt, ruina, ruptura, transpositio.

Rara quidem horum accidentium exempla sunt; quædam tamen in historiis leguntur. Rupturæ exempla in seq. cap. afferemus.

PROPOSITIO XI.

An montis superficies sit capacior, quam subjectum planum, cui insistit.

Majorem esse probat Geometria: sed an ideo plures homines vel majorem frumenti copiam possit proferre, alia quæstio est. Ego affirmativam probo. Etsi enim omnia in monte posita debeant esse perpendicularia ad subjectum planum, tamen major copia terræ & major superficies adest.

CAPUT X.

De montium differentiis & tractu, & specie de montibus ardentibus.

PROPOSITIO I.

Montium quidam parvo circumscripti sunt in vallo, alti longo tractu se extendunt & pro diuntur.

Atque hi posterioris speciei dicuntur juga. I periuntur talia juga in omnibus fere terræ re nibus, ita ut continua censeri possint, nisi pa intervalla intercederent. Progrediuntur auten vasias plagas: quædam à Septentrione in Austr quædam ab Oriente in Occidentem, & alia ad p gas cardinibus collaterales.

Celebriora juga sunt hæc.

1. Alpes, qui Italiam à vicinis regionibus se rantes vasto terræ tractu se extendunt & qu brachia emittunt in alias provincias, nempe p Galliam ad Hispaniam, ubi Pyrenæa juga app lantur, ad Rhætiam Rhætica, ad Pannoniam Panonia, & dubia, deinde supra Dalmatia Dalmatica, & protenduntur usque in Thraci & Pontum per Macedoniam. Sed quoniam in Julia & Dalmatica juga mediocre intercedit int vallum, ideo quidam in Juliis jugis finem Alpi constituunt. Mittit unum brachium perpetuis gis lunatoque cursu per totam Italiam transce eamque bisecans usque ad fretum Siculum, neq simplex ubique progreditur, sed in multis parti collaterales comites seu ramos emittit, quos etiam montes propter insignem altitudinem v aliam causam singularibus appellationibus don tos, ut est Massicus mons, Gaurus, *Monte di Cap* Vesuvius ardens, &c.

2. Juga Peruviana omnium longissima. Totam enim Americam Australem ab Æquatore usque ad Fretum Magellanicum pervadunt, separantque Peruvianum regnum ab aliis provinciis, ita ut tractus hujus jugi sit octingentorum circiter milliarium Germanicorum (quorum quindecim unum gradum facere ponuntur). Atque adeo celsa sunt fastigia horum montium, ut ipsos avium volatus fatigare dicantur, uno duntaxat, quod adhuc exploratum sit, eoque difficillimo transitu. Multa ex illis perpetuis teguntur nivibus tam æstate quam hyeme: multa nubibus involvuntur, quædam ultra mediam aëris regionem elevantur. Sane Hispanis aliquando transeuntibus ex Nicaragua in Peruviam, accidit, ut in summis montium interjectorum jugis non pauci subito exspiraritnt cum ipsis equis, & quasi gelu obriguissent, statuarum instar manserint immobiles. Cujus sane causa fuisse videtur defectus aëris, qualem respiratio nostra seu pulmones postulant. Reperiuntur in his jugis etiam sulphurei & fumantes montes.

3. Plurima alia juga sunt inter Peruviam & Brasiliam, quæ etiam per Chicam regionem se extendunt ad fretum Magellanicum, ubi vertices montium perpetuis nivibus occultantur, etsi sub latitudine 52 gr. jaceant.

4. Hisce jugis adde, etsi minus celebria, Canadensia, Novæ Albionis, & plurima alia in America Septentrionali, perpetuis nivibus tecta.

5. Tauri montis jugum in Asia. Hoc apud veteres nobilissimum & totius Orbis maximum habebatur. Exoritur in Asia minori à Pamphylio mari juxta Chelidonias insulas, & per varias regiones atque vasta regna aliis aliisque nominibus progreditur ab occasu in ortum usque ad Indiam, dividitque Asiam universam in duas partes, quarum

rum altera, quæ Septentrionem spectat, Asia in Taurum; altera, quæ Meridiem, Asia extra Taurum appellatur. Multis à latere comitibus stipatur hinc inde, inter quos celebres sunt Antitaurus major & minor, qui Armeniam majorem & minorem bisecant, ubi ipse Taurus transit inter Armeniam & Mesopotamiam, multa brachia versus Septentrionem & Austrum emittit.

6. Imaüs mons, crucis forma duabus viis progreditur tam versus ortum & occasum, quam versus Septentrionem & Austrum. Septentrionalis pars nunc Alkai perhibetur. Protenditur versus Austrum usque ad Indiæ fines & Gangis fluvii fontes, longitudine milliarium Germanicorum quadringentorum circiter. Dividit Scythiam Asiaticam in duas partes, quarum illa, quæ occasum spectat, dicitur Scythia intra Imaüm montem, quæ ortum, dicitur Scythia extra Imaüm montem.

7. Caucasi montis jugum à Septentrione in Austrum, versus pontum Euxinum à Caspio mare (cui vicinum est) extenditur, latitudine quinquaginta milliarium, atque navigantibus in Caspio mari certum instituendi cursus indicium; attingit montem Ararat Armeniæ, in quo arcam Noëmi resedisse Scriptura Sacra testatur, & in hunc usque diem asservari Persæ atque Turcæ perhibent. Ararat vero montes Tauro vicini sunt: quippe omnes hi montes contigui. De altitudine Caucasi dicemus capite xxx.

8. Jugum Chinense, quod complectitur montes Damasios veteribus dictos versus occasum, & Ottorocoram versus Septentrionem. Hoc jugum multis montibus haud sane continuis sed hinc inde transitum concedentibus constat. Et montes Cambboiæ ejusdem jugi pars esse videntur.

9. Juga Arabiæ, quæ triplici ordine pro-

grediuntur, quorum pars est sanctus mons Sinai.

10. In Africa celeberrimum & innumeris Poëtarum Græculorum figmentis prædicatum jugum est Atlas. Oritur à littore Africæ Occidentalis Oceani, & per totam Africam se extendit versus Orientem usque ad confinia Ægypti loca. Fontes habet omnium fere fluviorum Africæ, in plurimis partibus nivosus frigidusque, etsi in Zona Torrida jaceat.

11. Jugum Africæ prope Monomotapam, quod Montes Lunæ vocatur. Cingit totam fere Monomotapam, & ejus brachia multa sunt, ut Zeth mons & nivosi montes. Plurima alia juga in Africa & fere innumera reperiuntur parvo intervallo sejuncta, ita ut omnia fere contigua sint & unius jugi partes esse videantur.

12. Montes Riphæi Europæ, qui & Obii dicuntur, à mari albo seu sinu Moscovitico progrediuntur ad ostium Obii fluminis, eosque Mosci vocant Weliki Kamenypoyas, id est, magnum lapideum cingulum; quoniam eis montibus totum terrarum orbem cingi existimant. Aliud hic jugum est, quod Russi vocant Joegoria. Incipit à termino australi Tartariæ & usque ad Oceanum Septentrionalem se extendit; atque ex hoc plurimi fluvii oriuntur, nempe Witsagda, Neem, Wissera, & maximus Petsiora. Mappæ hæc omnia male exprimunt vel potius omittunt. Præterea triplex jugum decurrit inter Siberiam & Russiam à Septentrione versus Austrum. Unum ex iis Russi appellant Coosvinscoy Camen, cujus latitudo vel transitus est duorum dierum iter. Huic intercedentibus quibusdam vallibus, proximum est secundum dictum Cirgins Koy Camen, itidem duorum dierum itinere; tertium Podvins Coy Camen altissimum ex tribus hisce jugis, quod in plurimis partibus per totum annum tegitur nivibus

&

& nubibus, ideoque molestum præbet transitum qui est quatuor dierum. Urbs Vergateria Siberia vicina est.

13. Juga Norwegiæ & Lappiæ, quæ à promontorio australi Norwegiæ incipiunt, atque Sueciam ex parte separant à Norwegia, deinde multis ordinibus progrediuntur in ultimam usque Lappiam, variisque vocabulis distinguuntur, ut Fillefiel, Dofrefiel, &c.

14. In Germania celebre est jugum Hercinium cingens totam Bohemiam & variis flexibus se extendens in varias regiones, idque variis nominibus. In Ducatu Brunswicensi servat veterem appellationem, ubi dicitur der Hartz: pars ejus est mons Bructerus.

Propositio II.

In plerisque insulis & procurrentibus terra continentis partibus juga montium ita sita sunt, ut mediam terram pervadant atque in duas partes dividant.

Sic in Scotia Grampius mons est (Grampians vocant incolæ) qui hanc insulam ab ortu in occasum pervadit, & mediam secat in duas partes, quarum ut solum & incolæ non parum discrepant. Sic in insulis Sumatra, Luconia, Borneo, Celebes, Cuba, Hispaniola juga montium reperiuntur, quæ à littore maris versus insularum medium paulatim assurgunt in egregiam altitudinem.

Ita procurrentem Asiæ partem, quæ India dicitur, juga Gatis mediam pervadunt. Oriuntur enim à Caucasi extremitatibus & ad Cori usque promontorium, quod *Cabo de Comorino* vulgo dicitur, progrediuntur à Septentrione in Austrum atque ita Indiam hanc procurrentem dividunt in duas partes, quarum illa quæ cis juga Gatis versus Occidentem jacet, dicitur Malabarica regio, & tra

tera trans Gatis juga versus Orientem dicitur Coromandelia. Eadem hæc juga reliquam Indiam, quæ nunc Bengala dicitur, pervadunt per regnum Pegu, Siam, atque totam Malaccensem Chersonesum.

Ita juga procurrentis terræ, quæ Camboia dicitur: similia in Peninsula vel Insula Californiæ, in procurrente Africa à Zaire lacu ad promontorium Bonæ spei; peninsula Corea, in Italia Apenninus, &c.

Quomodo hæc juga extiterint, utrum cum ipsa Tellure orti, an postea à naturalibus causis generati sint, incertum est.

PROPOSITIO III.

Montes altitudine insigni celebres enumerare.

1. El Pico in Teneriffa insula, incolæ vocant Pico de Terraira. Censetur altissimus totius Telluris, & clare satis conspicitur ejus vertex in mari ab intervallo sexaginta milliarium (de quo in præced. cap. diximus) antequam accedas ad illum. Non ascenditur in illum, nisi Julio & Augusto mensibus, quoniam reliquo anni tempore nive tectus est, etsi neque in ipsa insula Teneriffa neque in adjacentibus Canariis unquam nix conspiciatur. Vertex supra nubes attolli videtur manifeste, cum hæ medium montem cingant & vertex extare supra hanc nebulam conspiciatur. Quoniam tamen nives patitur, ideo certum est, quod non ultra mediam regionem aëris protendatur. In ascensu ad verticem usque requiruntur tres dies: est autem vertex non acuminatus, sed planus, atque aëre sereno & sine nebula existente reliquas circumjacentes Canarias insulas distincte ex illo cernere licet, quarum quædam quinquaginta milliaribus ab eo removentur. Duobus illis mensibus deferuntur ex monte multi sulphurei lapides atque in

Hiſpaniam magna copia avehuntur. Scaliger ſcribit, Teneriffæ hunc montem ſummo è faſtigio continua vomere incendia, ſed ex quo autore habeat, ignoro: in illis, quos ego legi, nihil tale commemoratum inveni.

2. In una Azorum ſeu Flandricarum inſularum prope inſulam Fayal reperitur mons dictus Pico de Sanct Georg, unde & ipſa inſula dicitur Pico. Æqualem cum Teneriffæ monte altitudinem habere ſcribitur, imo quidam aliquantum altiorem eſſe volunt.

3. Jugum dictum Cordillera Americæ Auſtralis, ſepatans Peruviam à reliquis Provinciis, indigni adeo ubique altitudine eſſe dicitur, ut multi montis Telluris altitudine cedat. Progreditur à freto Magellanico ad Panamam uſque.

4. Ætna mons Siciliæ, ex cujus vertice ejaculati ignes conſpiciuntur in ipſa inſula Melite, ut de integri milliaris altitudinem habere putatur ad minimum: ſed in præcedenti capite jam monuimus de cauſa hujus apparentis altitudinis.

5. Hecla mons Iſlandiæ.

6. Pico de Adam in inſula Ceilano.

7. Mons Bructerus in Germania, & Abnoba.

8. Mons Figenojamma in Japonia, nubes ſuperare altitudine putatur.

9. Caucaſi altitudinem magnam prodiderunt veteres.

10. Pelion Macedoniæ mons. Plinius ait, Dicæarchum Mathematicum juſſu & impenſis Regum hujus montis altitudinem dimenſum fuiſſe atque deprehendiſſe eam paſſuum mille ducentorum & quinquaginta, hoc eſt, decem ſtadiorum ſive $\frac{1}{3}$ milliaris German. Geminus montem Cyllenem à Dicæarcho ait inventum tantæ altitudinis.

11. Athos mons, de quo Mela, lib. 2. cap. 2. Atho

Athos, inquit, adeo elatus est, ut credatur altius, quam unde imbres cadunt, surgere. Cepit opinio fidem, quia de aris, quas in vertice sustinet, non abluitur cinis, sed quo relinquitur aggere manet. Toto longo dorso procurrit in pelagus. Qua continenti adhæret, à Xerxe in Graios tendente perfossus & transnavigatus & factus freto navigabili pervius.

12. Olympus mons Asiæ minoris, de quo in præced. cap. diximus.

13. Casius mons in Asia, quem Plinius quatuor mille passuum altitudine elevatum esse scriplit.

14. Hæmus mons, quem Martianus Capella sex millibus passuum cacumen attollere refert.

15. Sisimethræ petram Strabo narrat inventam fuisse altitudinis quindecim stadiorum, & Sogdiani petram altitudine dupla.

16. Atlas mons Africæ, de quo jam diximus in præced. Propos. Hunc adeo altum esse finxerunt Poetæ, ut cœlum humeris sustineat: sed minus insignem ejus esse altitudinem hodie docuit experientia.

Propositio IV.

Montium plures differentias exponere.

Prioribus propositionibus tres differentias explicavimus, nempe

1. Quidam longo tractu extenduntur, alii parvo circuitu terminantur.

2. Quidam medias regiones secant, alii per quosvis regionum tractus transeunt.

3. Quidam sunt insigni altitudine, quidam mediocri, alii parva. Hisce differentiis addi possunt hæ:

4. Quidam montes sunt arenosi, quidam petrosi, alii argillacei, cretacei &c.

5. Quidam montes fluviorum fontes habent, alii sine fontibus.

6. Quidam montes sylvis ornantur, alii sine arboribus.

7. Quidam montes ardentes & fumantes sunt, alii sine ignibus.

8. Quidam montes metalla largiuntur, quorum quidam aurum, argentum, alii ferrum, & alii sine metallis.

9. Quidam montes nivibus continue teguntur, alii in æstate liberantur à nive.

PROPOSITIO V.

Montes ardentes & ignivomos enumerare.

Dicuntur autem hodie tales montes Vulcani, quam appellationem Lusitani nautæ primum invexerunt, & jam à nautis communiter usurpatur. Sunt autem hi:

1. Celeberrimus est Ætna, Siciliæ mons, hodie *Gibel*, è cujus vertice ejectæ flammæ & fumi longissima distantia in mari mediterraneo cernuntur, nempe in ipso Melitæ insulæ portu, qui tamen 40 milliaribus Germanicis à littore Siciliæ abest. Ejusi continua sit flammarum & fumorum ejaculatio, tamen interdum majori impetu furit; Anno 1537 à primo die Maii usque ad XII tremuit tota Sicilia: deinde ingens & horrendus mugitus & fragor auditus fuit, quasi magna tormenta bellica exploderentur: secuta est multorum ædificiorum per totam insulam ruina. Hæc sævitia per XI dies cum continuasset, disrupta fuit vel hiare se aperuit hinc inde terra, unde magna vis flammæ & ignis prorupit, qua intra quatuor dies omnia absumta sunt & cremata, quæ non ultra quinque leucarum distantiam ab Ætna aberant. Paulo post crater, qui est in vertice montis, per tres integros dies ingentem copiam favillæ & cinerum ejecit, quæ non tantum per totam insulam dispersa fuit, sed etiam trans mare in Italiam

delo-

delata: & naves in mari cum ducentis leucis à Sicilia abessent & ad Venetias tenderent, damnum passæ sunt. Farellus descripsit prolixe hujus montis incendia: & circuitum pedis ejus esse scribit 100 leucarum.

2. Hecla mons Islandiæ, non minus interdum sævit quam Ætna, & magnos lapides projicit: continui in illo ignes libero exitu carentes sæpe miros edunt sonos lamentationibus similes: inde multi creduli putarunt, ibi esse infernum & impias animas cruciari.

3. Vesuvius Campaniæ, hodie *monte di Soma*, non procul ab urbe Neapoli: consitus quidem est vitibus fertilissimis extra incendii tempus vini optimi Falerni, at frequentibus obnoxius incendiis. Dion Cassius refert, regnante Vespasiano adeo vehemens fuisse incendium ejus & flammarum impetum, ut cineres ex ejus foco seu penetralibus cum sulphureo fumo projecti non modo Romam vento deferrentur, sed etiam ultra Mediterraneum mare in Africam usque & Ægyptum; præterea aves in aëre suffocati deciderent in terram, pisces in fervente & infecta vicina aqua interirent. de hoc incendio & montis tristi immutatione elegans est apud Martialem carmen, qui eo tempore vixit, & vidit virentem & atrum deinde ex favillis montem. Sed deinde cessante incendio & pluviis irrigantibus sulphureas favillas & cineres in montis superficie magna hinc extitit ejus fertilitas vini. Cæterum ante aliquot lustra iterum arsit mons iste & crebros fumos emisit. Vicinus ager combustus est, & frequentibus inde foveis periculosus viatori.

4. Mons in Java insula, non procul ab urbe Panacura. Hinc anno 1586 cum antea non arsisset, primum disruptus est violenta flagrantis sulphuris eruptione, adeo ut ad decem millia hominum per-

iisse dicantur in subjectis agris, atque ingentia sa
in urbem Panacuram ejecerit. Tribus contin
diebus tantum fumum atrumque mixtis flamm
& favillis evomuit, ut Solem tegeret & fere tene
bras diei inferret.

5. Mons Gonapi in una Bandanarum insula
rum. Is anno 1586, mense Aprili, cum jam se
ptendecim annis arsisset, disruptus est ingen
cum fragore, atque tantam copiam magnorum
saxorum & massæ sulphureæ ardentisque materi
ejaculavit in mare & terras, ut omnibus horro
rem incuteret cinerum & favillæ ingens vi
quæ etiam tormenta bellica, quæ Belgæ in arce su
seu castello habebant, inutilia reddebat ad usum
tanta nimirum copia illis incumbebat. Saxa a
dentia in mari reperta unius integræ orgyiæ; mino
rum vero tanta multitudo, ut vix naviculis it
in mari concederet. Aqua ad littus insulæ multi
adhuc horis ebulliebat, ac si ignis ei subjectu
esset: pisces plurimi enecati & fluitantes con
specti.

6. Mons Balaluanum in insula Sumatra, fumum
& flammas evomit, ut Ætna.

7. Terra insularum Moluccarum diversis lo
cis cum insano reboatu ignes eructat. Sed præci
pua camino Ternatensi nobilitas. Mons in nubes
assurgit excelsus & arduus, cujus inferiora densi
nemoribus vestiuntur, superiora ex incendiis gla
bra & horrida sunt. In vertice crater, hiatu va
sto, in plures circulos, circumductos majores mi
noribus ad speciem amphitheatri discedit. Inde,
per æquinoctia maxime (in Vere & Autumno),
certis flantibus ventis, inprimis borealibus, cum
horrifico fremitu flammæ atro mistæ fumo & cum
favillis erumpunt, atque omnia late loca cineri
bus complent. Visendi annuæ sunt vices: nec nisi
per funes aut ferramenta quibusdam locis asce
sus

fus est: incolæ etiam sulphur optimum alicubi colligunt. Hæc Maffæus.

8. Una ex Mauricis insulis (distant LX leucis à Moluccis) sæpissime tota motibus terræ concutitur, ignemque ac cineres evomit. Ignis subterranei tanta vis, ut rupes conflagrent totæ: sæpe saxa ignea erumpunt, maximarum instar arborum: ubi autem ventus existit vehementior, è cavernis tanta vis cinerum effunditur, ut viri ac mulieres laborantes in campis domum revertantur cinere oppleti: complures quoque apros illi cineres opprimunt, qui, ubi ventus remisit, passim reperiuntur mortui: pisces quoque plurimi in littore enecti, qui etiam vulgo intereunt, si cinere aspersam aquam hauriant. Ex vertice montis cum horrendo mugitu, crebrisque tonitribus, qualia majoribus tormentis eduntur, sordidum ac tetrum erumpit incendium, & magna cineris, pumicumque & ambustorum igne lapidum vis.

9. In Japonia mons est incertæ appellationis flammas assidue evomens, in cujus cacumine (si credere fas est) certis hominibus, postquam voti causa diu se macerarunt, splendida circumfusum nube Cacodæmonem sese ostendere scribit Maffæus.

10. Plures Vulcani in insulis Japoniæ septuaginta milliaribus à Firando dissitis reperiuntur. Item in parva quadam insula, quæ inter Tanaxumam & insulas appellatas, septem sorores, jacet, mons conspicitur interdum ardens, reliquo tempore fumans.

11. In Tandaia insula una ex Philippinis, ubi est promontorium Spiritus Sancti, aliquot parvi Vulcani inveniuntur. Unus etiam in insula Marindique, quæ itidem Philippinarum pars est.

12. In Nicaragua Americæ provincia, triginta quinque leucis ab urbe Leon mons altus adeo ejicit flammas tanta copia, ut ad X millia passuum videantur.

13. In jugo Peruviano, dicto Cordillera, hinc inde rupes & montes quidam Vulcani, partim fumantes partim ardentes & ignivomi esse dicuntur, inprimis in Carrapa provincia Popaianæ mons est, à cujus vertice quando cœlum serenum est plurimus fumus elevari cernitur.

14. Prope Arequipam urbem Peruviæ, nonginta leucis à Lima distantem, mons aliquis sulphureus continue ignes ejaculat, quem metuunt ne aliquando rumpatur & urbem adjacentem obruat.

15. In Peruvia prope vallem, quæ Mulahallo appellatur, quinquaginta leucis circiter à Quito, Vulcanus seu sulphureus mons est, qui aliquando disruptus magnos lapides ejecit & ingenti fragore loca etiam remota terruit.

16. In una insularum, quas Papoys appellant, quam Le Maire detexit (nisi ea fortassis adhaerent continenti Australi) ex Orientali littore novæ Guineæ Vulcanus est, qui eo tempore ardebat.

17. Montes quidam jacentes ad Orientalem ripam fluvii Jeniscea in Tingæsorum regione ultra Obium versus ortum itinere aliquot hebdomadum, Vulcani sunt, Moscis referentibus.

18. Montes quidam ad fluvium Pesida ultra Tingæsorum regionem.

19. Mons Fessanus dictus beni Gua zeval antrum habet ignivomum.

20. In Liburnia non procul à littore prope urbem Apolloniam petrosus mons, è cujus vertice sæpe erumpit fumus & flamma. In vicinia calidi sunt fontes.

Sunt etiam quidam montes, qui jam arderе desierunt. Sic insula Queimoda ad littus Brasiliæ non procul ab argentei fluvii ostio olim arsit, jam non amplius, unde vocant *het verbrande Eylandt*. Sic montes in Congo vel Angola, quos vocant, *de verbrande*

verbrande bergen. In insulis Azoribus seu Flandricis, imprimis Tercera & S. Michaël, olim in plurimis locis & rupibus terra ardebat, jam in quibusdam locis tantum fumus interdum expellitur: unde & crebri terræ motus inibi existunt. Insula S. Helenæ & Ascension terras habent similes adustis, favillis & cineribus, ut verisimile sit olim arsisse harum insularum montes, quod etiam probatur à sulphurea terra & carbonibus, quos *Smitskolen* vocant, quales tum in hisce tum Azoribus insulis reperiuntur. Et cum in plurimis locis illi reperiantur & effodiantur, sintque ad fumum faciendum ignemque concipiendum & fovendum aptissimi, nil mirum si novi interdum existant Vulcani. Causa nimirum ardentium montium est sulphurea & bituminosa substantia, quæ in talibus montibus continetur.

Propositio VI.

Juga quadam nullum transitum seu aperturam vel hiatum præbent, quadam multos, alia unum tantum vel alterum.

Vocantur autem portæ, item Thermopylæ. Ex quibus celebriores sunt, 1. Thermopylæ in Phocide, à quibus nomen hoc cæteris communicatum. 2. Portæ Caspiæ, per quas tanquam viam angustam transitus conceditur inter montes Caspios. 3. Porta Cordilleræ jugi in Peruvia. 4. Porta jugi, quod inter Abassiam & Arabiam Troglodyticam extenditur, per quam annona ex illa regione in hanc importatur. 5. In Caucaso monte portæ Sarmaticæ & Albaniæ.

Propositio VII.

Promontorium dicitur mons in mare aliquo tractu procurrens, vel in littore supra vicina loca elevatus.

In mappis appellantur *Cabo*, Lusitanico vocabulo, Latinis Caput.

Celebriora sunt, 1. Caput Bonæ spei in Africæ extremo, quod superandum est navigantibus in Indiam.

2. Caput Victoriæ, in exitu freti Magellanici.

3. Caput Viride, in angulo seu cuspide Africæ, ubi ab Occidente in Orientem littus flectitur.

4. Caput Vincentii in Hispania.

5. Promontorium Atlantis, quod olim dicebatur, Caput non, propterea quod illud ante aliquot secula nautæ existimabant non posse superari, vel si quis transnavigasset, non tamen illum salvum et incolumem regressurum: ideoque is terminus erat navigationis eorum in Africæ littore. Alia promontoria in mappis videantur.

Propositio VIII.

Montibus opponuntur barathra, specus & abyssi, quæ in paucis terræ locis reperiuntur.

Olim celebre erat mephiticum barathrum, hodie Islandiæ, quod S. Patricii vocant, & in Italia speciem dictum *Grotta del Cane*. In monte Fessano Benignazeval antrum est ignivomum, de quo Leo Africanus, p. 439.

In insula Baruchus (adjacet Walliæ provinciæ Angliæ) ad mare rupes est, in qua hiatus, ad quem si aurem admoveris, malleolorum ictus, follium motus, ferri stricturas, quasi in officina ferraria exaudias.

Non procul ab urbe Bessa in Aquitania antrum est, vulgo, *du Souley*, in quo æstate murmura tonitrui instar exaudiuntur.

In multis locis medios inter montes reperiuntur valles profundæ adeo, ut aspicientibus horrorem & vertiginem inducant.

CAPUT XI.

De Fodinis, Sylvis & Desertis.

NObilitant certos terræ tractus, fodinæ, sylvæ, & deserta, de quibus etsi pauca proponi possint, tamen ad exactam superficiei Terrestris cognitionem non inutile fuerit ea loca considerare, & tractus eorum limitesque designare; quod hoc capite paucis præstabimus.

PROPOSITIO I.

Fodina dicitur locus in terra, ex quo terræ metallicæ vel minerales vel aliæ terræ species effodiuntur.

Quoniam itaque varia sunt, quæ ex terra effodiuntur, ideo varias quoque denominationes fodinæ recipiunt, ut auri fodinæ, argenti fodinæ, cupri fodinæ, ferri fodinæ, marmoreæ fodinæ, gemmeæ fodinæ, salis fodinæ, &c.

Auri fodinæ & argenti celebriores sunt. 1. Peruvianæ, & Castella aurea omnium totius Telluris ditissimæ. Etenim per omnes Peruviæ provincias reperiuntur fodinæ auri atque argenti feraces (non exclusis tamen aliis metallis); ita ut ipsi Peruviani atque Hispani olim gloriati sint, fundum hujus regni aureum esse atque argenteum. Girava scriptor Hispanus testatur, circa urbem Quito fodinas fuisse, quæ plus auri, quam terræ largirentur. Ideo cum Hispani primum in aureum hoc regnum (quod ideo firmissimis muniunt castellis & præsidiis) venissent, in multis urbibus, inprimis regiâ, Cusco dictâ, plurimas ædes conspexerunt intus & extus obductas laminis aureis. Militum etiam Peruvianorum primarii non tantum loricas argenteas, sed etiam omnia armorum genera ex auro parata gestabant. Argenti fodina felicissima est in monte Potosi, in quo viginti millia hominum

effodiendæ terræ operam dant descendentes p quadringentos gradus & plures. Inde ingens illa a ri argentique vis, quam singulis annis Rex Hisp niæ in invidiam omnium reliquorum Imperat rum & Regum ex America accipit.

2. *Argenti fodinæ* præstantissimæ in Japoniæ insu lis, unde Hispanis dictæ Argentariæ insulæ. Au quoque fodinæ reperiuntur, sed hodie minoris divitiis, ac olim.

3. Arabia olim auri fodinas uberiores habeb quam hodie.

4. In montanis Persiæ, item in China quædam argenti fodinæ sunt.

5. In Guinea multi montes auriferi, sed à litto re remoti, quod nautæ Belgi vocant *de Gouds kuste:* non tamen omne aurum effoditur, quod inde petitur, sed & aliis modis colligitur. Reges vero singuli singulas fodinas possidere dicuntur & effossum aurum mercatoribus vendere, hi alios donec ad littora pervenitur, ubi Europæi commutant.

6. In Monomotapa divites auri atque argenti fodinæ reperiuntur, ut etiam in Angola, quarum regionum fodinæ unius postes esse censentur, & continuæ.

7. Ex Europæ provinciis Germania superat reliquas copia fodinarum, quarum quædam auri aliquantum largiuntur, multæ argentum egregia naturæ liberalitate, plurimæ cuprum, ferrum, plumbum, vitriolum, antimonium, &c. de hisce consulantur Germaniæ Descriptiones.

8. *Cupri fodinam* omnium hactenus cognitarum feracissimam habet Suecia in vasto monte unius circiter milliaris, quem vocant *den Kopperberg*. Tanta cupri inde copia effoditur, ut tertiam reditum regiorum partem largiatur. Sunt quoque ferrifodinæ in Suecia, & argentifodinæ, sed ha

vis

vix tantum præbent, ut operæ pretium refundant.

9. *Gemmeæ fodinæ* reperiuntur in Ceilano insula, in regno Congi (ubi etiam argenti fodina & ingens marmorea fodina, imo tota terra marmorea subtus esse creditur), in Peruvia, (Smaragdinæ circa Portovejo) in Guiana. Huic adjacens parva insula nomine S. Maria magnam auri copiam præbet, nempe ad centum libras (si Belgis credendum) singulis fere annis. In regno Golundæ Gemmifera fodina (plurimos adamantes largiebatur) jam desiit fodi.

10. In Chili regione, auri, argenti, atqué gemmarum feraces fodinæ sunt, sed incolæ bellicosi fugatis partim, partim trucidatis Hispanis inceptas fodinas demoliti sunt, pluris facientes ferrea arma, quam aurum atque argentum.

11. In insula Madagascar ferrum & stannum abundat, argenti mediocris copia, auri parum: plumbi nihil. Unde fit, ut incolæ plumbea cochlearia pluris æstiment, quam argentea.

12. In insula Sumatra largas fodinas auri, argenti, æris ferrique esse scribitur, ita ut Regem anno 1620 regnantem ferant in terra defossas habuisse mille libras auri.

13. In Insulis Philippinis, Java, Hispaniola, Cuba aliisque reperiri auri, argentique, ut etiam cupri & ferri fodinas testantur historiæ. In Siamensibus etiam montibus perhibent inveniri aurum, argentum atque stannum.

14. *Salis fodinæ* reperiuntur in Polonia, ad Pochniam, quatuor milliaribus à Cracovia, ubi pellucidi & candidi salis ingentia frusta exscinduntur è terra, in Transsylvania, Tirolensi comitatu, in Hispania, in Asia minori, in Persiæ monte Kilissim, in locis prope mare Caspium, non procul à Wolga fluvio, ubi insula Kostowata. Hinc effodiunt sal Russi & ad puriorem substantiam co-

quunt, atque per totam Russiam devehunt. Cuba mons salinus est. Insulæ Ormus in sinus Persici initio montes omnes sale crystallino constant: imo tota insula nil fere nisi sal est, ex quo etiam parietes ædium fiunt. In Africa non aliud sal, nisi quod ex specuum salinis velut marmor, candidum, rubei, & cinericii coloris effoditur. In Peru octo decim milliaribus à Lima versus Septentrionem in valle quadam magna copia salis reperitur, unde cui vis licet petere, quantum placuerit, quoniam continue accrescit, neque unquam exhaurienda videtur fodina hæc. In regno Musilipatan Indiæ Coromandeliæ ad urbem Baganaga maxima salis copia effoditur, unde omnes Indi petunt. Plures salis fodinas Lectores studiosi colligere poterunt. De fontibus salinis dicemus capite alio.

Propositio II.

Sylva dicitur arborum multitudo longo & continuato tractu terræ protensa, & sine cultura propagata.

Pleræque Sylvæ unius tantum speciei arborum habent, & ab hisce denominantur; cumque arborum magna sit varietas, variæ quoque Sylvarum differentiæ existunt, ut Palmetum dicitur Sylva palmas habens; Quercetum, quæ quercus; ita licetum, æsculetum, &c. etsi hæc vocabula frequentius pro nemoribus seu minoribus Sylvis sumantur. Diversa autem sunt in diversis regionibus, præsertim remotioribus. in Africa ad promontorium viride Sylvæ sunt malorum citrorum, aurantiorum (cujus fructus minimo pretio ibi carpere licet nautis appellentibus) quales etiam in aliis locis reperiuntur. In Gallia castaneæ arbores multas Sylvas faciunt. In Ceilano insula Sylvæ sunt arborum, quarum cortex cinamomum præbet. In Moluccis insulis Caryophyllorum arbores. In Bandanis Nuces muscatæ; In Brasilia

Sylv

Sylvæ arborum, quas Brasilienses vocant; & lignum durissimum, Brasiliense. In Africa dactyliferæ arbores faciunt Sylvas, inprimis in Numidia. In Insula Madagascar aliisque locis Tamarindiferæ arbores. In Libano monte cedri, quarum etiam integræ Sylvæ reperiuntur in Japonia, ita ut malos navium inde conficiant. In Hispania, Gallia, Italia, Olearum Sylvæ & myrti. In Germania Sylvæ constant abiete, quercu, alno, fago, pinu, junipero, acere, populo, fraxino, ulmo. Celebriores Sylvæ sunt, Hercinia, quæ olim totam fere Germaniam occupabat, pars ejus Sylva Bohemica, der Böhmerwald / & in Ducatu Brunswicensi Bacenis seu Semana, quæ sola hodie dicitur der Hartz / Gabreta, der Thüringerwald / Martiana, der Schwartzwald / & aliæ. In Scotia celebris Sylva Caledonia, atque in aliis provinciis aliæ, inprimis Norwegia, arboribus ingentibus abundat præ omnibus aliis regionibus, unde malos navium tota fere Europa accipit: Lithuania nil fere nisi arbores habet, unde magnus Regi Poloniæ reditus.

PROPOSITIO III.

Deserta dicuntur vasti terræ tractus, qui ab hominibus non coluntur.

Ea duplicia sunt; Proprie dicta & improprie: Illa, quorum solum seu terra sterilis est & infœcunda: hæc, quæ fertilem quidem agrum præbent, sed non coluntur ab hominibus, qualia in Moscovia, in locis circa Mare Caspium à latere Volgæ atque aliis locis reperiuntur, ubi non pauci fertiles & opimi agri jacent inculti, in Moscovia quidem ob copiam agrorum & incolarum segnitiem, circa Volgam vero prope mare Caspium ob bella Tamerlanis quibus olim illæ regiones vastatæ & incolæ fugati sunt.

Sed

Sed hæc minus proprie deserta dicuntur, proprie autem dictis celebriora sunt hæc, quæ quatuor species dividi possunt, nempe Deserta arenosa, ericosa, petrosa, paludosa: Ericosa plerique habent in plurimis locis hinc inde sylvas & mora, sunt quoque utiliora & facilius ad cultum perducuntur.

1. Africæ deserta fere omnia sunt arenosa, neque ulla pars terræ pluribus desertis laborat; maxima in Libya reperiuntur: totam quoque Ægyptum cingunt.

2. Arabiæ deserta, quæ partim arenosa, partim petrosa sunt. Sed celeberrimum est illud arenosum desertum in Arabia, quod vocant vulgo the Sand-see.

3. Deserta Tartariæ circa Imaüm montem. Inter Desertum Belgian circa Mongul, ubi falso hominus creditum fuit opimum Cathaiæ regnum existere.

4. Deserta Camboiæ.

5. Deserta Novæ Zemblæ petrosa.

6. Norwegiæ, Lappiæ, Sueciæ, Finmarchiæ.

7. Germaniæ deserta omnia sunt ericosa, vocantur *Heide*, unde desertum in Lunæburgensi Ducatu longitudine decem circiter milliarium vocant, *Lunenburger Heide*.

8. Deserta Americæ, &c.

SECTIO

SECTIO QUARTA
GEOGRAPHIÆ ABSOLUTÆ,
Continens Hydrographiam sex capitibus explicatam.

CAPUT XII.
De Oceani divisione per Terras.

QUoniam in præcedentibus de Terræ partibus & divisione egimus, ordo postulat, ut etiam Aquarum, quæ alteram Telluris partem faciunt, divisionem & situm contemplemur, atque earum proprietates, quæ ad Geographiam pertinent, explicemus. Capite septimo in Propositione secunda distribuimus Aquas in quatuor species, quæ sunt 1. Oceanus. 2. Fluvii & fontes aquæ dulcis. 3. Lacus & paludes. 4. Aquæ minerales. Hoc capite agemus de Oceani divisione.

PROPOSITIO I.

Oceanus continuo tractu universam Tellurem partesque terrestres ambit, neque ejus superficies per interpositas terras omnino alicubi interrumpitur, sed tantum latior continuitas & liber congressus impeditur.

Propositionis veritas non nisi per experientiam probari potest, inprimis à circumnavigatione Telluris, quæ toties jam tentata, & feliciter absoluta est, primo ab Hispanis, Duce Magellane primo inventore Freti: deinde ab Anglis, bis, nempe à Dracone & Candischio: postremo à Belgis quinquies.

Veteres de hac continuitate nequaquam dubitabant, quia Veterem tantum orbem pro Terra extanto habebant, eamque undique ab Oceano cingi, quidam etiam innatare censebant. At cum America esset detecta, (quæ à Septentrione ad

Au-

Austrum longissimo tractu exporrigitur & Oc
continuitatem impedit) & præterea Terra po
Septentrionalis & Australis, tunc vero dubita
de eo fuit non immerito. Existimabant enim
rique, & illud non erat vero absimile, Ameri
& Terram Australem conjungi, sicut etiam A
ricam Septentrionalem cum Groenlandia m
ex hodiernis Geographis continuam esse arbitr
tur. Quæ duo si ambo vera essent, non ambi
Oceanus totam Tellurem. Verum enim vero
sitationem & scrupulum sustulit Magella
quando anno 1520 invenit fretum inter Am
cam & Terram Australem, per quod conjungi
ceanum Pacificum cum Atlantico manifeste
tuit. Quod itaque veteres ex falsa persuasione
opinione se scire existimabant, illud nos ab infa
bili experientia scimus. Simile accidit cum Afr
Namque etiam ultra hanc Veteres sine ulla h
tatione ponebant Oceanum, atque Africam m
to minori spatio ultra Æquatorem protendi
mabant, quam revera est. Sed cum Lusitani
ra Africæ navigassent atque vastas hic Terras
etiam ultra Æquatorem tractu invenissent, t
vero dubitabatur, an posset circumnavigari Af
(ut ita in Indiam iter pateret) hoc est utrum A
ca extenderet se usque in Austrum, an vero Oc
no cingeretur. Hæc dubitatio sublata est à V
Gamma navarcho, quo primo Duce anno
circumnavigata est Africa, invento ejus ul
versus Austrum termino, Promontorio, quod
næ spei appellationem accepit à Rege Lusitania
no 1494, cum Diazius, qui primus de eo
(etsi ipse non superaverit deficiente commeat
urgentibus tempestatibus) de promontorii
procelloso Oceano multa apud Regem comm
rasset.

PROPOSITIO II.

Differentia in partibus Oceani, quæ à Terris oritur, tres habet species, sive Oceani aqua in tres quasi species potest dividi, quæ sint, 1. Oceanus particularis sive Maria. 2. Sinus maris sive Oceani. 3. Freta.

Oceani vox sumitur dupliciter. Interdum pro toto Oceano sive Aqua, quæ Tellurem ambit: aliquando & quidem frequenter pro quavis istius integri Oceani parte, quæ alteri parti adhæret lato tractu, & quidem ab utroque latere: ita dicimus Oceanus Atlanticus, Oceanus Germanicus, Æthiopicus, Indicus, Chinensis. In hac posteriori significatione propter usum loquendi nos quoque interdum ea voce utimur, etsi plerumque Mare vocemus Oceani integri partem, sed propter homonymiam Maris mox explicandam, Oceani vox frequenter in eo sensu adhibetur.

Sinus maris vel Oceani dicitur pars Oceani sive Aqua, quæ inter duas Terras ex Oceano vel alio sinu decurrit donec ad aliquam terram sistatur. Dicitur etiam communiter mare.

Fretum dicitur pars Oceani vel sinus Oceani pars, inter duas Terras angusto tractu decurrens & duo maria connectens, sive ab utraque extremitate cum mari conjunctum, per quod ex uno mari in alterum navigatur.

Tres hasce differentias in Oceani partibus reperiri probatur ab experientia & patebit ex sequentibus.

PROPOSITIO III.

Oceanus particulares, sive magnas totius Oceani partes, vel Maria, numeramus quatuor, respectu situs quatuor Terræ Continentium sive Maximarum Insularum; Germanis, Die offne See/ quæ sunt,

1. Ocea-

1. *Oceanus Atlanticus*, est ea pars Oceani, q inter Veteris orbis littus Occidentale, & Nori bis littus Orientale sita est.

Dicitur quidem vulgo *Mar del Nort*, Septentr nale Mare, sed minus proprie, cum ultra quatorem versus Austrum se extendat. rectius duas partes dividitur, una ab Æquatore versus ptentrionem, altera versus Austrum exporrig Habet itaque ab Oriente, orbis Veteris littus cidentale, & ab Occidente, Americæ littus Ori tale. Versus Septentrionem, coit cum Oce Hyperboreo sive Septentrionali: Versus Austr cum Australi.

2. *Oceanus Pacificus*, vulgo *Mare Pacificum*, *del Zur*, quod inter Americæ littus Occidental Asiam interjacet ingenti tractu usque ad insulas diæ & Philippinas atque Chinam usque.

3. *Oceanus Hyperboreus*, Septentrionalis, c Terram polarem Arcticam.

4. *Oceanus Australis*, circa Terram Austral cujus Oceani pars est Oceanus Indicus.

Alii Geographi quatuor partes Oceani con tuunt alia divisione; Atlanticum unum facia sed non extendunt ultra Æquatorem: hic e incipiunt secundum, quem vocant Æthiopicu Tertium numerant cum nobis Pacificum: Q tum, Indicum. Sed nos in divisione nostra ximus ad Quatuor Magnas Continentes Terr sive ad maximas Insulas. Possunt quoque tres tes constitui, nempe Oceanus Atlanticus, Pa cus & Indicus, sed tunc Atlanticum extendi latius. Res est non magni momenti: Sequa quilibet, quod ipsi optimum videtur. Magis e à nostra fictione, quam à Natura depende divisio.

PROPOSITIO IV.

Partes Oceani accipiunt denominationes à nominibus terrarum, quas alluunt.

Ita dicimus Oceanus Cantabricus, Britannicus, Indicus, Chinensis, & plurimæ sunt tales appellationes.

PROPOSITIO V.

Sinus Maris sunt duplices, Oblongi & Lati. Alio quoque modo duplices sunt, nempe primarii & secundarii. Illi ab Oceano, hi ab alio sinu oriuntur vel influunt, sive primarii sinus pars sunt vel ramus. Oblongi primarii numerantur,

1. *Mare Mediterraneum*, celeberrimum, ab Oceano inter Hispaniam & Barbariam irrumpit, & inter Europam & Africam decurrit longo spatio usque ad Syriam, Asiam minorem & Thraciam. Dicitur etiam mare Internum, Germanis die Strasse / Belgis *de Straet*, unde *een Straets-vaerder*, nauta, qui ad regiones, quas sinus hicce alluit, navigat, ut ad Syriam, Italiam, Siciliam, Venetias, &c.

Plurimos secundarios sinus facit vel emittit, nimirum sinum Adriaticum (*Golfo di Venetia*) sinum Thessalonicensem, mare Ægæum, &c.

De Ponto Euxino non immerito dubites, utrum hujus primarii sinus pars sit dicendus, de quo vide Caput xv.

Distinguitur autem mare Mediterraneum variis nominibus desumtis à variis regionibus, quas alluit. Etenim versus Septentrionem habet Hispaniam, Galliam, Italiam, Siciliam, Illyricum, Græciam, Cretam, Thraciam, Asiam minorem. Versus Austrum habet Marocco, Fessanum regnum, Tunetanum, Ægyptum. Inde appellationes, mare Ibericum, Gallicum, Ligusticum, Siculum, Baleari-

learicum, Cretense, &c. Exporrigitur ab Occide-
te in Orientem. Fluvios recipit plurimos.

2. *Mare Balthicum*, *sinus Codanus*, Germa-
die Oost-See/ improprie. Irrumpit ex Oceano i-
ter Terras inter Selandiam Daniæ insulam, & G-
thiam Sueciæ continentem, ut etiam inter Sel-
diam & Jutlandiam. Primo oblonga via à s-
ptentrione in Austrum fluit, mox reflectens la-
gissimo spatio ad Septentrionem excurrit, in-
Germaniæ provincias Megapolim, Pomeraniam
Cassubiam, Borussiam, Livoniam, &c. ab o-
latere, nempe Orientali. Ab Occidentali la-
habet Sueciam & Lappiam. Præbet tres secun-
rios sinus, quorum duo sunt oblongi, nempe B-
nicus & Finnicus. Tertius est latus, Livonicus
mirum.

Fluvios recipit insignes magnitudine.

3. *Mare rubrum*, *sive Sinus Arabicus*, *mar di M-
ea*, ex Oceano Indico fluit inter promontorium
rabiæ ad Aden urbem & inter Africæ promon-
rium, atque inter Africam versus Occidentem,
Arabiam versus Orientem decurrit: sistitur ad
mum Africæ, ad urbem Suez, ubi est statio Cla-
Turcicæ. Fluvios paucissimos & parvæ magnitu-
nis recipit. Ex Africa nullum, ut quidam annota-
Exporrigitur ab Austro Euri plaga ad collateralem
Borealis plagæ versus Zephyrum.

4. *Sinus Persicus*, inter Arabiam & Persiam d-
currit ex Oceano Indico circa insulam Ormus. P-
siam habet ab Oriente, Arabiam ab Occidente. S-
stitur ad provinciam Chaldææ. Exporrigitur à pl-
Euro-australi ad Zephyro-borealem. Fluvios recip-
paucos præter Euphratem & Tigrin jam ante co-
junctos.

5. *Sinus Californiæ*, Mare Vermejo vel
brum: Inter Californiam & Occidentale Ame-
cæ Mexicanæ littus decurrit, ab Austro versus
pe-

ptentrionem. Terminatur ad incognitam Americæ provinciam Tatonteac. Fluvios accipit paucos. Moderni nautæ asserunt Californiam, esse insulam: quod si ita est, non erit hic aquæ tractus sinus, sed potius fretum.

6. *Sinus de Nanquin* inter Coream & Chinæ Tartariæque littora decurrit ad Septentrionalia Tartariæ loca, ubi Tenduc regnum Cathaiæ ponitur: falso tamen, ut hodie quidam censent, qui Coream insulam esse volunt. Fluvios accipit paucos. Exporrigitur ab Austro versus Septentrionem.

Hi sunt oblongi sinus, quibus minores addi possunt, ut sinus ad Cambaiam, atque alii. Quatuor posteriores ex enumeratis non præbent sinus secundarios, nempe Arabicus, Persicus, Californiæ, Nanquinensis: sed solus Mediterraneus & Balthicus.

Propositio VI.

Latos sinus sive hiantes numero septem, qui sunt,

1. *Sinus Mexicanus*, mare Mexicanum, ex Oceano Atlantico inter partes Americæ Septentrionalem & Australem, quas separat, fluit: ab Orientali plaga ad Occidentalem. Sistitur ad Isthmum longum inter illas terras, qui impedit ne Pacificus & Atlanticus Oceanus coëant ab hac parte. Fluvios recipit non paucos. Multitudine insularum certat cum mari Ægæo.

2. *Sinus Gangeticus*, Golfo di Bengala, inter Indiam & Malaccensem Chersonesum insunditur ex Oceano Indico: ab Austro versus Septentrionem: sistitur ad regna Indiæ, Bengalam & Pegu, &c. Recipit insignes fluvios præter Gangem.

3. *Sinus inter Malaccam & Camboiam* non procul à Gangetico, itidem ab Austro versus Septentrionem infunditur: Sistitur ad regnum Siam & alia.

4. *Mare*

4. *Mare album*, Sinus Russicus. Ex Oceano Septentrionali inter Lappiam & extrema Russiæ littora influit versus Austrum: terminatur partim ad Finlandiam, partim ad Moscoviæ regnum (Præbet parvum quendam oblongum sinum, qui ad Lappiam extenditur:) ubi celebre & frequentatum ab Anglis & Belgis Emporium Archangelo dictum. Fluvios recipit insignes.

5. 6. *Mare Lantchidolinum*, sinus est inter terræ Australis provincias Beach & novam Guineam ab Oceano Indico fluens: à Septentrione versus Austrum exporrigitur: terminatur ad incognitam Terræ Australis. Huic *alius sinus vicinus* est versus Occidentem inter Beach & Terram aliam Australem procurrentem, ubi est Terra dicta Anthonii à Diemen, quod est nomen Belgici Prætoris navalis, sub quo detecta est hæc terra.

7. *Mare Hudsonii*, sinus est inter Novam Franciam & Canadam aliasque Americæ Septentrionalis ex Oceano Septentrionali infusus. Terminatur ad Estotilandiam.

Propositio VII.

Freta sunt triplicia. Vel enim conjungunt Oceanum cum Oceano: vel Oceanum cum sinu: vel sinum cum sinu.

Enumerabimus quindecim, quorum tria sunt celebria & præcipua.

1. Primo loco merito numerandum est Magellanicum Fretum, quod & celeberrimum & longissimi est tractus: Conjungit Oceanum Atlanticum cum Pacifico, atque ex uno in alterum præbet Transitum. Longitudo est ab Oriente in Occidentem centum & decem milliarium: latitudo varia, modo duorum milliarium, modo unius, modo quadrantis. Magellanes primus invenit & navigavit anno 1500: et

Vasc

Vascus Nunnius de Valboa prius, nempe anno 1513, illud animadvertisse dicitur, cum ad Australem regionem lustrandam istic navigaret. Latitudo sive distantia ejus ab Æquatore est 52 gr. 30 min. Antiquitate notitiæ hominum cedit aliis fretis. Ad Septentrionem habet Chicam Americæ Australis provinciam: ad Austrum jacent insulæ Magellanicæ Terræ, & *Terra del Fuego*.

2. Huic vicinum est *Fretum le Maire*, inter terram Australem & Magellanicas insulas, ab Oriente in Occidentem, minus longum quam Magellanicum: per illud multo brevior via ex Oceano Atlantico in Pacificum. distat ab Æquatore 54. gr. 30 min.

3. *Fretum Manilhas*, inter Luconiam & Mindanao aliasque Philippinas insulas protensum, dicitur esse centum leucarum, navibus periculosum ob crebras Syrtes: extenditur ab Oriente in Occidentem: conjungit Pacificum Oceanum cum Indico ab illa parte, etsi liberiores in vicinia sint conjunctiones.

4. Plurima freta sunt inter insulas Indicas ipsas, tum inter Insulas & vicinas Continentes, ut 1. inter Ceilanum & Indiam. 2. Inter Sumatram & Malaccam. 3. Inter Sumatram & Bandam, &c.

5. *Fretum Waigats*, per quod ex Septentrionali vel Russico mari in Tartaricum Oceanum via est, sed à glacie clausa tenetur hactenus, saltem Europæis: Jacet inter Samoiedam & Novam Zemblam.

6. *Fretum Glaciale* inter Novam Zemblam & Spitzbergam vel alio nomine appellandam Terram polarem.

7. *Fretum Davis*, inter Groenlandiam & Americam Septentrionalem, sed ejus exitus nondum cognitus, & ideo dubium adhuc est, utrum fretum sit an sinus.

8. *Fretum Forbischers*, si non ad Oceanum Pacificum, saltem ad sinum Hudsonii viam præbet Antlantico Oceano.

9. *Fretum Anian*, inter Americam Septentrionalem & Tartariam Asiæ, per quod ex Oceano Tartarico in Pacificum via esse dicitur: sed adhuc incertum. Aliquod tamen fretum esse inter Americam Septentrionalem & Tartariam, atque etiam aliud inter Americam & Groenlandiam, periti nautæ ex eo colligunt, quod in maris Pacifici ea parte, quæ inter Tartariam & littora Occidentalia Americæ Septentrionalis jacet, septingentis milliaribus à Japone ad Americam fluctus maris & motus sit à borea & Zephyroborea, etsi diversi vel ab alia plaga spirent venti (nautæ vocant *de holle Zee van 't Noorden*); sed centum milliaribus ante littus Novæ Hispaniæ omnino cessat ille motus & fluctus, nimirum feruntur ad patens aliquod fretum ultra Novam Hispaniam versus boream situm. Adde, quod in septingentis illis milliaribus reperiuntur multæ balænæ, & pisces, quos Hispani vocant Albacores, Bonitos, & Arum: quæ piscium genera circa freta plerunque agitant: ut verisimile sit, eos ex freto vel mari Anian in hanc Oceani Pacifici partem pervenire, cum in reliqua hujus Oceani parte non reperiantur. Verumenimvero plurimi è recentibus omnino negant istud fretum, & vastum mare inter Tartariam sive Coream & Americam ponunt.

10. FRETUM GADITANUM, Herculeum, *di Gibraltar*, per quod Oceanus Atlanticus fluit vel efficit sinum Mediterraneum. Latitudo minima est unius circiter milliaris: longitudo major: jacet inter Hispaniam & Africam. Olim non fuisse, sed ab Oceano in Terras irrumpente extitisse scripserunt Veteres.

11. FRETUM DANICUM, det Sund.

Jacet

Jacet inter Daniæ insulam Zeelandiam, & Scandiam. Per illud Oceanus Atlanticus fluit in sinum Balthicum. Latitudo est dimidii milliaris non integri, ubi minima. Huic freto adjungendum est alterum inter Zelandiam & Funen, & tertium inter Funen & Jutlandiam, dictum der Belt.

12. *Fauces Arabici sinus.* Sunt ad Aden emporium per quas ex Oceano Indico in mare rubrum via est.

13. *Fretum Persici sinus*, sed minus proprie ita dicitur, quia non est angustior ingressus, quam ipse sinus.

14. *Hellespontus*, fretum satis celebre apud Græcos, per quod ex Ponto Euxino in Propontidem via conceditur. Huic vicinum est aliud fretum, dictum *Bosphorus Thracicus*, quo ex Propontide in mare Ægeum pervenitur.

15. *Fretum inter Siciliam & Italiam.*

Quidam existimarunt, fretum quoddam esse ad latus Septentrionale Virginiæ, ad latitudinem 40 gr. per quod conjungatur Oceanus Atlanticus Pacifico, & libera via ex Europa in Chinam & Philippinas concedatur: Sed frustra id per Hudsonium anno 1609 tentatum fuit. Sic itaque explicavimus differentias partium Oceani à Terrarum situ existentes, sicut capite octavo differentias Terrarum ab interfluente Oceano ortas ante oculos posuimus. Ad quorum omnium faciliorem memoriam non inconsultum erit, si adolescentes periplum oræ maritimæ Terrarum & Oceani tractus uno quasi intuitu perlegant. Ad faciliorem situs partium Telluris memoriam facit quoque non parum cognita habere littora Oræ maritimæ continentium, atque eorum conjunctionem: item partium maris connexionem & situm.

Periplus oræ maritimæ Veteris seu nostri qui

comprehendit Europam, Asiam atque Africam, Orbis, est hic. Terminus ejus versus Septentrionem est fretum Waigats: Hinc itaque placet incipere. Freto Waigats adjacet provincia Samoieda, & versus occasum progrediendo provinciæ regni Moscovitici, ubi etiam terra sinu facto recipit Mare album è Septentrionali: Dein est Lappia, & versus occasum Norwegiæ littus jacens à Septentrione ad Austrum. Hic facto flexu ad Orientem littus Scaniæ & Gothiæ, ubi iterum facto sinu, cujus alterum latus Jutlandia, recipit mare, quod dicitur Balthicum, affluens ad Sueciam, Finlandiam, Livoniam, Borussiam, Cassubiam, Pomeraniam, Megapolin, Holsatiam & Jutlandiam. Tunc sequitur alterum littus Jutlandiæ, & Holsatiæ, Frisiæ, Hollandiæ, Zelandiæ (ubi mare dicitur Germanicum) Galliæ, Hispaniæ. Hic iterum fit divaricatio, factoque sinu recipitur Mare Internum alluens Hispaniam, Galliam, Italiam, Illyricum, Græciam, Thraciam, Asiam minorem, Ægyptum & Barbariam, ubi ad Marocco iterum littus è regione respondet littori Hispanico, & sequitur postea littus Occidentale Africæ ad promontorium Viride, ubi littus flectitur ad Ortum, nempe hic sunt Guinea, Angola, Congi versus Austrum ad promontorium Bonæ spei, ubi iterum versus Septentrionem littus flectitur Mozambique, Soffala, & sinus efficitur pro mari rubro seu Arabico: sequitur littus Arabiæ, hinc sinus Persici littora, & versus Orientem littora Persiæ, Cambaiæ, Indostanis, Indiæ Malaccensis, Bengalæ, Camboiæ, Chinæ, Tartariæ ad Coream, vel ad fretum Anian, unde per littora Tartariæ Septentrionalia & Samoiedæ reditur ad Fretum Waigats.

Circumscriptio seu periplus Americæ est hic:

Incipiemus à littore Freti Davis, ubi sinu facto recipitur Mare Hudsonii: hinc facto reflexu littora

tora Estotilandiæ, Novæ Angliæ, Franciæ, Virginiæ, Floridæ, Mexicanæ, Isthmi Americani, Castiliæ del Oro, Guianæ, Caribanæ, Brasiliæ, Chicæ: hic littora freti Magellanici versus Austrum spectantia, sed ab Ortu versus occasum extensa: hinc ab Austro ad Septentrionem decurrit littus Chili, Peru, Isthmi Americani, Mexicani, ubi ad Californiam sinu facto recipitur Mare Vermejo: hinc littora Californiæ, novæ Albionis, Quirivæ, regni Anian, ubi littora freti Anian, quod hodie negant existere, & sequuntur littora ignota, quæ ad Fretum Davis extendantur.

Circumscriptio Terræ Septentrionalis polaris est hæc. A freto Davis littora Groenlandiæ incipiunt, quæ aliquantulum procurrunt versus Austrum, deinde redeunt ad Septentrionem, & Spitsbergæ littora dicuntur.

Decurrit dein littus è regione Novæ Zemblæ, & objicitur Oceano Tartarico: ubi reliqua littora ad fretum Davis ignota sunt.

Terræ Magellanicæ periplus est talis. A freto Magellanico vel le Maire incipit littus & factis flexibus variis ad Beach regionem, ubi facto sinu recipitur Mare Lantchilonium: hinc littora Novæ Guineæ procurrunt versus septentrionem, & redeunt dein ad Austrum, pergunt dein ad Fretum Magellanicum. Ita se habet Terrarum periplus.

Videamus jam Oceani circumductum. Inter fretum Davis & Novæ Zemblæ sumimus initium: atque hic mare Hyperboreum, glaciale, Caledonium, Groenlandiæ dicitur: deinde decurrit inter Europæ littora & Americæ, diciturque Oceanus Britannicus, Danicus (ubi sinum facit) Germanicus, Gallicus, Hispanicus, (ubi mare Mediterraneum & Mexicanum præbet) Atlanticus in specie: Hic nempe ubi inter Brasiliæ & Africæ littora decurrit, dicitur mox Æthiopicus, & fretum

Magellanicum ab una parte ingreditur, ab altera Orientali plaga est Mare Indicum & Australe, ubi inter Africam & Magellanicam porrigitur, dein inter Asiam & eandem Magellanicam, & pervenitur in mare Pacificum, quod extenditur ad Septentrionalia freta Waigatz & Anian, & ad Australe fretum Magellanicum (quo mediante jungitur Atlantico) directe autem appellit ad Americæ littora Orientalia, Chili, Peru, Mexicana, Californiæ, Albionis novæ, &c.

Hisce præterea subjungo duas Tabulas, quarum una continet divisionem partium terræ: altera divisionem partium Oceani.

CAPUT XIII.

De Oceani atque ejus partium proprietatibus quibusdam.

PROPOSITIO I.

Oceani atque omnium liquidorum superficies est rotunda, Sphærica, sive est *pars superficiei Sphæricæ, cujus centrum idem est quod Telluris totius, sive Terræ.*

Hujus theorematis veritas apparet ex illis argumentis, quibus capite tertio probavimus, Telluris superficiem esse Sphæricam, quia tam de aqua, quam Terra valent ea, quæ ibi attulimus. Sed quia illæ probationes tantum à posteriori concludunt, placet hoc loco proponere Demonstrationem à priori factam, per quam Archimedes de omnibus liquidis probavit superficiem Sphæricam, supposita hac, tanquam re certa, in Terra sive parte Telluris consistente. Etenim Archimedes in Demonstratione sua supponit tria. 1. Terram in medio sui habere aliquod centrum, adeoque

Sphæ-

- TELLUS dividitur in TERRAS & AQUAM.
  - TERRAS dividitur in fluvios, lacus, paludes & MARE continuum. MARE autem per terras distinguitur in hasce differentias tres.
    - 1. OCEANUM cujus sunt partes primariæ quatuor:
      - Atlanticum, Mare del Nort, cum Æthiopico inter Europam, & Africam ab uno latere, ab altero Americam interfluens, varia sortitur nomina secundum partes,
        - Britannicus.
        - Gallicus.
        - Æthiopicus. &c.
      - Mare Pacificum, sive mare del Zur inter Asiæ extrema Indicasque Insulas & Americæ Occidentale litus.
      - Mare Septentrionale circa terram Septentrionalem,
        - Oceanus glacealis, Tartaricus, hyperboreus, &c.
      - Mare Australe circa Magellanicam, cujus pars mare Indicum.
    - 2. SINUS
      - 1. Mare Mediterraneum seu Internum, inter Africam & Europæ regiones decurrens ad Asiam Minorem. Ejus partes sunt
        - Mare Ibericum, Ligusticum, Siculum, Creticum, &c.
        - Sinus secundarii multi,
          - Sinus Adriaticus, Golfo di Venetia.
          - Pontus Euxinus.
          - Sinus Corinthiacus, & plures alii.
      - Oblongi, quorum numero sex, suntque
        - 2. Mare Balthicum sive sinus Codanus, unde sinus secundarii
          - Livonicus.
          - Botnicus.
          - Finnicus.
        - 3. Sinus Arabicus inter Africam & Arabiam.
        - 4. Sinus Persicus, inter Arabiam & Persiam.
        - 5. Sinus Californiæ, inter Californiam & Novam Granadam.
        - 6. Sinus Coreensis, inter Coream & ultimæ Tartariæ Chinæque littora.
      - Lati seu hiantes, quorum numero totidem, nempe sex, suntque:
        - Sinus Mexicanus inter Americam Septentrionalem & Meridionalem.
        - Sinus Gangeticus, sive Golfo di Bengala, inter Indostanis littora & Malaccæ.
        - Sinus inter Malaccam & Camboiam.
        - Mare album à Septentrionali Oceano inter Lappiam & extrema Moscoviæ.
        - Mare Lantchidol, inter Beach & novam Guineam terræ Magellanicæ.
        - Mare Hudsonii inter novam Franciam & Canadam ex Septentrionali Oceano ortum.
    - Hi carent fretis.
    - 3. FRETA
      - Magellanicum, quo ex Atlantico vel Æthiopico mari pervenitur in Pacificum. Est omnium fretorum longissimum.
      - Fretum le Maire, vicinum Magellanico, & ejusdem usus.
      - Fretum Waigats, quo ex Septentrionali Oceano in Tartaricum itur.
      - Fretum Anian, quo ex Tartarico in Pacificum mare: sed hodie negant illud.
      - Fretum Davis, Forbischers, quibus ex Atlantico in Tartaricum vel Pacificum Oceanum pervenitur.
      - Fretum Novæ Zemblæ, quo ex Hyperboreo & glaciali Oceano in Tartaricum via concederetur, nisi glacies obstaret.
      - Fretum GADITANUM, quo ex Oceano Atlantico in mare Mediterraneum via est.
      - Fretum DANICUM, der Sund / quo ex Atlantico in mare Balthicum via est.
      - Fauces Arabici maris, quibus in sinum Arabicum navigatur.
      - Fauces Persici maris, quibus in Persicum.
      - Hellespontus & Bosphorus, quibus ex mari Ægeo in Pontum.
  - De Mari Caspio an peculiare sit, vel an ad latos Sinus Oceani, cujus sit subterranea via, referendum, dubium est.

Sphæ
hanc
(æqu
conti
expel
quan
eam
terra
aliqu
sita
sitio
strat
Si si
unu
ctio
illue
erit
oste
sect
ctio
pro
cta
D.
Sph
hoc
à pu
ctas
pro
qua
lib
lan
eni
sur
qu
ria
æq
D

Sphæricæ figuræ esse. 2. Omnium liquidorum hanc esse naturam, ut partibus eorum æqualiter (æquali à centro terræ distantia) jacentibus & continuis inter sese, minus pressa à magis pressa expellatur, quod ab experientia ostendit. 3. Unamquamque liquidi partem premi à liquido super eam existente ad perpendiculum respectu centri terræ, si hoc liquidum sit descendens aut ab alio aliquo corpore prematur. Præter hæc tria supposita Archimedes utitur aliqua Geometrica propositione, quæ in elementis non invenitur demonstrata, & ideo ipse eam demonstrat, quæ est hæc: Si superficies aliqua secetur planis quotcunque per unum punctum transeuntibus, sitque omnis sectio peripheria circuli centrum habens punctum illud, ista superficies est Sphærica, cujus centrum erit punctum illud dictum. Hoc autem facile est ostendere. Sit enim corporis alicujus superficies secta per punctum D plano IFKEP, & sit sectionis linea IFKEP peripheria circuli habens pro centro ipsum, atque in omni sectione per D facta reperiatur peripheria circuli habens centrum D. Ostendendum est, quod superficies ista sit Sphærica, & D esse ejus centrum, D punctum, hoc est, omnia ejus lineæ puncta æqualiter distent à puncto D. Concipiamus enim à puncto D ductas esse quotvis rectas ad alia puncta superficiei propositæ. Has itaque omnes inter se invicem æquales esse demonstrandum erit. Assumatur quælibet ex illis à D ductis ad superficiem, & per illam atque per rectam DF ducatur planum (Duæ enim rectæ se mutuo secantes vel concurrentes sunt in uno plano, per 2 lib. XI Elem.) Hoc itaque planum superficiem secans faciet peripheriam circuli ex hypothesi. Quare ducta illa & æqualis erit rectæ DF, atque ita de omnibus ex D puncto ductis ostendemus, quod æquales sint

ipsi D F, & propterea, quod omnes inter se invicem sint æquales. Ex quo infertur, superficiem istam esse Sphæricam, habentem pro centro punctum D. Superficies enim Sphærica est superficies curva, intra quam punctum aliquod est, ex quo ductæ omnes rectæ ad illam superficiem sunt æquales.

Hisce præmissis, demonstratur sphærica superficies de omni liquido, hunc in modum: sit liquor aliquis consistens E F G H, centrum terræ D, & concipiamus liquorem istum secari plano transeunte per D. Sit facta sectio in superficie liquoris linea E F G H. Ostendendum est primo, hanc lineam E F G H esse curvam, nempe peripheriam vel arcum peripheriæ circuli, cujus centrum sit D. Si enim fieri potest, ut non sit talis peripheria, inæquales erunt rectæ ex D ductæ ad illam: sint ductæ inæquales D E, D G, nempe D G major sit quam D E, & sit D G maxima ex omnibus, quæ ducuntur à D, atque D E sit minima. Ducatur alia recta D F, angulum G D E bisecans ad EFGH, ita ut hæc D F major sit quam D E, minor vero quam D G. Deinde centro D intervallo D F in eodem hoc plano describatur peripheria vel arcus circuli I F K H, cujus peripheria rectam D E ultra punctum E protractam secabit nempe in puncto I, sed rectam D G citra G nempe in K puncto.

Porro centro D intervallo D L, quæ minor sit quam D E, describatur peripheria vel arcus L M N intra liquorem in plano I F K H. Partes itaque humoris contenti intra D L N sive circa peripheriam L M N æquali distantia à centro D jacent & continuæ sunt: sed eæ partes, quæ sunt circa M N magis premuntur, quam illæ quæ sunt circa L M, quia illæ premuntur à majori pondere, nempe à majori aquæ copia existente supra illas, quam hæ ad L M.

Ita-

Itaque partes juxta L M, cum minus premantur, expellentur à partibus juxta M N, & hæ illarum locum occupabunt, neque consistet liquor. Atqui ponebatur liquor consistens esse & quietus. Erit itaque liquor consistens & non consistens, quod est absurdum. Quare rectæ ex D ductæ ad lineam E F G H non sunt inæquales, sed æquales, atque adeo linea E F G H est arcus peripheriæ circuli, cujus centrum est D. Eadem autem est demonstratio de omnibus planis secantibus superficiem liquorum & per D transeuntibus, nimirum sectionem esse arcum peripheriæ circuli centri D ostendetur. Quoniam itaque superficies liquorum talis est, ut, si secetur planis utcunque per D transeuntibus, sectio semper sit peripheria circuli, ideo sequitur ex demonstrata antea propositione, quod superficies liquorum sit sphærica centrum habens punctum D, quod est Terræ centrum; Oceani itaque superficies est sphærica habens idem centrum, quod est Terræ centrum: quod idem etiam ex sequentis Propositionis confirmatione manifestum fiet.

PROPOSITIO I.

Oceanus non est majoris altitudinis, quam terræ littora, atque ideo terra & aqua ejusdem fere sunt altitudinis ubique, exceptis montibus excelsis.

Hujus Propositionis veritas à priori quidem demonstratur per præcedentem propositionem. Si enim superficies Oceani est sphærica & ejusdem centri cum Terræ superficie, & vero circa littora mare non est altius, quam terra, ideo neque medium Oceani erit altius quam terra, sed faciet ejus superficies cum hujus superficie unam eandemque sphæricam superficiem. Verum sine præcedenti propositione ostendemus theorema hoc à posteriori hunc in modum, ut præcedens propositio

ex hac possit ostendi, si præcedenti Demonstrationi minus fidamus propter factas hypotheses.

1. Experientia testatur, aquam liberam nec impeditam fluere ex locis altioribus ad loca minus alta. Si itaque circa littora esset locus minus altus, quam in medio Oceano, defluereet pars maris è medio Oceano ad littora, neque consisteret vel tranquillum esset, quod tamen in tranquillitate aëris non deprehenditur.

2. Si Oceanus à littoribus longe remotus esset multo altior, quam mare ad littus, conspiceretur ea altitudo è majori intervallo, quam sphærica superficies admittit: imo ex eadem distantia videri debebat, ex qua videntur partes Oceani interceptæ inter illam altitudinem & littus. Atqui experientia testatur, quod non conspiciatur è majori distantia, sed quod paulatim pars remotior post viciniorem detegatur, quando è mediterraneis locis ad littus accedimus, & quo quævis pars littori est vicinior, eo prius sive majori ex intervallo à littore conspicitur. Non itaque pars Oceani à littore remota est altior, quam ea, quæ vicina est illi. Quare Oceanus est ejusdem ubique altitudinis tam in medio quam ad littora, neque altior quam terra.

3. Nautæ in medio Oceano altoque pelago versantes, etsi Mathematica instrumenta adhibeant, non tamen majorem ibi deprehendunt altitudinem, quam in partibus littori vicinis; quod certe haud fieret, si mare quandam altitudinem tanquam turrim vel montem elevatum haberet. Sicut enim instrumentis deprehendimus altitudinem turrium vel montium supra subjectas terræ partes, ita quoque si quæ esset altitudo medii Oceani supra vicinas partes, ista nequaquam lateret neque instrumentorum subtilitatem effugeret.

4. In Oceano etiam medio hinc inde reperiuntur

tur insulæ, & quidem magno numero in quibusdam partibus, quæ vicinæ sunt Continentibus sive maximis insulis. Non itaque medius Oceanus altior est quam terra, quia non altior est quam littora illarum insularum.

5. Nullus Oceani fluctus diu suspensus permanet in cumulo: sed statim diffunditur ad omnimodam æqualitatem cum vicina parte ineundam. Itaque nec in medio Oceano talis tumor eminens supra vicinas partes erit.

6. Nulla causa dari potest, cur aqua in medio Oceano altior sit, & cur non influat in alveos fluviorum, si horum aquæ sunt depressiores. Videmus enim vel deprehendimus experientia, quod aqua ubicunque sita moveatur ad vicinas partes, si hæ sint minus altæ, unde tot inundationes extiterunt.

Ex hisce, ut puto, sufficienter colligimus, Oceani aquas non esse altiores quam littora terrarum. Quoniam itaque paucorum littorum altitudo aliquantum major est quam vicinæ mediterraneæ terræ, in plerisque vero minor, cum terrarum altitudo à littoribus versus mediterranea loca accrescat & tanquam in umbilicos assurgat; inde concludimus, quod Oceani superficies non sit altior quam terrarum superficies. Quod autem altitudo terrarum à littoribus ad loca mediterranea accrescat, sive quod loca mediterranea altiora sint littoribus, id probatur è fluxu fluviorum, quorum plerique oriuntur in locis mediterraneis & fluunt ad Oceanum. Sunt itaque partes mediterraneæ aliquantulum saltem altiores quam littora, quoniam ab illis ad hæc fit fluxus. Fluit enim aqua à partibus altioribus ad loca minus alta. Quasdam autem regiones esse aliquantum depressiores, quam Oceani aquam, non negamus: sed illæ vel altitudine littorum defenduntur, vel aggeribus,

vel aliis interpositis terris. Aggeres tamen plerique facti sunt non propter majorem altitudinem Oceani in naturali suo statu hoc est tranquilli existentis, sed propter impetuosum ejus à ventis vel alia causa concitati motum.

Corollarium. Frustra itaque sunt, qui Oceani aquas altiores esse quam terram volunt, atque ad miraculosam providentiam confugiunt, qua impediatur Oceani in terras exundatio & totius Telluris diluvium. Ostendimus enim aquæ & terræ unam & eandem fere esse sphæricam superficiem: plerasque vero terræ partes, ad minimum ipsa littora, habere majorem altitudinem, quam medium Oceanum, atque hanc esse causam, cur Oceanus nequeat inundare terras, quæ major altitudo si in quibusdam littoribus tollatur, ruptis aggeribus vel aucta & appulsa magna aquæ copia, tum vero existunt inundationes. Neque omnino impossibile est vel contra naturam ut tota terra obtegatur ab aqua, ut in fine capitis dicemus.

Propositio III.

Cur mare conspectum è littore videtur in majorem altitudinem & tumorem assurgere, quo à littore remotius est.

Est fallacia visus, sive ut rectius dicamus, æstimativæ facultatis, quæ multos in eum adduxit errorem, ut Oceanum medium multis stadiis altiorem esse quam littora defendere conati sint. Sed permirum est, illis non venisse in mentem aliorum experimentorum quotidianorum in vita communi, in quibus fallacia ista manifesta satis est. Si enim pavimentum aliquod seu aream longo exporrectam tractu vel seriem columnarum aspiciamus, cuivis videbuntur partes remotiores pavimenti esse altiores quam vicinæ partes, ita ut inde à nostro loco ad remotissimum area videatur paulatim

latim magis magisque elevari, cum tamen ubique ejusdem sit altitudinis. Eodem modo se res habet cum aquis Oceani. Si enim in littore adhibeatur instrumentum Geodæticum librandis locis commodum, deprehendimus nullam remotæ Oceani partis elevationem supra littus, sed potius exiguam aliquam depressionem, ita ut undæ subsideant infra Horizontem littorum.

Causam fallaciæ explicant Optici. Sit oculus A, & conspiciat pavimentum sive aquæ superficiem in longum spatium exporrectam a e. Dividatur angulus a A e in partes æquales vel angulos quatuor, qui sint e A d, d A c, c A b, b A a ductis rectis A b, A c, A d. Hæ dividant rectam a e in partes admodum inæquales a b, b c, c d, d e nimirum remotiores erunt multo majores, ut apparet ex ipso Diagrammate, nempe e d major est quam d e, & d e major quam b c, & b c quam a b. Etsi autem hæ partes valde inæquales sint, tamen æquales videbuntur, quia sub æqualibus angulis a A b, b A c, c A d, d A e videntur, atque æstimativa facultas judicabit illas æquali distantia ab oculo A removeri (in quo multum fallitur) atque ideo lineas A b, A c, A d, A e judicat esse A f, A g, A h, A k, ut a b, f g, g h, h k æquales sint; Unde partes b c, c d, d e videntur elevatæ, quasi essent, f g, g h, h k.

Vel brevius. Quia oculus magis elevatur ad remota conspicienda, quam ad propinqua ubi deprimitur, ideo etiam remota judicantur esse elevata, & propinqua depressa. Vel, quoniam ad partes vicinas comparamus nostri oculi elevationem, ideo illas depressas judicamus; sed ad partes remotas non ita possumus comparare nostri oculi elevationem, ideo ipsa videntur magis elevata quam revera sunt.

Sic itaque vidimus, ex eo, quod Oceanus con-

templanti è littore videtur altior fieri, quo magis removetur, ex eo, inquam,, non probari quod revera sit altior.

Aliam causam vel indicium ejus afferunt quidam, nimirum ideo medio Oceano majorem altitudinem quam terræ attribuendam esse censent, quod existiment aliter fieri non posse ut aqua ex Oceano perveniat ad fontes fluviorum, qui fontes sunt in mediterraneis locis, quippe cum aqua non fluat nisi è loco altiori ad depressiorem. Sed alio modo id fieri explicabimus capite ubi de origine fontium agemus.

Posset etiam aliquis ita ratiocinari: mons Teneriffæ non est tam altus (sicut & alii montes) ut possit è tam longo intervallo in Oceano videri, nempe ad sexaginta milliaria Germanica sive è quatuor graduum intervallo, nisi vel ipse montis pes, vel Oceanus sit altior quam mare ad littus Teneriffæ. Ad hoc quid respondendum sit, patet è capite IX, ubi de altitudine montium egimus.

PROPOSITIO IV.

Causam & ortum sinuum atque fretorum Oceani explicare.

Sinus hi proprie loquendo, Terræ sinus sunt, non Oceani, sed potius Oceani brachia, rami & procurrentes partes. Magis proprie possumus appellare sinus Oceani, ubi hic in se recipit peninsulas terræ, ut ubi Jutlandiam, Malaccensem Chersonesum, Californiam &c. recipit.

Verum usus loquendi obtinuit, ut contra rerum naturam in prima significatione usurpetur ita vox, atque sinus Oceani sit idem quod ramus Oceani vel pars procurrens.

Causa sinuum horum est, quod partes terræ exstantes alicubi avulsæ à se invicem sunt & divaricantur, ita ut pars terræ inter divaricatas interjecta

sit

sit magis depressa quam Oceani superficies. Aqua igitur ad depressiorem locum semper tendens influit inter divaricatas partes atque eousque procurrit, donec occurrat terræ elevationi: hic enim ulterius progredi non potest adeoque finem suum seu terminum accipit.

Eadem est causa atque ortus fretorum Oceani sive maris.

Causa vero separationis sive divaricationis partium Terræ (quæ requiritur ad sinuum & fretorum existentiam), est impetuosus Oceani motus & insultus, qnando à ventis vel alia causa urgetur: quod cum singulis fere diebus fiat, ut fluctibus terras verberet, inde fit, ut progressu temporis in quibusdam partibus littorum ita concutiatur terra, ut ad irruentem Oceani aquam collabatur atque ei viam concedat; Quod si adjacens littori terra sit depressa, multo facilius & celerius oriuntur sinus, nimirum modo littoris terra perrupta sit, inundabit aqua vicinas terras atque ita sinum efficiet, si terra ita depressa sit vel tali materia constet, quæ ab aqua irruente possit educi.

Ita quidem sinus & freta generari posse & novos existere manifestum est: at inde non licet concludere, omnes sinus atque freta, quæ hodie existunt, ita generata esse: Fieri enim potest, ut quædam cum ipsa Tellure vel Oceano extiterint, adeoque ipsi Oceano sint coæva, quandoquidem ab hominum usque memoria nullus novus sinus maris vel fretum generatum est, etsi de Gaditano sive Herculeo freto Veteres Græci tale quid fabulati fuerint, nimirum Calpen montem Hispanici littoris & Abylen montem Africani littoris olim unum fuisse montem tradebant, separatos autem esse ab Hercule, unde montes hosce appellarunt columnas Herculis, & ipsum fretum Herculeum.

De freto inter Siciliam & Italiam, quod ab irrum-

rumpente mari factum esse constans fuit apud antiquos opinio, minus dubitandum videtur: nimirum talia parva freta generata esse & similia hodie quoque generari non est negandum. Possunt etiam ex fretis fieri sinus, & contra sinus possunt fieri freta. Ex. gr. Si alterutrum freti Magellanici os, vel freti Manilhas obstrueretur, forent illa freta sinus oblongi. Contra, si isthmus inter Africam & Asiam tollatur, tunc totum mare rubrum fieret, & dici posset fretum, per quod ex Indico Oceano in sinum Mediterraneum perveniretur.

Propositio V.

An Oceanus ubique sit ejusdem altitudinis?

Quod quidem in naturali sua constitutione & remotis omnibus impedimentis Oceani partes omnes sint ejusdem altitudinis, illud patet ex prima propositione, qua ostendimus Oceani superficiem esse sphæricam, & centrum ejus esse centrum terræ: inde enim manifeste sequitur, quod debeat esse in omnibus suis partibus ejusdem altitudinis. Verum hic dubitatur, annon sint causæ quædam, quæ faciant ut quædam Oceani partes sint magis altæ quam aliæ; Est enim hoc consideratione dignissimum, & magni momenti, quando de perfodiendis isthmis & committendis maris partibus instituitur consultatio.

Plurimi Oceanum & terras volunt esse altiores circa septentrionem, minus vero altas circa Æquatorem. Ita Aristoteles sentit, libr. 2 de cœlo, c. 2. Rationem afferunt hanc, quod Oceanus à Septentrionalibus regionibus tanquam à fonte videatur profluere. Verumenimvero ex hoc nihil certi concludere possumus: namque an terræ septentrionales, inprimis alvei Septentrionales, sint altiores vel minus depressi quam alvei terrarum Æquatori vicinarum, illud dubium adhuc est, neque ex motu

tu illo sufficienter probatur, quia hic non est generalis, sive non deprehenditur in omnibus regionibus Septentrionalibus. Et licet concedatur hic Oceani motus à Septentrione, tamen ex eo non sequitur, Oceanum ibi esse altiorem, quippe ad fugiendum hunc altitudinis excessum Oceanus fluit ab illis locis versus Æquatorem. Addit Aristoteles loco citato fabulosam & à Poëtis desumptam rationem, quæ non meretur refutationem, Solem nimirum abdere & occultare se post regiones Septentrionales, quando occidit.

Origo autem opinionis de majori altitudine Terræ Septentrionalis, quam aliarum, inde videtur extitisse, quod facie ad Septentrionem conversa polum concipimus elevatum supra Horizontem & nostrum locum, atque ideo etiam terræ polum & vicinos tractus Telluris majoris esse altitudinis, quam alias regiones, existimarunt.

Nonnulli Oceanum Indicum inter Africam & Indiam altiorem esse quam Oceanum Atlanticum statuunt, quod ex sinubus nempe sinu Arabico & Mediterraneo probare volunt. Ubi illa simul consideranda est dubitatio: Utrum eadem sit altitudo sinuum, quæ ipsius Oceani, an minor? Inprimis in partibus sinuum extremis, atque maxime in illis sinibus qui per fretum angustius Oceani conjunguntur.

Oceanum Atlanticum atque Indicum esse altiores, quam sinum Mediterraneum, præsertim in extremis hujus partibus ad Asiam minorem & Ægyptum, non est vero absimile. Etenim Oceanus Atlanticus per angustum fretum Gaditanum influit in sinum Mediterraneum, & verisimile est, Oceani altitudinem esse aliquantum majorem quam fretorum, quia in hisce impeditur liber influxus: Hic quidem parva erit differentia, sed deinde progrediens tam longo & lato tractu inter

Euro-

Europam & Africam major videtur fieri depressio sinus hujus, quam ipsius Oceani, præsertim cum variis occurrat scopulis, insulis & procurrentibus terris, quæ repellunt aquam allabentem, adeoque imminuunt vel retundunt influxum. Imo si vera sunt, quæ de Rege Ægypti Sesostri, de Dario aliisque Ægypti regibus commemorantur à fide dignis scriptoribus, non est quod dubitemus de illa inæqualitate altitudinis. Etenim Reges illi attentarunt fossam seu alveum ducere è mari rubro in Nilum, ut hac via ex Indico mari & rubro per Ægyptum & hinc per ostia Nili in mare Mediterraneum navigatio institui posset, quæ ingentem commoditatem & utilitatem præberet Ægypto & plurimis regionibus littoris Mediterranei sinus. Verumenimvero susceptum negotium omittere coacti sunt, cum à peritis deprehensum esset, mare rubrum multo esse altius, quam terram Ægypti interioris. Si itaque mare rubrum est altius quam terra Ægypti, erit quoque altius quam aqua fluvii Nili, & per consequens altius quam ostia Nili & quam ipsum Mediterraneum mare. Aquam enim Nili non esse minoris altitudinis, quam sit mare Mediterraneum, ex eo manifestum est, quod in illud fluit. Quare mare Rubrum & ideo quoque Indicum mare est altius quam mare Mediterraneum, saltem ad hujus extremas partes circa Ægyptum, Syriam, Thraciam, & in mari Ægeo.

Præterea alii Ægypti Reges olim, & præteritis seculis Sultani Ægypti, atque Turcici Imperatores, aliquoties de perfodiendo Isthmo, qui Africam & Asiam conjungens disjungit mare Mediterraneum & Rubrum, consilia agitarunt: sed omissi negotii causa fuisse perhibetur, quod Indici atque Rubri maris deprehensa esset major altitudo, quam Mediterranei & littorum huic adjacentium: atque ideo metuendum esset, ne qua è Rubro mari in

Medi-

Mediterraneum influens obrueret illorum littorum regiones, inprimis Ægyptum, de cujus humili situ omnes consentiunt Scriptores.

Hoc vero, quod de mari Rubro diximus, alicui non sine causa dubium videri possit, cur nempe illius aqua altior sit quam Mediterranei maris, cum utrunque sit sinus Oceani, Mediterraneum scilicet Atlantici Oceani, Rubrum Indici. Causam esse puto, quod etsi utrunque mare sit sinus & per fretum inter terras immittatur ex Oceano, atque ideo verisimile sit, utrunque esse minoris aliquantum altitudinis, quam est Oceanus, hoc tamen in mari Rubro minus sensile esse quam in Mediterraneo. propterea quod illius tractus multo minor sit quam hujus, & idcirco multo vicinior sit Oceano quam extremæ maris Mediterranei partes. Alii vero aliam addunt causam, quod ipse Oceanus Indicus, ex quo mare Rubrum profluit, sit altior quam Oceanus Atlanticus, ex quo Mediterraneum (quod mihi admodum dubium videtur).

Si itaque Isthmus inter mare Rubrum & Mediterraneum perfoderetur, tunc equidem patente via Oceanus Indicus multum aquæ immitteret in Mediterraneum sinum. An vero tantam copiam immissuris sit, ut ex ea regionibus adjacentibus littori Mediterranei maris periculum inundationis existeret, de eo dubito. Fortasse enim ita fieret, ut si Indicus Oceanus plusculum immitteret, tunc minus immitteret Atlanticus Oceanus per fretum Gaditànum, quippe cujus altitudini aliquid detraheretur, si ex Indico Oceano motus fieret in Mediterraneum mare.

Etsi vero hæc ita esse non negem, existimo tamen Sultanos Ægyptios & Turcas aliis potius, nimirum politicis rationibus & causis inductos esse ad omittenda consilia de isthmo perfodiendo. Primus scrupulus procul dubio fuit magnitudo operis.

ris. Neque enim foret negotium parvi vel brevis laboris, nec paucorum sumtuum, quia isthmus est ad minimum quadraginta milliarium Germanicorum, ubi minima est ejus latitudo, terra petrosa: ducendi essent aggeres non sine peritorum artificum industria, quibus carebant Sultani & Turcæ.

Secundam causam fuisse existimo, quod ex ea navigatione & freto plus commodi & lucri in Christiani orbis incolas, nempe in Italos, Venetos, Gallos, Hispanos redundare possit, quam in Sultanorum vel Turcarum provincias. Etenim nautæ Veneti, Galli, &c. per illud fretum navigarent ad Persiam atque Indiam, & inde remeantes pretiosas illas merces Persiæ atque Indiæ adveherent: quas merces Sultani & Turcæ malunt terrestri itinere camelis per suas ditiones vehi, ut ita multis locis vectigalia ex illis colligant, qua in re non minima ærario Turcico accedit opulentia. Legi potest hac de re Maffeus, libro tertio Historiarum Indicarum, ubi describit, quam ægre Campson Sultanus Ægyptius tulerit Lusitanorum in Indiam navigationes & commercia.

Tertia causa omissi consilii fortassis fuit, quod Sultani & Turcæ sciant, Christianos in re navali prævalere, atque ideo metuerint ne fretum illud & adjacentes regiones, ipsamque Medinam Mahometis sepulchrum valida classe & firmo exercitu invaderent, cum per hanc navigationem milites robustos neque itinere defatigatos cum omni necessario commeatu in terram exponere possint.

Aliud fuit consilium Prætoris Indici Lusitani Alphonsi Albuquercii, qui in animo dicitur habuisse, Nilum ab Ægypto avertere, ducto alveo ex Abassia (quæ Ægypto contermina est intercedentibus tantum quibusdam desertis, & per quam fluit Nilus antequam in Ægyptum veniat) in mare Rubrum, ut ita Ægyptum Turcis redderet steri-

sterilem & infructuosam. Verum morte præventus est, antequam quicquam in hoc negotio susciperet.

Hæc de Mediterranei maris altitudine cum Rubro mari & Oceano Atlantico atque Indico comparata explicanda fuerunt, quoniam indicium inde quidam petunt, quod diversa sit partium Oceani altitudo.

Verum illa alio etiam exemplo confirmare possum, si magnis parva licet conferre. Oceanus Germanicus, qui est Atlantici pars, inter Frisiam & Hollandiam se effundens efficit sinum, qui etsi parvus sit respectu celebrium sinuum maris, tamen & ipse dicitur mare, alluitque Hollandiæ emporium celebertimum, Amstelodamum. Non procul inde abest lacus Harlemensis, qui etiam mare Harlemense dicitur. Hujus altitudo non est minor altitudine sinus illius Belgici, quem diximus, & mittit ramum ad urbem Leidam, ubi in varias fossas divaricatur. Quoniam itaque nec lacus hic neque sinus ille Hollandici maris inundant adjacentes agros (de naturali constitutione loquor, non ubi tempestatibus urgentur, propter quas aggeres facti sunt) patet inde, quod non sint altiores, quam agri Hollandiæ. At vero Oceanum Germanicum esse altiorem quam terras hasce, experti sunt Leidenses, cum suscepissent fossam seu alveum ex urbe sua ad Oceani Germanici littora prope Cattorum vicum perducere (distantia est duorum milliarium), ut recepto per alveum hunc mari possent navigationem instituere in Oceanum Germanicum & hinc in varias terræ regiones. Verum enimvero cum magnam jam alvei partem perfecissent, desistere coacti sunt, quoniam tum demum per observationem cognitum est, Oceani Germanici aquam esse altiorem quam agrum inter Leidam & littus Oceani istius: unde locus ille, ubi fodere desierunt, dicitur *het Malle Gat*. Oceanus

nus itaque Germanicus est aliquantum altior quam sinus ille Hollandicus.

Alia est ratio sinuum illorum, qui non oblongo, sed amplo & lato tractu infunduntur inter terras, ut Mexicani, Bengalensis sinus, & aliorum: hosce ejusdem esse cum Oceano, à quo nullis angustiis sejunguntur, altitudinis, non est dubitandum: etsi non ignorem, Hispanos olim de hoc dubitasse (an mare Pacificum altius esset sinu Mexicano) cum de Isthmo Americano sive Panamensi perfodiendo consultarent, ut ex sinu Mexicano libera esset & commodissima ad Peruviam & Chinam, Indicasque insulas navigatio. Verum hujus quoque consilii omissi causam politicam fuisse accepimus; nimirum metuebat Hispanus, ne Angli, Belgæ & aliæ nationes uterentur hoc freto & fauces obsiderent, ipsamque Peruviam invaderent. Sane Belgæ non necesse habuissent navigationem per fretum Magellanicum & fretum le Maire periculoso & longo itinere instituere, cum ad expugnandam Peruviam, vel saltem infringendas Hispanorum in ea regione vires instructissimas classes mitterent.

Quare, ut hæc concludamus, ita statuendum videtur, Oceani partes & sinus latos esse omnes ejusdem altitudinis (ut Propositio prima probat), sed sinus oblongos præsertim per angustum fretum immissos esse aliquantum humiliores, inprimis in partibus extremis, de quo tamen diligentiores magisque accuratas observationes optarem institui ab illis, qui commoditates experiendi nanciscuntur: hæc nimirum dubia sunt. 1. Utrum Oceanus Indicus, Atlanticus, Pacificus sint ejusdem altitudinis, an Indicus vel Pacificus altior sit quam Atlanticus. 2. An Oceanus Septentrionalis proprie dictus, nempe polo vicinus sive in Zona frigida sit altior quam Atlanticus. 3. An mare Rubrum

brum sit altius Mediterraneo. 4. An Pacificum mare sit altius sinu Mexicano. 5. An sinus Balticus sit æque altus ac Atlanticus. Idem in sinu Hudsonii, in freto Magellanico & aliis observari debebat. De Ponto Euxino dicemus cap. xv.

Fluxus & refluxus continuus maris atque alii fluxus omnino faciunt, ut partium Oceani diversa sit altitudo, & ejusdem partis in diverso tempore sive diei horis. Sed hæ sunt causæ externæ, nos vero naturalem aquæ constitutionem tantum hoc loco consideramus: præterea non ita variant altitudinem in ipso Oceano, sicut in littoribus videtur.

Corollarium. Non itaque assentiri possumus Papyrio Fabiano & Cleomedi, qui summam Oceani altitudinem statuerunt quindecim stadiorum esse (dimidii milliaris Germanici) nisi forte de profunditate intelligenda est illorum sententia, & male pro profunditate posita est altitudo: sicut in Aristotelis versione factum videmus lib. 1 Meteor. cap. xi, in fine, ubi βαθέα τῶ πόντω explicatur per altitudinem maris.

PROPOSITIO VI.

Profunditas maris sive Oceani in plerisque partibus explorari potest bolide: pauca loca sunt, quorum fundus hactenus nondum attingi potuit.

Profunditas Oceani varia est, nimirum pro alveorum majori vel minori depressione, $\frac{1}{20}$ milliar. $\frac{1}{20}$, $\frac{1}{10}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{2}$, &c. in paucis locis integri circiter milliaris Germanici deprehensa est, ubi non sufficiunt funes ad explorandam profunditatem, etsi hic quoque verisimile sit profunditatem terminatam esse non ad ingentem distantiam. Cum hoc tamen non negamus, in profundis alveis quasdam quasi voragines vel alios subterraneos meatus esse.

In sinibus maris profunditas multo minor est

quam

quam Oceani, qui alveus est minus profundus sive minus excavatus propter viciniam terræ, sicut eandem ob causam Oceanus ad littora minus est profundus quam in remotis à terra locis, quod accidit ob solam alvei ejus figuram cavam.

Nautæ profunditatem explorant bolide, cujus materia est plumbea, figura pyramidalis, pondus duodecim circiter librarum, si funis sit trium vel plurium librarum, qualis sufficit ad ducentas perticas, etsi alii requirant bolidem plurium librarum. possunt tamen in hac observatione decipi, si funis ab aquæ vorticibus & undis abreptus non perpendiculariter sed oblique descendat.

Ubi autem tanta est Oceani profunditas, ut rudentes vel catenæ non sufficiant, incerta ea manet, etsi quidam ad hujus investigationem aliquid excogitaverint. Observandum esse censent, quantum temporis elabatur interea dum plumbum aliquod noti ponderis descendit ad notam profunditatem, deinde eidem plumbo applicandum esse suber vel medullam sambuceam, aut vesicam inflatam, ita ut hæc statim separetur à plumbo, ubi hoc in fundum maris impegerit: atque ita applicatione facta, plumbum rursus demittendum esse in fundum, atque observandum esse tempus, donec suber redeat ad superficiem maris. Ex hac observatione si conferatur cum observationibus alio loco factis, existimant posse inveniri Oceani profunditatem certis adhibitis Canonibus. Sed & ipsa regularum incertitudo & observationum fallacia & temporis brevitas tanta est, ut nunquam ista methodo existimem obtineri posse cognitionem profunditatis. Illud satis constat, *profunditatem Oceani in nulla parte esse infinitam, sed ubique fundum habere.* Etenim cum ipsa Tellus infinita non sit, sed rotunda, atque in seipsam recurrente figura, patet quod Oceani profunditas non sit infinita.

finita. Neque ab una superficiei parte se extendit per centrum ad oppositam superficiem, ut ita partes terræ separet à se invicem, quia terra gravior est aquâ, & ideo partes terræ si essent per intercedentem terram separatæ, tamen statim iterum conjungerentur.

Cæterum ex observata hactenus in plerisque locis profunditate manifestum est, eam fere æqualem esse altitudini sive elevationi montium & locorum Mediterraneorum supra littora, nimirum quantum hæc elevantur & extant supra littorum Horizontem, tantum alvei maris infra eum deprimuntur, sive quantum assurgit terra à littoribus versus Mediterranea loca, tantundem paulatim magis magisque deprimitur usque ad medii Oceani loca, ubi plerumque maxima est profunditas. Mutatur profunditas modo in hac, modo in alia parte, varias ob causas. 1. Propter fluxum & refluxum, 2. Cum incremento & decremento Lunæ. 3. A ventis. 4. A ruina vel subsidentia alveorum vel littorum, item si alvei fundus fiat altior progressu temporis à subsidente arena, limo, &c.

PROPOSITIO VII.

Oceanus nullos habet fontes, sed intra cavitates sive alveos terræ continetur, non tamen idem numero semper manet.

Fluviorum aquam è fontibus prosilire experientia testatur, & quoniam hoc tot annorum seculis fit, inde necessario sequitur, aquam illam quæ è fontibus continuo tempore fluit ad mare, per subterraneos meatus vel alio modo ad eosdem fontes redire. Eodem modo fuerunt olim quidam Philosophi, qui maria dicebant è certis fontibus scaturire. Neque illos abducebat ab hac opinione magnitudo Oceani & perpetuitas. Aiebant enim per subterraneos ductus vel alio modo ad eosdem

fontes redire, ut ita perpetui fluxus causam redderent. Aristoteles libr. 2 Meteor. cap. 2. conatur demonstrare contrarium, & opinionem veterum refellere: verum debilis valde est illius argumentatio. Mihi illa opinio refutari posse videtur hoc modo: Si sunt Oceani fontes, erunt vel in extante Terræ parte, vel in ea quæ ab Oceano tegitur, hoc est, in alveo Oceani. Non sunt in extante, cum nullibi ab hominibus sint inventi. Neque dicas, illas forte existere in terris incognitis Septentrionali vel Australi. Hoc enim gratis & sine ulla ratione postulare sibi concedi, impudentis est, inprimis cum ad Septentrionales terras non paucas mare glacie concretum reperiatur, & in plurimis illis regionibus, quæ hactenus detectæ sunt, nulli fontes inventi sint. Non itaque sunt fontes Oceani in parte terræ extante. Restat ut probemus, illos neque in parte aquis tecta, hoc est, in alveo Oceani esse. In hoc si essent, non magis distarent à centro terræ, quam aquæ ipsius Oceani, & ideo non fieret ex illis fluxus, sed aqua quiesceret in illis, quippe cujus natura sit & proprietas ut non moveatur à locis depressis ad altiora. Fontes enim omnes altiores sunt fluviorum aqua quam effundunt. Sed objiciat aliquis, violentum hunc esse motum, propterea quod alveus Oceani & terra intus multis sit perforatus ductibus, meatibus, barathris sive canalibus, utcunque appellare placet, qui sub terris tractu longo progrediantur, donec in alium alvei Oceani locum immittantur, ut ita horum canalium subterraneorum (qui magnam satis latitudinem & extensionem intra terram habere possunt) duo sint orificia in alveos Oceani exeuntia. Fieri itaque posse, ut aqua ex Oceano influat in orificium unum ex istis duobus, & per alterum tanquam ex fonte egrediatur, quod facili Diagrammate illustrari potest. Et quia tales subterra-

terraneos meatus plurimos esse nihil prohibet, neque absurdum quicquam inde sequitur, ideo fontes quoque maris plurimos esse in ipso Oceani alveo verisimile alicui videri posset (de fontibus enim apparentibus hæc tantum sunt intelligenda). Verum hæc imaginatio vana est, neque cum aquæ proprietatibus concordat. Aqua enim in alterutrum orificium istorum canalium sive subterraneorum meatuum illapsa non egrederetur per alterum orificium, sed in illo impleto quiesceret, (nisi accedente causa violenta sive externa). Etsi enim aqua in illo ductu prematur & urgeatur ab aqua incumbente ipsi orificio, tamen non potest ex altero orificio se exonerare, quoniam huic orificio etiam incumbit aqua, quæ non minus premit, quam aqua incumbens priori orificio, quod per experientiam ita probari potest: Sit in vase aliquo aqua A B C D, A B est superficies aquæ æqualiter & Sphærice jacens. Sed per medium vas mediamque aquam sit immissa trabs R P E F, quæ perforetur ductu g h obliquo, ita ut g ex parte vasis A sit altior quam foramen h ex parte vasis B. Aqua igitur tam ex parte A quam parte B fluereet in hunc ductum g h & impleret eum, neque effunderetur per alterutrum orificium, non per g, quia hoc altius est, neque per h, quia etsi hoc sit depressius quam g, tamen aqua ex parte B perpendiculariter ad fundum vasis tendens sive nitens prohiberet effluxum.

Si dicas, aquam alteri orificio subterranei canalis incumbentem minus premere & repellere aquam per alterum orificium immissam, propterea quod ad illud orificium minor ejus sit copia & altitudo, quam ad hoc orificium; ad hoc respondeo, 1. illud quidem fieri, si aqua uni orificio incumbens sit separata & non continua cum aqua, quæ alteri orificio incumbit: at si continua super-

ficie cohæreant istæ aquæ, tunc potius aqua altior per hanc continuam viam movebitur ad minus altam, quam ut per subterraneum ductum feratur ad illam. 2. Etiamsi id concedatur fieri aliquando, tamen motus ille mox cessabit, quando nimirum ex loco aquæ altioris tanta aquæ copia per subterraneum meatum delata est ad alterum orificium & ei vicinum alveum, ut non amplius sit altior vel major ibi copia, quam ad hoc orificium; neque ulla reddi potest causa quæ efficiat, ut aqua ab hoc alveo iterum alia via regrediatur ad orificium prius, sive ubi aqua altior ponebatur, ita ut hic perpetuo sit altior.

Ex hisce itaque perspicuum est, Oceani nullos esse fontes, sed intra alveum suum perpetuo contineri.

Verum contra hæc quædam objici possunt, quæ digna sunt consideratione.

Primo. Probationem nostram supponere perpetuam Oceani quietem sive naturalem constitutionem, & excludere causas externas atque violentas. Atqui nullum tempus est, quo non in aliqua saltem Oceani parte sit causa movens externa vel violenta, ut venti, fluxus & refluxus, terrarum mutationes, &c. Hisce itaque causis efficitur, ut modo in hac parte Oceani, modo in alia sit major altitudo & copia aquæ, quam in alia parte; atque ideo aquam illam altiorem in subterraneos meatus illapsam vel irruentem iterum effundi in alia alvei Oceani parte, ubi minor est aquæ altitudo propter causam illam externam, & ubi incumbens aqua tunc minus resistit eruptioni vel effluxui, quoniam à causa externa alio movetur vel impellitur. Etsi enim, hæc ita fieri, non possit certa probari ratione vel experientia, tamen neque contrarium, hoc est, ista non ita fieri, potest demonstrari. Itaque ad minimum incerta est veritas,

ritas, & dubitandum est de hoc problemate. Quod autem tales subterranei meatus & barathra sint sub alveo Oceani, non potest negari, & videntur eorum indicium præbere loca illa Oceani, ubi immensa est ejus profunditas; cum in vicinis partibus tanta non sit. Ad hoc respondeo, etsi admittamus meatus illos subterraneos; tamen non ideo concedendum quoque est, quod ad aliam alvei Oceani partem progrediantur sive in eam exeant: & licet hoc ipsum quoque concedatur, tamen cum non in omnibus locis sint tales meatus, & causæ hæ externæ modo in hac, modo in alia parte Oceani dominentur, non sequitur ex allata objectione, quod fontes Oceani sint in aliquo loco, sed quod modo ex hisce partibus alvei, modo ex aliis aqua profluat, ita ut fluxus non diutius duret, quam causa illa externa.

Secundo, ita aliquis argumentari posset: Fluxum Oceani perpetuum sentiri à Septentrionali terra vel plaga versus Austrum inter Europam & Americam Septentrionalem, item inter Asiam & Americam Septentrionalem: neque tamen ullum Oceani vel vicinum locum esse deprehensum, quo perveniat ad illas Septentrionales regiones. Cum itaque perpetuus sit hic fluxus, neque per manifestam viam ad illas regiones, unde fit fluxus, perveniat aqua, ideo necessario concludendum videtur, aquas ex aliis Oceani partibus per subterraneos ductus pervenire ad Septentrionales illas regiones, atque ita effundi ibi ex alvei foraminibus tanquam ex fonte, & hinc deinde versus Austrum moveri aquas. Accedit alia causa à priori desumta. Est enim aqua Oceani in Zona Torrida gravior, quam in locis Septentrionalibus propter majorem salis copiam, ut proposit. VIII & XII probabimus. Itaque in Zona Torrida Oceanus magis premet per subterraneorum meatuum orificia,

quam in locis Septentrionalibus, & ideo in hisce locis minus resistens aqua sinet effluere aquam ex orificiis canalium. Ad hoc respondeo, 1. Fluxum illum Oceani à Septentrione non tantum esse, ut objectio ponit, & sicut quidam inprimis veteres de eo sentiebant (qui quatuor alveis vel ductibus ab ipso polo fluere aquam volebant, sicut etiam quædam Mappæ Geographicæ exhibent), neque perpetuus est, sed propter frequentiam ventorum Septentrionalium frequenter animadvertitur: præterea ingens & perpetua in illis locis copia nivis & pluviarum auget aquam, & facit ut fluat versus Austrum. Adde quod in aliis partibus alius Oceani motus deprehenditur, de quo vide caput sequens.

Tertio, non videtur absurdum, sed potius verissimum, fontes omnium fluviorum in Oceanum se exonerantium simul sumtos, esse fontes ipsius Oceani. Cum enim perpetuo temporis progressu tanta copia aquæ in Oceanum ex illis profluat, procul dubio ad ipsos fontes & alveos fluviorum ex Oceano aqua pervenit, partim per subterraneos meatus, partim per pluvias. De hoc cum nemine certavero: neque de hisce fontibus Propositio nostra intelligenda est: quæsitum enim est, An Oceani aqua in certo aliquo Telluris tractu profluat è terræ cavernis, ita ut ex illis in ipsum Oceani alveum fluat sine intermedia via?

Quarto, videtur probari posse fontes Oceani in ipso alveo esse, ex eo, quod in fundo Oceani in quibusdam partibus reperta sit aqua dulcis, quæ quidem non aliter nisi per fontes in fundo illo scaturientes istuc potest pervenire vel existere. Linschotius narrat, in Ormus prope parvam insulam Bareyn dictam, in Oceano hauriri aquam dulcem ab urinatoribus ad profunditatem quatuor vel quinque orgyiarum: & similes fontes in aliis fundis

dis Oceani & sinuum reperti sunt. Ad hoc respondeo, paucos tales fontes hactenus repertos esse, qui non sufficiant vasto Oceano : præterea neque de hisce fontibus institutam esse quæstionem monuimus antea.

Ex hisce patet, aliquomodo verum esse & recte dici posse, Oceanum habere fontes, sed non in eo sensu, quo de fluviorum fontibus hæc proferre solemus, & in quo Propositionem nostram intelligendam esse diximus. Manifestum quoque hinc est, quid sentiendum sit de illa quæstione : Utrum unum & idem numero mare sit & perpetuo maneat, an aliud atque aliud, cujus partes perpetuo absumantur, & vicissim generentur.

Propositio VIII.

Salsedo sive salsus sapor aquarum Oceani provenit vel existit à particulis salis quæ eis admixtæ sunt. Illæ vero unde exstiterint & hodie adhuc augeantur vel conserventur, dubium est.

Primum Propositionis hujus membrum probat experientia, qua vel vulgo cognitum est, Sal ex aqua marina fieri aquæ decoctione vel Solis vel ignis nostri calore & fervore : in Germania & plurimis aliis locis separatur aqua ignis beneficio : in Gallia Sol magis fervidus idem præstat immisso Oceano in factas foveas, in quibus aliquot mensium spatio exhalante vel educta vi solis aqua concretum sal invenitur. In littoribus multarum regionum, ut Angliæ & aliarum, colligitur salis nigri magna copia : aqua marina inundans sæpissime ea littora, relinquit quotidie aliquas particulas sive humorem, ex quo mox aqua sive subtilior pars exhalat, & relinquitur concretum sal, cujus nigredo deinde per coctionem tollitur, etsi à plurimis littoribus rursus abripitur & dissolvitur ab irruente iterum Oceano ; quæ causa est, cur non in-

veniatur in omnibus littoribus. Cum itaque vulgaris hæc sit experientia, non necesse habuerat Aristoteles falsum experimentum adducere de vasculo cereo in mare demisso.

Ex hisce patet, proximam salsedinis aquæ marinæ causam sive verum subjectum istius salsedinis esse particulas salinas, quæ in ea aqua continentur. Itaque improprie & obscure sine causa loquuntur Aristotelici cum suo Præceptore, quando ab adustione maris facta per Solem, vel ab adustis particulis salsedinem maris provenire dicunt & defendunt. sed de hoc mox pluribus dicendum est.

Nimirum de altero Propositionis membro præcipua est difficultas & controversia: Unde particulæ illæ salsæ Oceani existant?

Aristoteles siccas exhalationes sive fumos (quos omnes fere adustos & salinæ naturæ esse ait) existimat à Tellure elevatos misceri cum humidis vaporibus, & cum hi in pluvias coïerint, decidere cum hisce in mare, atque inde salsedinem salsasque in mari particulas existere. Manifesta ejus verba sunt, cap. 7. lib. 2 Meteor. atque ideo hanc sententiam potissimum defendere videtur, quod ex ea rationem possit reddere, cur mare semper salsum sit.

Alii Peripatetici volunt, atque Aristotelem quoque in suas partes trahere conantur, quod ideo salsedo insit mari, quoniam fervore solis perpetuo aduratur: Indicium esse quod aqua eo minus salsa deprehendatur, quo profundior sive à superficie remotior, in hac vero maxime salsam deprehendi.

Ambæ hæ sententiæ gravibus laborant difficultatibus & absurdis, ut mirum videatur, eis doctorum illorum & quidem Philosophorum animos potuisse acquiescere. *Aristotelis enim opinio hisce urge-*

urgetur; 1. Quod pluvia in Oceano deberet salsa sentiri, quod non deprehenditur, quia expers est salsi saporis. Scaligeri effugium ineptum est, qui id fieri dicit ex eo, quod fumus iste sive exusta evaporationis materia non sit nacta satis temporis, cum & ratior sit, & in aëris regione frigidiore hæserit. Etenim jam à nautis asservata est talis pluvia per aliquot dies, quod tempus certe satis foret aquæ ad ostendendum saporem salsum, si quis ei inesset. 2. Mare minus salsum deberet esse, quando diu non pluit; cujus tamen contrarium deprehenditur.

Altera opinio urgetur hisce; 1. Falsum est aquas Oceani eo minus salsas deprehendi, quo fundo sunt propiores: pauca loca sunt, ubi id deprehenditur, nimirum in illis fundis, ubi fontes aquæ dulcis scaturiunt. 2. Experientia testatur, aquam dulcem utcunque diu exponatur fervori Solis, vel ignis, tamen non salsam fieri. Hanc quoque objectionem Scaliger effugere conatur nimis levi subtilitate. Dicit enim illud in hisce observationibus fieri propter aquæ exiguitatem, quæ non crassescat sed resolvatur. At utcunque magnam aquæ copiam sumas, & si vel levi igne urgeas ut resolutio in vaporem, (hanc enim resolutionem intelligit) impediatur, tamen nullum salsum saporem acquirit aqua, nisi quod salis antea contineat. 3. Lacus & paludes etsi sole urgeantur, tamen non salescunt. Hanc quoque objectionem Scaliger eludere conatur, id accidere dicens propter dulcis aquæ successionem. Atqui idem deprehenditur in stagnis vel lacubus illis & paludibus, quæ tantum à pluvia & nivibus resolutis existunt, ubi non locum habet effugium illud de successione: Illi enim lacus potius exsiccantur, ubi longo tempore non pluit, quam ut in salem abeant vel salsiores fiant.

Rejectis itaque falsis illis opinionibus de causa

& ortu salis in Oceano, apprehendamus unam è duabus, quæ magis verisimiles sunt, sententiis, neque ullis urgentur difficultatibus, nimirum

1. Particulas hasce coæternas vel coævas esse ipsi Oceano, atque ideo de earum ortu non magis quærendum esse, quam de ipsius Oceani atque totius Telluris, imo totius mundi ortu & generatione.

2. Si ea causa minus placet, alteram eligemus, nimirum salsas istas particulas à terra hinc inde avulsas esse & in aqua dissolutas. Multos enim montes vel scopulos salinos in maris alveo esse certum est. Tota insula Ormus nil aliud est nisi candidum & durum sal, ex quo etiam parietes ædium fiunt, & ideo nullus dulcis aquæ puteus in ea insula invenitur. Multas fodinas salinas in terra esse nemini ignotum est, & capite XI quasdam enumeravimus. Sed non opus est particularibus hisce exemplis: quin ipsam totam terram consideremus. Hujus enim magna pars nihil fere aliud nisi sal est: à sale enim consistentiam suam habet, quandoquidem Physici Chymiæ periti recte probant, omnium rerum consistentiam & compactionem à sale esse: & experientia respondet; si enim terræ partem duram sumas & in cinerem comburas, nanciscetis multum salis.

Nil contra hanc sententiam opponi potest, quod alicujus valoris sit & non facili negotio retundatur. Dicunt enim quidam, impossibile videri, quod partes illæ salsæ Terræ perpetuo sufficiant, neque aliquando absumantur ab aqua Oceani quæ continue ab eis aliquam partem aufert. Ad hoc enim respondeo, salem ex aqua Oceani non absumi tanta copia ut magna restauratione egeat, & si quid absumatur, id tamen in alio loco reponi, quandoquidem extra Tellurem non auferitur.

Pro-

PROPOSITIO IX.

An aqua dulcior sit in Oceano, quo fundo propior? Et cur in quibusdam Oceani partibus aqua dulcis in fundo hauriatur?

Ad prius respondeo, experientiam non testari de ea dulcedine, nisi in quibusdam locis, de quibus altera quæstio loquitur: In hisce locis esse in alveo maris fontes aquæ dulcis, diximus aliquoties, in præcedentibus. Naturaliter enim fieri nequit, ut aqua magis salsa existat supra minus salsam, cum illa sit gravior.

Loca illa maris, ubi in fundo aqua dulcis scaturiens reperitur, studiosi rei Geographicæ ipsi colligant è Scriptoribus.

PROPOSITIO X.

Aqua Oceani eo minus salsa est, quo propior est Poli: Contra, eo magis salsa, quo Æquatori vel Zonæ Torridæ magis vicina existit.

Hæc tamen de plurimis tantum Oceani partibus intelligenda sunt: quasdam enim exceptiones admittit Propositio.

Causa hujus inæqualitatis in salsedine est sextuplex.

1. Quod Solis fervor in Zona Torrida plures vapores ex Oceano attollat in nubes quam in locis Septentrionalibus, qui vapores sunt aquæ dulcis, quoniam salis particulæ propter gravitatem non ita facile attolluntur. Cum itaque ab aqua Oceani Zonæ Torridæ, vel quo locus propior est Zonæ Torridæ, eo major vaporum copia fervore Solis separetur, inde fit ut relicta aqua magis salsa deprehendatur, quam in Septentrionalibus locis, ubi non tanta aquæ dulcis copia separatur propter debilem Solis calorem.

2. *Secunda causa est* ipse calor aquæ vel frigus.

Etenim eadem numero aqua vel cibus salsus, ut caro muriatica, intinctum, &c. magis salsedinem gustu sensibilem præbet, quando calidis eis vescimur, quam cum frigefacta sunt, quod cuivis ex vulgari observatione ciborum notum esse puto: Calor enim sive ignis particulæ movent & acutiores reddunt particulas salis in cibo tali contentas, atque ab aliis admixtis separant, unde linguam magis & acutius feriunt vel pungunt. Quoniam itaque aqua Oceani eo magis calida est, quo Æquatori propior, vel quo propior est parallelo Solis ad singulos dies, contra eo magis frigida, quo polo propior, sequitur inde, quod aquæ, etsi eandem salis copiam continerent, tamen eo magis salsæ debeant videri vel gustui apparere, quo Zonæ Torridæ propiores: & quo polo propiores, eo minus salsedo erit sensilis.

3. *Tertia causa* est copia major vel minor salis in diversis alvei Oceani partibus. Etenim sicut in Terræ extantis partibus deprehendimus, quod non in omnibus sint fodinæ salis, neque ubi sunt, ibi eadem salis copia: idem quoque de parte Terræ, quam Oceanus tegit vel alluit, hoc est, de alveis & littoribus asserendum esse, nemo ibit inficias. Ubi itaque major salis copia vel minera in alveo vel littore Oceani est, ibi aquam magis salsam esse, quoniam majori copia salis imprægnata est, facile est concipere. Sic insula Ormuz tota sale constat: itaque vicinus Oceanus admodum salsas habet aquas. An vero in alveis & littoribus Oceani existentis in Zona Torrida sit major copia salis vel minerarum salinarum, quam in Septentrionalibus locis, id dubium & incertum adhuc est propter defectum observationum: Verisimile tamen quibusdam videtur propter fervorem Solis majorem in illis locis quam in hisce, quo partes aquæ separantur à terrestribus & salsis. Sed fallax hocce indicium est.

4. Quarta

4. *Quarta causa* inæqualis salsedinis est pluviarum frequentia vel infrequentia, quibus nives addi possunt. Septentrionalibus locis pluviæ atque nives frequentes sunt: in locis Zonæ Torridæ minus frequentes quibusdam anni partibus, quibusdam fere continuæ. Itaque in hisce locis, mensibus pluvialibus, aqua Oceani ad littora minus salsa est, & minus salis continet, quam mensibus siccis: Imo in Malabarici Indiæ littoris plurimis regionibus Oceanus dulcis est mensibus pluvialibus propter magnam aquæ copiam, quæ è jugis Gatis defluens in mare se exonerat. Hæc itaque causa facit, ut diverso anni tempore idem Oceanus sit diversæ salsedinis: quia tamen in locis Septentrionalibus continuæ fere per totum annum sunt pluviæ & nives, ideo hîc mare est minus salsum, quam in Zona Torrida.

5. *Quinta causa* est dissimilis solutio sive inæqualis aquæ facultas ad resolvendum salem & sibi uniendum. Aqua enim calida multo promtius sibi unit salem, quam aqua frigida. Etsi itaque in locis Septentrionalibus, alvei Oceani atque littora eandem vel majorem copiam salis continerent, quam in Zonæ Torridæ locis, tamen quoniam aqua ibi frigida est, non poterit ita promte & subtiliter dissolvere salem atque sibi unire, sicut aqua in Zona Torrida, quæ calidiuscula est.

6. *Sexta causa*, est magnorum & multorum fluviorum exoneratio in mare: Sed hæc causa tantum in partibus Oceani, quæ vicinæ sunt littoribus, locum habet; in remotis nihil sensile efficiet. Ita nautæ affirmant, Oceanum ad littus Brasiliæ, ubi argenteus fluvius se exonerat, salsedinem amittere & dulces latices præbere quindecim milliarium à littore distantia. Idem de Oceano Africano ad littora Congi, ubi Zaire fluvius se exonerat, atque aliis plurimis, annotatum est, & jam

antè in quartæ causæ explicatione de Oceano ad littus Malabaricum Indiæ diximus. Hisce adde fontes in quarundam partium Oceani alveo scaturientes.

Hæ sunt causæ quæ ad varietatem & diversitatem salsedinis in diversis Oceani partibus concurrere videntur, ex quibus singulorum marium salsedo explicari potest.

Ex quibus etiam facile est perspiciere rationem, cur aqua Oceani Germanici & Septentrionalis sit minus apta ad salem ex illa per coctionem separandum, quam aqua Oceani Hispanici, insularum Canariarum, & viridis promontorii Africæ (unde Belgæ magna copia sal petunt & in varias regiones Septentrionales, nempe in Borussiam, Poloniam, &c. vehunt) nimirum hic Oceanus est propior Zonæ Torridæ, & accipit aquas ex Oceano Zonæ Torridæ, iste remotior est à Zona frigida sive à Septentrione: non tamen negaverim ipsorum alveorum magis vel minus salinam constitutionem adesse. Aqua marina ad Guineam in Oceano Æthiopico præbet una coctione sal candicans instar sacchari, quale nec mare Hispanicum nec ullum Europæorum largitur una coctione.

Propositio XI.

Cur pluvialis aqua in medio Oceano dulcis deprehenditur, aqua vero, quam decoctione vel destillatione separamus à marina sive à salsa, nihilominus salsa deprehenditur, cum tamen pluvialis illa aqua etiam extiterit à vaporibus è mari sublatis?

Frustra hactenus laborarunt veri naturæ scrutatores Physici, hoc est, docti Chymici (non illos ineptos Thrasones intelligo) ut in magnum rei Nauticæ commodum & usum invenirent modum & artem, qua aquam dulcem possent è marina destillare vel abstrahere, sed hactenus, quantum mihi

mihi quidem constat, frustra id tentarunt. Etsi enim tam in decoctione quam destillatione (quæ duo idem sunt) sal relinquatur in fundo vasis, tamen aqua per decoctionem vel destillationem separata adhuc salsa deprehenditur, ut potui hominum non sit apta, quod mirum videtur causam rei ignorantibus. Hanc autem Chymia, hoc est vera Physica, docuit, cujus beneficio cognitum est, duplex esse sal in corporibus; sive duo salium genera, quæ etsi sapore conveniant, tamen aliis qualitatibus magnopere discrepant: unum vocarunt artifices sal fixum, alterum volatile. Fixum sal propter gravitatem suam in decoctione & destillatione non elevatur, sed in fundo vasis remanet. At volatile sal est spirituosum, & nihil aliud nisi subtilissimus Spiritus, qui levissimo igne elevatur, atque ideo in destillatione cum ipsa dulci aqua ascendit & arcte unitus est propter atomorum subtilitatem. Nec tantum in aqua marina, sed in omnibus fere corporibus hoc sal volatile cum fixo sale reperiri Chymia probat per experientiam, verum in quibusdam majori, in aliis minori copia: majori quidem in herbis acribus, minori in insipidis & oleosis. Difficultas itaque consistit in separatione spiritus hujus salsi sive salis volatilis ab aqua.

At cur aqua pluvialis in medio Oceano dulcis est non minus ac in terra, cum tamen ea generata sit per abstractionem halituum ex Oceano factam fervore vel calore Solis, aut etiam ab igne subterraneo, quæ evaporatio nihil differt à destillatione?

Quadruplex caussa esse videtur. 1. Lenta illa & lenis evaporatio, qua tantum subtilior elevatur pars ex Oceano, quæ etsi spiritum salinum volatilem continet, tamen minori copia eum habet, ac si fortiori calore facta esset exhalatio. 2. Longa via, per quam hic vapor transit, antequam in

eam

eam aëris regionem perveniat, ubi in pluvias condensatur: in qua via verisimile est, spiritum salinum paulatim separari ab aqueis particulis. 3. Aliarum aquearum particularum in aëre existentium admixtio. 4. Refrigeratio vaporis & coitus sive condensatio. Etenim halitus illi ex Oceano sublati paulatim magis magisque refrigerantur & aliis admixtis vel obviis conjuncti coëunt in crassiorem vaporem sive nubes: in hac refrigeratione & condensatione sive coitu spiritus salini cum ipsis iguiculis avolant in locum aëris altiorem.

Cur vero idem non fiat in destillatione, (ubi etiam halitus sublati iterum refrigerantur & condensantur) causa est, 1. quod propter parvam viam adhuc nimis arcte conjungitur spiritus salinus particulis aqueis. 2. quod vapor coërcetur vase, neque liberum evolanti spiritui exitum concedit.

Propositio XII.

Aqua marina gravior est, quam aqua dulcis, & una marina altera gravior est.

Causa è præcedentibus est manifesta, quia nimirum aqua marina continet sal fixum, quod gravius multo est corpus, quam aqua dulcis. Et ostendimus, quod in diversis maris partibus diversa sit salis copia. Non tamen sequitur, aquam esse graviorem, quo magis salsa est: quia potest illa salsedo à majori copia salis volatilis esse, qui non auget gravitatem, sed minuit, & tamen salsissimas reddit aquas.

Propositio XIII.

Aqua marina non ita facile congelascit quam aqua dulcis: sive, majus requiritur frigus ad aquæ marinæ, quam ad dulcis congelationem.

Experientia hoc satis ostendit contra Aristoteli-

cos,

cos, qui aquam eo minus congelationi obnoxiam esse defendunt, quo purior est, & proinde marina, quippe magis ab elementari recedens quam dulcis, debebat facilius congelascere, quod falsum est. Causa autem, quod in ipso sale quidam spiritus inest qui congelationi resistit, & à sale separatus nullam omnino patitur à sævissimo frigore congelationem, ut notum est Chymiæ peritis. Est enim spiritus salis medicamentum satis notum & frequentis usus.

PROPOSITIO XIV.

Cur Oceanus non fit major, cum tot fluvios recipiat?

Causa est, 1. quia per subterraneos meatus, ut seq. cap. explicabitur, ad fontes fluviorum redit aqua è mari. 2. quia plurimi vapores ex Oceano elevantur, quorum in pluviam resolutorum pars decidit in ipsum Oceanum, pars in terras.

PROPOSITIO XV.

Oceani partes quædam discrepant coloribus.

Experientia testatur, in locis Septentrionalibus mare videri magis atro colore, in Zona Torrida fusco colore: in aliis locis cæruleo. Circa Novæ Guineæ littora quædam deprehenditur Oceanus albo, alibi flavo colore. In Fretis aqua magis albicare videtur. Ad littora Congi non procul à Baya d'Alvaro Gonzales rivus in mare exoneratur, qui subrubro colore est, accepto à minera rubra terræ, per quam fluit. Sed celebris est propter coloris proprietatem sinus Arabicus, ideo dictus Mare rubrum. Sunt qui nudam appellationem esse volunt, & desumtam ab Erythræo Rege: alii à splendore, quem Solis radii ab eo repercussi efficiunt, rubrum apparere volunt. Sed magis verisimilis & experientiâ confirmata sententia est, ruborem

borem illum oriri ab arena rubri coloris, quæ in alveo hujus maris & littoribus reperitur & ipsi aquæ admiscetur frequenter. Hujus autem admixtionis, quæ contra arenæ gravitatem esse videtur, causa est vehementia fluxus & refluxus aquæ, sive celeritas & agitatio in hoc mari, qua fit, ut arena vel sabulum evehatur & agitetur atque ita impediatur à rapida & continua agitatione maris, ut non possit subsidere. Testantur hoc nautæ, qui aquam maris hujus interdum adeo rubram apparere asserunt, ut sanguis esse videatur: sed si vase excepta relinquatur quieta, mox subsidere rubrum sabulum ad fundum atque in eo conspici. Sæpe accidit, ut procellæ è maris rubri plaga in Arabiam vel Africam irruentes tantam rubræ arenæ copiam secum vehant & in terras projiciant, ut integros hominum & brutorum cœtus sive comitatus obtegat, unde deinde Mumia vera existit. Aliæ opiniones plurimæ de hac rubedine reperiuntur apud Scriptores, sed omnes falsas esse experientia, quam adduximus, probat.

An eadem vel alia causa sit, Cur mare inter Californiam & Americam dicatur rubrum (*Vermejo*), nondum legi annotatum à Scriptoribus.

Propositio XVI.

In quibusdam Oceani partibus quædam peculiaria inveniuntur.

Celebre est mare *di Sargasso* dictum à Lusitanis, quod non procul à Promontorio viridi Africæ circa insulas salis incipit & se extendit à vicesimo gradu latitudinis borealis ad tricesimum quartum Australis. Color hujus maris viridis videtur, qui tamen ipsius non est, sed herbæ cujusdam exiguorum foliorum, similis nasturtio aquatico, Belgæ vocant *kleyn peterselie*, Lusitani *Sargasso*. Hujus herbæ folia implicata sibi invicem adeo dense & con-

cantinuo tractu incumbunt Oceano hujus loci, ut ipsa aqua ægre conspiciatur, & nautæ eminus Oceanum hunc cernentes putent insulam & terras virides esse, neque penetrare possunt per herbæ hujus tricas, nisi mediocri saltem vento adjuventur. Baccas herba fert parvas non absimiles nostris ribesiis, sed insipidas & inanes intus. Unde oriatur nondum constat, quandoquidem nec terræ ita vicinum est mare hoc, ut illi originem suam debeat, neque è fundo sive alveo Oceani excrescere verisimile est, quoniam egregia hic est maris profunditas, & in plurimis locis funium superat longitudinem.

In Oceano non procul à promontorio Bonæ Spei usque ad insulas Tristan de cunha fluitantes conspiciuntur multi arundinacei frutices insigni crassitie, quibus marinus fucus implicatus est vel herba *Sargasso*. Nautæ vocant *Trombas*, vocabulo Lusitanico; & pro certo signo habent, si ibi versantes conspiciant, quod vel vicini sint promontorio Bonæ Spei, vel illud jam superaverint, ubi in Indiam iter instituitur.

Ad littora Insulæ Madagascar ejicit Oceanus corallia rubra & alba, quæ tanquam frutices sub mari crescunt, & licet mollia sint in quibusdam locis, tamen inter Madagascar & Africam scopuli durissimi corallini esse dicuntur.

In sinu Balthico ad littora Borussiæ mare ejicit succinum præstantissimum, quod incolæ flantibus certis ventis versus littus retibus ferreis excipere sunt edocti.

Ambram ejicit Oceanus tantum (quod mihi cognitum sit ex scriptoribus) in Zona Torrida, nimirum ad littora Brasiliæ (ubi aliquando frustum quingentarum librarum à milite Belga inventum & Comiti Nassovio Mauritio oblatum), ad insulam Madagascar, ad promontorium viride Africæ,

cæ, ad insulam Mauritii (Lusitanis *de Cerne*) ad insulam Sumatram & alias Indicas. Garcias refert, aliquando inventum frustum 2000 librarum, imo quasdam insulas totas constare ex ambra, sed non nominat illas insulas.

In Oceano Æthiopico ad Guineam, Congo & Angola hoc observatur peculiare, quod lateribus & carinæ navium, dum ibi commorantur vel navigant, accrescunt conchæ virides instar graminis, unde navium cursus retardatur & ligna navium exeduntur. In ora Armoricæ Galliæ carinis navium increscunt volucres informes primo, deinde sensim formantur, rostro in lignum defixo, ubi moveri incipiunt, sensim revelluntur, & mare petunt anatibus similes.

Excrementum Oceani, dictum spuma maris, reperitur multis in locis fluitare, sed in quibusdam majori copia, quam aliis. Belgæ vocant *Sabeen*.

In Oceano ad Indiæ littora Malabarica & ad Cambaiam serpentes in superficie aquæ feruntur: hoc nautis signum, si forte ex aliis non possint colligere an regionibus illis propinqui sint.

Multis in Oceani locis lens paluitris invenitur, ut inter Angliam & Galliam, ad Terram australem, & alibi.

Quatuor milliaribus à Nova Hispania fluitant multæ radices, arundines & folia ficulneis similia, quæ comeduntur, suntque sapore brassicæ.

In primæ Belgarum navigationis ad Fretum Magellanicum descriptione legimus, quod die XII Januarii, anno 1599, aqua Oceani non procul ab ostio fluvii argentei in Brasilia (Rio de Plata) apparuerit rubri sanguineique coloris, sed cum situlâ hauftam aquam accuratius inspexissent, deprehenderunt, quod innumerabilis vermiculorum multitudo, qui rubro colore erant, in aqua illa contineretur, & manu excepti instar pulicum

hinc

hinc inde saltabant. Nautæ appellant pulices marinos, & putant illos à balænis certo anni tempore evomi sive rejici: alii autumant eos provenire ab innumerabili copia parvorum cancrorum, qui ad terram australem deprehenduntur, quæ copia ita mare implet, ut etiam in luce debili, nempe in crepusculo vespertino vel matutino Oceanum nautis præbeat conspiciendum sanguineo colore.

De animalibus, quorum in Oceani diversis locis diversæ species agunt, non est agendi hic locus.

PROPOSITIO XVII.

Cur mare noctu splendere & lucere videtur, præsertim si fluctus sint vehementiores à tempestatibus?

Quæstio hæc sive phænomenon requirit difficilis istius de causis colorum disputationis cognitionem. Variæ de illis Physicorum sententiæ. Ad propositi phænomeni explicationem commodissima ea videtur esse doctrina, quæ colores à certo varioque motu existere sive potius apparere docet. Accuratam expositionem Physicis relinquimus.

PROPOSITIO VIII.

Oceanus, vel potius omnis aqua, ejicit corpora terrestria ad littora, inprimis tempore plenilunii.

Hujus proprietatis, quam experientia satis superque ostendit, causam reddere, non est difficile. Etenim aqua nunquam est sine aliquo motu, qui si rapidus sit & versus unam plagam, deferet terrestria corpora, donec occurratur littoribus, ubi propter cessantem motus aquæ vigorem deponuntur corpora illa terrestria. Verum in Oceano fluctus modo huc modo istuc feruntur. Hisce eodem modo feruntur corpora terrestria, & quoniam fluctus omnes versus aliqua terræ littora tendunt,

dunt, ideo omnia terrestria versus littora deferuntur.

In pleniluniis maxima est Oceani agitatio.

Vana itaque eorum est opinio, qui Oceanum animatum dixerunt, & sensum possidere, quose purget ab omnibus fæcibus & terrestribus corporibus. Causa satis hic manifesta est.

CAPUT XIV.

De Motibus Maris in genere; & in specie, de Fluxu & refluxu.

PROPOSITIO I.

AQua nullum habet motum naturalem præter unum, quo ex altiori loco ad depressiora loca movetur. Et si vicinus locus aut vicinum corpus sit vel æqualis vel majoris altitudinis, ac superficies aqua, tunc aqua naturaliter quiescit, hoc est, non movetur nisi violenta à causa pellatur & protrudatur.

Manifesta est Propositionis veritas per experientiam vulgarem, si vas aquam continens moveatur. Tamdiu enim aqua fluctuat, donec nulla pars alia parte altior sit, hoc est donec sphæricam figuram vel superficiem componant, ut dictum est capite XIII. Etsi autem hic motus etiam habeat causam violentam nempe aëris pressuram vel motum aëris circumcirca Tellurem, tamen quia de hac causa magna adhuc est dubitatio, & adeo manifestus est in aqua, ut non ab externa causa ei advenire videatur, ideo saltem ad distinguendum hunc motum aquæ à reliquis motibus vocetur naturalis. Fit autem hic motus in eam plagam, in qua situs est locus depressior.

PROPOSITIO II.

Cum pars Oceani movetur, totus Oceanus movetur, sive omnes reliquæ partes etiam moventur, sed eo magis, quo parti motæ vicinior unaquaque fuerit.

Quoniam enim si pars Oceani moveatur, necessario locum mutat, & ideo hic locus depressior fit loco vicinæ aquæ, hæc vicina aqua movebitur in hunc locum, & illius vicina in illius locum, & sic porro in reliquis partibus. Minor autem inde exiltit motus in partibus remotioribus, quia in locum, à quo pars aquæ mota est, irruunt aquæ vicinæ non ex una plaga, sed ex omnibus circumcirca: deinde in harum particularum locum, qui jam est peripheria, succedunt partes ex majori peripheria, & in harum locum iterum ex majori: atque sic porro. Quo autem ex majori peripheria aqua in locum eundem fluit, eo minor ejus particula influit, & multo minor si in locum majorem distribuenda sit. Ita videmus, cum lapis injicitur in aquam, truditur aqua in peripheriam, hæc in majorem peripheriam, hujus in majorem peripheriam, & eo minor minusque sensilis fit motus, quo longius à loco jacti lapidis abest, & licet dein nullus motus videatur, est tamen aliquis admodum exiguus, nisi impediatur ab alio aquæ motu.

PROPOSITIO III.

Observare plagam, in quam mare, quod movetur, tendit.

Eligatur tempus, si ita licet, quo ventus vehemens nullus spirat, & injiciatur in aquam corpus ejusdem fere cum aqua gravitatis, notetur locus ubi injectum est: nempe navicula ibi maneat immota: deinde ubi hoc corpus mediocri intervallo à loco injectionis cum mari fuerit delatum,

tunc

tunc ad illius locum alia navicula constituatur, & observetur plaga, in quam situs hujus secundæ naviculæ à priori vergit. Hæc erit etiam plaga, in quam mare eo tempore dicemus moveri.

Propositio IV.

Motus maris vel est directus, vel vortex & gurges vel concussio.

Directum voco, qui versus plagam aliquam tendit: Vorticem, cum aqua in gyrum agitur, & alicubi absorbetur & rejicitur: Concussionem, cum tremit. Sed sepositis duobus posteriotibus ad finem capitis, de directo primo agemus, atque ideo hunc generis voce appellabimus Motum maris.

Propositio V.

Motuum, quos in mari deprehendimus, quidam est generalis, quidam sunt proprii, & singulares, quidam contingentes.

Generalem voco, qui in omnibus fere Oceani partibus deprehenditur & quidem omni tempore.

Proprios sive speciales motus voco, quibus tantum quædam Oceani partes moventur, suntque duplices, perpetui vel anniversarii: illi, qui sine mutatione vel cessatione persistunt, hi qui certis anni mensibus vel diebus in aliquo mari deprehenduntur.

Contingentes motus maris appello, qui sine certo ordine modo cessant, modo incipiunt, quales infiniti sunt.

Propositio VI.

Contingentium motuum maris causa est ventus, impellens mare versus plagam vento oppositam. Neque unquam mare liberum est à talibus motibus.

Etenim cum aër tangat mare, & ventus nil aliud sit quam valida aëris commotio & pressura versus

versus Tellurem, ideo aër impulsus & protrusus mare expellere de suo loco conatur, & quoniam mare fluidum est, neque resistere potest impetenti & urgenti aëri, ideo movebitur ex suo loco versus locum oppositæ plagæ, atque aliam aquam expellet, & hæc aliam, atque sic porro.

Cum autem semper aliquis ventus sit in aëre, modo hic modo illic, pletunque etiam in diversis regionibus diversi eodem tempore, inde sequitur, semper esse in mari quosdam contingentes motus, qui in partibus vento propioribus magis existunt sensiles, & quidem ideo, quod mare facillime recipit impressionem, quoniam fluidum est.

PROPOSITIO VII.

Generalis motus maris duplex est: Unus continuus ab Oriente in Occidentem; Alter compositus ex duobus contrariis motibus, qui dicitur Fluxus & Refluxus maris, quo mare certis horis fluit ad littora, & certis horis refluit à littoribus. De primo prius agemus.

Moveri Oceanum ab Oriente versus Occidentem continue, probatur potissimum ex motu maris ejus, quod in Zona Torrida intra Tropicos jacet. Quoniam enim hic fortior motus est, minus impeditur ab aliis motibus.

Deprehenditur is motus maris manifeste navigantibus ab India ad Madagascar & Africam, item in Oceano Pacifico Inter Novam Hispaniam & Chinam & Moluccas, item in Oceano inter Africam & Brasiliam.

Sic per fretum Magellanis fertur mare ab Oriente in Occidentem motu incitatissimo, ut inde Magellanes (vel qui ante Magellanem id detexit, ut volunt) conjecerit fretum, per quod ex Atlantico in Pacificum Oceanum pervenitur. Sic per fretum Maniliense, per canales inter Maldivas

insulas, motus maris ab Oriente naves ducit. In sinum Mexicanum impetuose inter Cubam & Jucatan illabitur mare, effluitque inter Cubam & Floridam. Ad Sinum Pariæ vehementissimus influxus, ut ideo fretum dicatur Os Draconis. Insignis etiam ad Terram Canadensem. Ex Oceano Tartarico per fretum Novæ Zemblæ & fretum Waigats movetur mare, quod tum ex ipso motu probatur, tum ex copiosa glacie, quam Oceanus Tartaricus in fretum Zemblæ ejicit. Et ad littora Septentrionalia Americæ in Pacifico mari motus fit versus fretum Anian: item à Japone movetur mare versus Chinam: sic in freto Manilienſi motus est ab Oriente in Occidentem; sic in freto ad Javam. Et cum Oceanus Atlanticus moveatur versus littora Americæ, deprehenditur contrarium in Pacifico Oceano. Hic enim à littoribus movetur, quod omnium maxime conspicuum est ad *Cabo des Correntes* inter Panamam & Limam.

Propositio VIII.

Venti sæpe immutant motum generalem maris, inprimis stati illi, quos motiones appellari dicemus in XXI cap.

Quoniam enim hi spirant plerique ab Austro & Borea vel ab horum collateralibus, inde fit, ut mare quod propter generalem motum tendit versus Occidentem, moveatur versus plagas collaterales Occidentis, nempe versus Zephyro boream, vel Zephyro austrum: imo generalis ventus, cum raro ab ipso Oriente, plerunque à collateralibus plagis Orientis spiret, immutat hunc generalem maris motum. Multo magis id faciunt venti Septentrionales in mari Septentrionali, ubi generalis motus in paucis Oceani partibus est sensilis.

Pag.

PROPOSITIO IX.

Causa generalis hujus motus maris ab Oriente in Occidentem incerta est.

Aristotelici putant (etsi ipsi Aristoteli & ejus asseclis atque omnibus Philosophis Europæis ignotus fuerit ante Lusitanorum navigationes per Oceanum Zonæ Tortidæ) id fieri à motu cæli primo, qui non tantum omnibus stellis sed etiam aëri ex parte & Oceano sit communis, quo ab Oriente in Occidentem omnia transferuntur. Copernicani quidam, ut Keplerus, etsi Lunam quoque agnoscant hujus motus causam, tamen motum Terræ non parum ad motum illum facere statuunt, nimirum aquam cum non continua sit, sed tantum contigua Terræ, existimant non posse sequi circumrotationem Terræ, atque illam restitare versus Occidentem, dum Terra se subducat ad Orientem, atque ita non mare moveri ab uno loco Telluris in alium, sed Terram partes aquæ relinquere, unam post aliam.

Alii, quibus nec Aristotelica nec Copernicana satisfacit explicatio, ad Lunam confugiunt: hanc Dominam omnium humorum esse, & Oceanum secum circumducere vel trahere ab Oriente in Occidentem volunt. Si quæras, quomodo? occulta est qualitas, inquiunt, influentia, sympathia, vicina est Terræ, & similia. Sane Lunam esse effectricem hujus motus, admodum est probabile, propterea quod in Noviluniis & Pleniluniis motus iste est multo vehementior quam in quadraturis, ubi motus plerunque exiguus.

Acutissimus Cartesius mechanicum explicavit modum, quo Luna motum hunc Aquæ tum Aëris efficiat. Supponit enim juxta generalem suam hypothesin, quod circa Tellurem circumgyrentur infiniti atomi, quibus spatium usque ad

Lunam expletum sit sine ullo vacuo, quod spatium vocat vorticem Terræ. Sit nempe Tellus F E H G, Aqua 2143, Aër 6587. Vortex Terræ B A D C, Luna B. Si itaque in vortice B A D C nulla Luna esset, inquit, particulæ ejus vorticis sine impedimento circumrotarentur circa centrum T: quia autem Luna in eo est, ideo spatium, per quod materia cælestis fluit inter B & T, redditur angustius, atque inde sequitur, materiam istam cælestem ibi celerius fluere (inter B & T) atque ideo magis premere tum superficiem aëris in 6, tum superficiem aquæ in 2, quam si Luna non esset in vorticis diametro B D: cumque corpora aëris & aquæ sint fluida, & facile pressioni isti obsequantur, ipsa minus alta esse debere supra Terræ partem F, quam si Luna esset extra hanc diametrum B D, ac è contra, esse altiora versus E. Dum autem Terra fertur ab E per F, versus G, sive ab Occidente in Orientem, aquæ tumor 412, itemque aëris 856, qui nunc parti Terræ E incumbunt, paulatim ad alias ejus partes magis Occidentales migrare, ita ut post sex horas incumbant parti Terræ H, & post horas duodecim parti Terræ G. Unde fit, ut aqua & aër ab Orientalibus Terræ partibus in ejusdem partes Occidentales fluxu continuo ferantur. Ita Cartesius. Nervus demonstrationis in eo est, quoniam Terra E F G H cum aqua 1234 circumrotatur & una cælestis materia vorticis inter B A D C & 6587, Luna vero in B existens facit spatium B 6 angustius, ideo materia cælestis cum pressura quadam angustius B 6 transiens aërem & aquam, dum transit infra B, exprimetur versus I H G, & dum I transit infra B, exprimetur versus H G F, & sic porro. Neque enim materia cælestis pars ad Lunam allapsa in B D, sursum resiliet, quia repellitur, ideo quod omnia plena sunt corporum. Et licet premat aërem & aquam à

62 F


B
C
A
D
6
7
5
8
F
G
H
E
M
T



62 F
etiam
62 F
recedu
ſitæ m
pue re
Sed
mus h
1. S
na ad
quæ q
rum T
ticalis
experi
vero n
vitari
2. N
plane
ria cæl
verſus
Terra
materi
tius qu
ſola pa
ficient
3. I
deretur
cident
non fit
4. I
motun
tum ge
ortum
depreh
vertice
Carteſi
hypoth

62 F non tantum versus Occidentem E 15, sed etiam versus Orientem 73 G, tamen quia partes à 62 F versus 73 G Orientem sitæ magis magisque recedunt ab istis angustiis, partes vero versus E 15 sitæ magis magisque accedunt, ideo ab hisce præcipue recipitur ille impetus.

Sed in hac viri ingeniosi explicatione desideramus hæc:

1. Sequitur ex ea, quod mare detumesceret Luna ad illud accedente, & intumesceret in partibus, quæ quadrante sive sex horis absunt à Luna: nimirum Tumor est in E 15, at in F 26, ubi Luna verticalis est, altitudo minima. Hoc autem repugnat experientiæ, namque in F 26 tumet mare, in E 15 vero minimus tumor. Quomodo hæc absurditas evitari possit, dicemus Proposit. seq.

2. Non sufficienter ostenditur (ipse Cartesius hoc plane omisit) cur, dum in angusto spatio B 6 materia cælestis premit aërem 6 & aquam 2, non æque versus G 37 moveatur, quandoquidem cum ipsa Terra ferantur versus G 37, tam aër & aqua, quam materia cælestis, atque adeo versus Orientem potius quam Occidentem aqua & aër feratur. An hoc sola partium subductione à 6 D B versus G 37 sufficienter caveatur, dubito.

3. Luna accedente ad mare aliquod, deprehenderetur in ea parte ventus vehementior versus Occidentem ab Oriente, quam alio tempore. Id vero non fit.

4. Manifestius est, Solem efficere illum aëris motum ab Oriente versus Occidentem sive ventum generalem, quandoquidem illum mane ante ortum Solis & cum ortu Solis in plerisque locis deprehendimus: Tunc enim quadrante abest à vertice loci. Hæc considerationem merentur in Cartesiana explicatione, ut nihil dicam de ipsa hypothesi.

An vero hic Oceani motus possit referri ad generalem ventum Orientalem, dubito. Etenim cum ventus ille sub Zona Torrida perpetuus sit, videtur etiam motum illum Oceani perpetuum posse efficere. Sane cum augescente vento augeri motum hunc Oceani, apertum est: sed illud non est sufficiens indicium, motum ipsum à vento dependere. Obstat connexio illa, quam motus hic cum Luna habet, nempe quod Luna ad mare appropinquante, turgescere facit illud 2, quod in plenilunio & novilunio vehementior sit motus ille maris ab Oriente in Occidentem, in quadraturis minus vehemens. Quod equidem Cartesii demonstratio egregie explicat, nimirum quoniam in novilunio & plenilunio Luna propior est Telluri, & sic angustior redditur porta B 6 pro transitu materiæ cælestis, & ideo major pressura. Et quamvis cum Luna plena est, possit illa intumescentia referri ad majus lumen Lunæ, tamen cum Luna nova est, cessat illa ratio; atque ideo evincitur, Lumen non esse causam hujus motus, sed potius pressuram illam Cartesianam, ut in sequentibus dicemus.

Propositio X.

Secundus maris motus generalis est Fluxus & Refluxus Maris, quo mare intervallo duodecim horarum cum dimidia circiter ad littora pleraque fluere & ab iis refluere animadvertitur: affluere quidem, cum Luna accedit ad Meridianum supremum vel imum: refluere, quando Luna recedit à Meridiano versus Occasum, & versus Ortum.

Ubi primo quærendum, an Oceanus hoc motu versus unam plagam certam moveatur, nimirum ab Oriente in Occidentem, & ab Occidente in Orientem?

Etenim littora sinus, alveique fluviorum, in qui-

quibus affluxus hic & refluxus manifestius deprehenditur quam in alto pelago, juxta diversas plagas extenduntur, quædam versus Orientem ab Occidente, ut sinus Mediterraneus, quædam ab Austro versus Septentrionem, ut sinus Arabicus &c. Et in singulis hisce sinubus & littoribus affluit aqua versus plagam extensionis, adeoque in diversis sinubus & diversis littoribus motus iste Oceani in diversas plagas tendit. Itaque primo inquirendum, an motus iste Oceani nullam plagam certam observet, sed alibi alias ad plagas moveatur, an vero duas plagas observet, nempe Occidentalem in affluxu, & Orientalem in refluxu? an vero unam & eandem plagam tam in affluxu, quam in refluxu, nimirum Orientalem? Ad quod respondeo, posterius verum esse, nempe quod totus Oceanus in affluxu moveatur ab Oriente versus Occidentem; in refluxu autem moveatur quidem motu generali itidem ab Oriente ad Occidentem, sed tamen in affluxu in certam partem majorem copiam affluere, in refluxu vero (proprie loquendo, defluxu) non in contrariam plagam moveri sed in eandem Occidentalem, affluere autem minorem copiam.

Nimirum ita statuendum est, quod Fluxus & defluxus maris non sit distinctus motus à generali illo motu, quem priori propositione explicavimus, quo Oceanus continue movetur ab Oriente in Occidentem, sed quod sit hujus generalis motus quidam modus seu affectio. Et ideo si hic motus spectetur & consideretur in toto vel medio liberoque Oceano, minus recte dicitur fluxus & refluxus maris, sed fluxus & defluxus, imo ne hæc quidem apta sunt vocabula, sed rectius dicitur intumescentia & detumescentia, ita ut peculiaribus appellationibus qualitas motus seu fluxus ab ipso motu & fluxu distinguatur.

Etenim mare ſemper fluit ab Oriente in Occidentem, refluere autem tantum apparet propterea quod cum in uno tempore majori copia & vehementia ad certum locum affluit, deinde in alio tempore hic impetus ceſſet. Cæterum refluxus ideo appellatus eſt propterea quod in ſinibus & littoribus mare accedere & recedere videtur juxta extenſionem ſinuum & littorum, quod tamen non propter ipſius motus qualitatem, ſed propter ſitum littorum & ſinuum accidit, nempe ut in contrariam plagam remeet aqua, ſed quod decedit mare, hoc non à ſitu littorum, ſed ab ipſius motus conditione provenit.

Neque debet vel poteſt motus maris ſpectari ex appulſu ad littora, quia qualiſcunque ſit motus maris ſive in quamcunque plagam fiat, fluctus ſemper fiunt verſus littora, quod ſit propter fluidam aquæ naturam.

Quod autem tam in fluxu quam refluxu ſive intumeſcentia & detumeſcentia mare moveatur verſus eandem plagam, nempe ab Oriente in Occidentem, & nequaquam refluat, id colligitur ex eo, 1. In Oceano remoto à littoribus, ſub Zona Torrida, nullus alius motus deprehenditur quam is, quo ab Oriente in Occidentem fertur. 2. In fretis quæ directe extenduntur ab Oriente in Occidentem, & quibus Oceani partes conjunguntur, ut fretum Magellanicum, Manilienſe, Javæ, atque alia inter Indicas Inſulas, in hiſce, inquam, fretis mare quidem intumeſcit & detumeſcit duodecim horis, ſed mare in detumeſcentia non refluit ex freto ab Occidente in Orientem, ſed defluit per alterum freti orificium in Occidentem, quod manifeſtum eſt indicium, hanc intumeſcentiam & detumeſcentiam non eſſe peculiarem motum, ſed generalis illius motus modificationem, neque mare refluere in Orientem. Ideo Scaliger

& alii

& alii omnes falluntur, qui duplicem hic motum, in se ipsum replicatum, introducunt.

Id tamen sciendum est, cum dicimus motum hunc fieri ab Oriente in Occidentem, non tantum ipsos Cardines intelligi, sed etiam plagas collaterales; nimirum movetur etiam mare hoc fluxu à plagis collateralibus Orientis ad collaterales Occidentis, imo ad ipsum Boream & Austrum, sed minus valido & urgente motu.

Propositio XI.

Causam intumescentiæ & detumescentiæ maris, sive fluxus & refluxus ut vulgo appellatur, exponere.

Nullum fere naturæ phænomenon est, quod doctorum & physicorum ingenia tantopere exercuerit, quodque plures conatus eluserit. Quidam Mare & Tellurem animal fecere, quod inspirando & exspirando efficeret refluxum & fluxum. Alii ingentem vorticem prope Norwegiam, qui sex horis aquam rapiat & sorbeat, & totidem exspuat, causam dixere. Scaliger atque alii littora, inprimis Americæ, putarunt esse causam, quod illa mare generali motu appulsum repellant. Sed plurimi, cum viderent connexionem hujus intumescentiæ & detumescentiæ cum motu Lunæ, ab hac sola illam dependere statuerunt: Sed quomodo? Hoc opus, hic labor erat: ubi nihil illi aliud respondebant, quam Lunam trahere humores secum per occultam qualitatem & sympathiam. Verum hæc verba tantum sunt, quibus nihil aliud dicitur, quam effectum illum fieri à Luna modo aliquo, qui nos lateat. At iste modus quærebatur.

Cartesius illum ex generali sua hypothesi deducit hac ratione. Refumatur Diagramma propositionis IX. in quo ABCD sit vortex ille, qui Terram pro centro habet, quique cum illa & cum

Luna in majori vortice circa Solem fertur. M centrum ejus vorticis, E F G H terra, 1234 superficies maris, à quo majoris perspicuitatis causa Terram ubique tegi supponimus: & 5678 superficies aëris mare ambientis. Si itaque nulla in isto vortice Luna esset, punctum T, quod est centrum Terræ, foret in puncto M, quod est vorticis centrum, sed Luna ☾ exsistente versus B, hoc centrum Telluris T esse debet inter M & D, quia cum materia cælestis hujus vorticis aliquando celerius moveatur quam Luna vel Terra, quas secum defert, nisi punctum T aliquanto magis distaret à B quam à D, Lunæ præsentia impediret, ne illa tam libere fluere posset inter B & T, quam inter T & D; cumque locus Terræ in isto vortice non determinetur, nisi ab æqualitate virium materiæ cælestis eam circumfluentis, evidens est ipsam idcirco nonnihil accedere debere versus D. Atque eodem modo, cum Luna erit in C, Terræ centrum esse debebit inter M & A, sicque semper Terra nonnihil à Luna recedit. Præterea quoniam hoc pacto, ex eo quod Luna sit versus B, non modo spatium, per quod materia cælestis fluit inter B & T, sed etiam illud, per quod fluit inter T & D, redditur angustius, inde sequitur, istam materiam cælestem ibi celerius fluere, atque ideo magis premere, tum superficiem aëris in 6 & 8, tum superficiem aquæ in 2 & 4, quam si Luna non esset in vorticis diametro B D; cumque corpora aëris & aquæ sint fluida, & facile pressioni isti obsequantur, ipsa minus alta esse debere supra Terræ partes F & H, quam si Luna esset extra hanc diametrum B D, ac econtra, esse altiora versus G & E, adeo ut superficies aquæ 1, 3, & aëris 5, 7, ibi prominerent. Jam vero, quia pars terræ, quæ nunc est in F, è regione puncti B, ubi mare est quam minime altum, post sex horas erit in G, è regione puncti

cti C, ubi est altissimum, & post alias sex horas in H, è regione puncti D, atque ita consequenter. Vel potius, quia Luna etiam interim nonnihil progreditur à B versus C, utpote quæ mensis spatio circulum ABCD percurrit, pars Terræ quæ nunc est in F, è regione corporis Lunæ, post sex horas cum 12 minutis præterpropter, erit ultra punctum G in ea diametro vorticis ABCD, quæ illam ejusdem vorticis diametrum, in quo tunc Luna erit, ad angulos rectos intersecat, tuncque aqua erit ibi altissima, & post sex horas cum duodecim minutis erit ultra punctum H, in loco ubi aqua erit quam minime alta, &c. Unde clare intelligitur aquam maris singulis duodecim horis cum 24 minutis in uno & eodem loco fluere ac refluere debere.

Hæc Cartesii est demonstratio, in qua illud inprimis ingeniosum est, quod apte & concinne ostendit, quomodo non tantum ad locum affluxus fiat vel intumescentia, cum Luna ad verticem illius vel Meridianum movetur, sed etiam cum Luna infra Horizontem ad Meridianum mediæ noctis movetur.

Diximus autem in fine propositionis IX, quænam in Demonstratione hac desiderare aliquis possit: inprimis illud mirum videtur, Cartesio non venisse in mentem, quod juxta Demonstrationem minima aquæ altitudo & omnimoda detumescentia esse debebat, Luna in Meridianum perveniente, ut Luna in B existente, est in 2 & 4 minima aquæ altitudo, & contra, aqua accrescit cum secedente Luna vel Terra, ita ut cum F erit in G h. e. sex horis à Luna, habebit altitudinem seu intumescentiam maximam: quod sane est manifeste contra experientiam: cum Lunæ enim accessu ad Meridianum accrescit aqua, & cum decessu decrescit. Cartesii vero tam verba quam Diagram-

ma contrarium asserunt. Cæterum existimo, absurditatem hanc removeri posse à Demonstratione, idque hac ratione (modo idem Cartesio videatur). Ponamus enim vorticem Telluris ABCD esse sine Luna, & aquam 1 2 3 4 æqualiter à centro T abesse sine ullo tumore, sed cum Tellure & materia cælesti inter A B C D & 5 6 7 8 circumagi. Accedat jam Lunæ corpus in vorticem hunc, ex. gr. in B, atque ideo spatium T B fit angustius & materia cælestis dum per illud conatur transire, premet aquam in 2 versus E.

Dum itaque aqua expellitur ex 2 versus E, quæritur ubi maximus aquæ tumor vel cumulus sit futurus, an in loco E, qui quadrante absit à loco F (cui Luna verticalis est) an in loco vicino vel proximo ipsi F versus E. Si primum asseras, nempe in E debere esse tumorem, repugnat experientia: At secundum vere ita se habere, confirmat experientia, & ipsa ratio suadet, nimirum dum Luna consistit super locum E, expelletur aqua ex 2 versus I, sed maximus tumor erit in loco proximo ipsi 2, non in I, sed in hoc I erit minima accretio. Hoc enim experientiâ manifestum est, quia Occidentalia loca serius sentiunt intumescentiam. Ratio vero & motus aquæ leges idem omnino postulant. Si enim aqua effundatur in 2, ut fluat versus E, maxima copia erit in loco E, paulo minor in vicino loco, adhuc minor in hujus vicino, minima in E. Sic itaque cum ex 2 pellitur aqua versus E, maxima ejus copia & tanquam cumulus erit in loco vicino ipsi 2, & eo minor tumor quo ab 2 locus remotior. Quia vero Terra circumrotatur ut E veniat in F, tum demum erit in E maximus tumor, & pelletur aqua versus H.

Diagramma itaque Cartesii cum ipsa Demonstratione immutandum est, ut Tumor sit in loco

vicino

vicino ipsi 2, hoc est ei, cui Luna est verticalis. Alia quæ hic dici possent, tractabimus in consideratione Physicæ Cartesianæ.

PROPOSITIO XII.

In plenilunii & novilunii motus maris generalis ab Oriente in Occidentem est vehementior, intumescentia etiam maris major deprehenditur in plerisque partibus. Sed in quadris minimus est motus generalis, minima etiam intumescentia.

Experientia propositionem hanc satis superque comprobat: Testantur quippe nautæ, Oceanum turgere & æstuare in plenilunii & novilunii, in quadris vero malaciam esse, *calma* dicitur. Demonstratur autem juxta præcedentium propositionum hypotheses facili opera. Est enim Luna, cum plena est vel nova, Telluri propinqua magis quam in ulla alia ejus ætate, in quadris remotissima, ut Astronomi demonstrant. Cum autem Luna Telluri est magis propinqua, hoc est, cum spatium B T est minus, materia cælestis impedita vehementius premet aquam ab 2 ad 1 (quia propinquior). In quadris contra.

In plenilunii tamen observatur motus vehementior quam in novilunii, saltem in quibusdam locis, quod sane nisi lumini Lunæ velis ascribere, aliam causam non video. Neque aliter potest explicari, cur in plenilunio, & arbores & animalia majori humorum Oceani copia imprægnata sint, quam in novilunio, cum tamen mare in novilunio æque augeatur. Id tamen mirabile, quod *Twistius* Belga in Descriptione sua Indiæ de regno Guzarath (in quo ipse annos multos egit) refert. Conchas, Cancros atque alios pisces testaceos cum plenilunio omnium minime ibi esse succosos & carnosos, in noviluniis vero omnium maxime, quod est contra omnium aliarum regionum naturam.

Neque minus mirabile videri debet, quod ad littora vicina oſtiis fluvii Indi (ejuſdem regni Guzarath) mare augeatur & turgeat in noviluniis, non procul vero inde, nempe in Calecutano mari, augmentum deprehenditur in pleniluniis. Verum accurate prius de hiſce inquirendum eſſe inſtitutis iterato obſervationibus exiſtimo, deinde cauſarum inquiſitionem tentent, quibus Naturæ contemplatio voluptas eſt.

PROPOSITIO XIII.

Tempore æquinoctii verni & autumnalis, ſive in vere & autumno intumeſcentia maris major & vehementior eſt, quam aliis anni temporibus; in ſolſtitiis minima.

Hujus quidem proprietatis demonſtrationem Carteſius ex ſua hypotheſi ſimulat ſe afferre, at ego eam ex verbis illius non poſſum concipere, nec video, quomodo ex ipſius hypotheſi ſequatur. Veriſimile eſt, Solem quoque & ventos generales multum facere ad intumeſcentiam aquæ, cumque in æquinoctiis Sol medio incumbat mari Zonæ Torridæ, ideo vel ipſe vel venti efficient, ut mare magis intumeſcat, quam alio tempore. De ſolſtitiis contrario modo dicendum eſt. Vel dicemus, eandem eſſe cauſam majoris intumeſcentiæ maris, tempore æquinoctiorum ſive veris & autumni, quæ eſt cauſa frequentiorum pluviarum, ventorum, inundationum in illis temporibus.

PROPOSITIO XIV.

In quibuſdam Oceani partibus, ſinubus, & littoribus magnum eſt accrementum & decrementum aquæ in fluxu & refluxu: in quibuſdam exiguum, in quibuſdam ſenſile nullum, adeoque nullus fluxus & refluxus, ſive nulla intumeſcentia & detumeſcentia.

Magnum accrementum & decrementum recipiunt

piunt ea loca, 1. quæ sunt in Zona Torrida, intra Tropicos, quippe cum Luna premens plerumque in hac circumrotetur. 2. In locis, quæ directe ab Oriente in Occidentem extenduntur, vel juxta plagas collaterales. 3. In illis sinibus, qui oblongi sunt & minus lati, magis sensile est accrementum. 4. In illis locis, quibus paucæ insulæ vel procurrentes terræ adjacent.

Horum prout pauca vel plura in locis desiderantur, eo minor erit fluxus & refluxus maris in eo loco.

Maximus fluxus & refluxus ex hactenus cognitis est is, qui in sinu Cambaiensi in uno ostio fluvii Indi observatur, & multos in admirationem trahit. Etenim ad ingentem distantiam aqua recedit, & quidem celeriter. Unde non sine ratione Indus fluvius vel ille sinus Cambaiensis putatur ille esse, ad quem cum Alexander Magnus pervenisset & trajicere exercitum tentasset, ubi relatum illi est, recessisse celeriter aquam & naves in sicco desertas esse, noluit ultra tendere, sed judicavit, Deos hic metam expeditionis suæ posuisse, & prohibere ulterius progredi: id quod etiam incolæ Cambaiæ referunt. Causa est alvei parva depressio & altitudo. Quo enim alveus magis elevatus, eo majorem partem nudat aqua recedens; sed aliam accedere causam verisimile est.

Ad urbem Damman Indiæ, non procul à Suratte altitudo aquæ per fluxum & refluxum variatur ad $2\frac{1}{2}$ orgyias, & mare recedit à littore ad dimidium milliare.

In sinu Cambaiensi affluxus auget altitudinem orgyiis quinque (alii septem) quæ insolens accretio inexpertis nautis non raro naves perdidit, quippe recedente aqua ad scopulos allisæ sunt.

In freti Magellanici sinibus & littoribus non observatur constans tempus fluxus & refluxus, sed

mode

modo tribus, modo XII horis aqua fluit & refluit, quæ inconstantia ascribenda est violentæ Oceani irruptioni in illud fretum, & crebris agitationibus à vento.

Circa Malaccam, item ad fretum di Sunda, insignis quoque affluxus & defluxus observatur.

In sinu Arabico sive mari Rubro tantum esse refluxum quidam veteres scripserunt (referente Scaligero), ut Moses cum Israelitis sine miraculo illud transierit. At falsum est, quia non est tantus ibi refluxus, ut alveum siccum præbeat.

In maris Hudsonii sinu Nelson Thomas Button Anglus hybernans ad 57 gr. latit. Septentrionalis, observavit singulis duodenis horis aquas accrescere ad quindecim pedes & ultra. Similem affluxum in sequenti æstate deprehendit in loco 60 gr. latitudinis: sed in sinu Hudsons & sinu Sirames non accrescebat aqua ultra duos pedes.

Ad littora Chinæ admodum sensilis affluxus & refluxus, ut etiam ad insulas Japoniæ.

Ad urbem Panamam in littore Americæ ad mare Pacificum jacentem mare admodum altum evadit & mox deprimitur; in pleniluniis ita augetur affluxus, ut aqua ædes urbis ingrediatur. Imo in omnibus fere littoribus maris Australis mirifice augetur & minuitur altitudo aquæ, ita ut in refluxu ad duo milliaria decrementum sit sensile, & aqua fugiat visum in littore stantis.

In sinu Bengalensi ad Siamense littus affluxus auget altitudinem aquæ decem pedibus.

In mari autem Mediterraneo, quod per fretum Gibraltar influit ab Occidente versus Orientem, non sentitur affluxus, quia situs est contra plagam, in quam mare movetur, & ideo parum augetur illius aqua per affluxum, ita ut hoc sensile non sit, nisi in sinu Veneto qui ob longam extensionem & parvam latitudinem ostendit fluxum & reflu-

xum,

xum, cum in reliquo Mediterraneo mari propter latitudinem insignem non sentiatur illud parvum incrementum vel decrementum. Unde Græcis fuit ignotus hic fluxus & refluxus maris, uti etiam Romanis tempore Scipionis Africani. Et tam Græci quam Romani ubi aliquando in aliis locis eum sentiebant, habebant pro miraculo, ut constat ex Alexandri Magni expeditione & Scipionis oppugnatione Carthaginis; sed seculo Ciceronis satis cognitus erat Romanis. Quidam tamen ad Massiliam exiguum quid observarunt. Ad littora quoque Barbariæ quædam satis insignis esse dicitur.

In mari vel sinu Balthico, ut etiam toto mari Septentrionali ultra Angliam ad Norwegiam, Groenlandiam, nondum deprehensus est fluxus & refluxus, sicut neque in Pacifici maris boreali littore. Causa nondum satis cognita, nisi dicas illam esse, quod à Lunæ via longe remota sint illa maria, & simul, quod ab Occidente in Orientem & Septentrionem extendantur; præterea multæ insulæ & procurrentes terræ impediant. Hæc tria conjungenda sunt ad impediendum effluxum maris in hisce locis. Sic enim objectio de mari Hudsonii non habet locum, quippe hoc ab Oriente in Occidentem extenditur, in quam plagam cum mare moveatur, nil mirum est, si in eo affluxus magis sentitur, quam in mari Norwegiæ, Balthico, aliisque Septentrionalibus.

PROPOSITIO XV.

Affluxus maris est violentus, nempe impulsus, sed refluxus est naturalis aquæ motus.

Etenim affluxus seu intumescentia fit à premente Luna vel materia inter Lunam & Terram, vel etiam, quia mare non manet in eo situ, quem accipit in affluxu, hoc signum est, violentum fuisse

fuisse motum. At in refluxu sive detumescentia mare movetur à loco altiori ad depressiorem, qui est naturalis aquæ motus.

LEMMA.

Dato ex Ephemeridibus vel per supputationem aut Astronomicam Observationem, loco Lunæ in Ecliptica, & latitudine, atque hora diei, invenire in globo Terrestri illum locum, cui Luna ad datam horam sit verticalis, item exhibere omnia illa Telluris loca, quibus Luna verticalis fiet eo die, nempe uni post alterum.

Hujus problematis magnus, imo necessarius est usus in doctrina de Fluxu & Refluxu maris. Modum autem illud præstandi reperies c. xxx. Propositione XIII. Ibi enim commodius explicatur: potest tamen anticipari illius Propositionis explicatio, & hoc capite studiosis monstrari.

PROPOSITIO XVI.

In illis locis maris, cui Luna verticalis est, fluxus & defluxus est maximus, nisi alia impediant, quæ Propositione XIV enumeravimus. Et quo partes maris ab illo loco remotiores sunt, eo minor est affluxus & defluxus, cæteris paribus.

Quoniam enim in eo loco est pressura major & tumor aquæ major, qui prementi Lunæ & materiæ cælesti est vicinior, inde sequitur id, quod Propositio dicit. Objectiones de locis quibusdam, in quorum comparatione contrarium deprehenditur, per aliarum causarum admixtionem sunt excusandæ.

PROPOSITIO XVII.

Quantitas fluxus & refluxus inconstans est in quilibet loco, & diversa ad diversos dies, atque eo major

jor vel minor, quo Luna remotior vel propinquior ei loco sit.

Etenim Luna singulis diebus mutat locum suum in Ecliptica, atque ideo aliis diebus aliis locis sit verticalis, & per consequens à quovis loco remotior vel eidem vicinior. Quo posito, concluditur ex præcedenti Propositione, quod diversa sit ad diversos dies in eodem loco quantitas fluxus & affluxus, sive sensilis sit diversitas, sive insensilis.

Propositio XVIII.

Maxima aquæ intumescentia in loco quovis & affluxus terminus esse debebat cum Luna Meridianum ejus loci occupat (supremum vel imum) sed in multis locis deprehenditur id fieri alto Lunæ situ.

Etenim cuivis loco Telluris Luna tum maxime est propinqua, cum in Meridiano ejus loci versatur, propterea quod hypotenusa Trianguli rectanguli est longior quam cathetus. Unde infertur per Propositionem XVI, quod Luna constituta in meridiano, debeat maxima esse intumescentia, & maxima aquæ altitudo, & statim fieri decrementum. Cum autem Luna in imo Meridiani consistit, tunc opposita illi angustia vorticis Terræ consistit in Meridiano superiori, atque ideo idem efficit, ac si ipsum Lunæ corpus præsens esset.

Verum hic magna existit difficultas. Plurima enim loca & littora Telluris sunt, in quibus deprehendimus, quod terminus affluxus sive intumescentia maxima non sit cum Luna ad Meridianum pervenit (ut Philosophi ante hoc seculum disserebant), sed citius vel tardius, nempe cum Luna ad certum Verticalem sive ad certam plagam non Cardinalem pervenit. Et ne hæc quidem plaga constanter observatur, sed in noviluniis & pleniluniis plerunque maxima intumescentia est

&

& detumſcentiæ initium, antequam Luna ad hanc plagam vel verticalem circulum pervenit. Sic Londini aqua altiſſima eſt, cum Luna pervenit ad plagam, quæ inter Auſtrum & Occidentem, vel inter Septentrionem & Orientem media eſt, hoc eſt, ad Auſtro-zephyri vel Euro-boreæ plagam. Ad littus Chinæ in portu urbis Maccau, Luſitanus quidam Nauclerus obſervavit & conſignavit tempus intumeſcentiæ maximæ, hac ratione. Elevatio poli vel latitudo loci eſt 22 gr. 20 min. Anno 1584 die 19 Septembris fuit plenilunium: tunc ſumma aquæ intumeſcentia, altitudo vel plemmyra obſervabatur hora matutina ſeſquioctava, ſive $\frac{3}{4}$ poſt octavam. Fuit itaque Luna tunc remota à Meridiano tribus horis cum quadrante. Unde plaga ſeu verticalis, in quo Luna ad id temporis momentum hæſit, invenitur juxta problema capitis xxx.

Anno 1585 die III Februarii, qui fuit tertius à novilunio, obſervata eſt altitudo aquæ maxima, paulo poſt duodecimam; unde colligitur ipſo die novilunii, qui fuit primus Februarii, altitudinem maximam fuiſſe poſt horam decimam minuto quadrageſimo circiter.

Ex hiſce iterum plaga, in qua Luna eo temporis momento fuit, inveſtiganda eſt.

Anno 1585 die XVI Februarii in ipſo plenilunio, obſervata eſt altitudo aquæ maxima hora ſeſquiundecima, hoc eſt, fere tempore meridiei.

Anno 1585 die ſecundo Junii, qui erat quartus à novilunio, altitudo maxima obſervata fuit fere ad ipſam horam duodecimam: itaque colligitur in ipſo novilunii die fuiſſe altitudinem maximam hora nona antemeridiana.

Addit idem Nauclerus, tempora & horas maximæ altitudinis & decrementi aquæ non convenire cum illis horis, quæ ex Lunæ motu ſuppu-

tantur,

tantur, nisi quinque diebus ante & post novilunium: sed ambiguitas quædam est in his verbis, ut & iis quæ subjunguntur; ideo omisi hæc. Sed causa istius diversitatis est, quod affluxus novem horas in portu Maccau occupet, defluxus tantum tres, ut Propos. XIX dicemus.

Nauclerus quidam Belga ad dies novilunii & plenilunii annotavit horas diversorum locorum pro affluxus termino sive intumescentia, è quibus excerpsi has:

Hora XII (diebus novilunii & plenilunii). Ad littora Flandriæ, Enchusæ in Hollandia, Hornæ, Embdæ in Frisia Orientali, ad ostia Albis, Eideræ, ad insulas Jutlandiæ, Doverii in Anglia, &c.

Minutis 45 *post* XII. Flissingæ in Zelandia.

Hora sesquiprima, sive $1\frac{1}{2}$ post XII. In Occidentali latere insulæ Anglicæ Wicht, Caleti, ad ostia fluvii Tamesis Angliæ, ad littora Zelandiæ, in ostiis Scaldis, in Mosa, Goredæ.

Quadrante post secundam, sive $2\frac{1}{4}$ post XII. Ante ostia Scaldis, ante Mosæ ostia.

Hora tertia Amstelodami, Roterodami, Dordraci, Noviocastri in Anglia, ante pulvinos Flandriæ, Armenteriæ in Flandria, in ostio fluvii Burdegalæ (Bordeaux) in australi littore Brittanniæ Gallicæ, Gasconiæ, Biscaiæ, Gallæciæ, Portugalliæ & Hispaniæ: in Occidentali littore Irlandiæ ad Hitlandiam usque.

Quadrante ante quartam pomeridianam. Rhotomagi in Gallia: inter Mosam & ad Rupellam Galliæ (Rochelle): in fluvio Burdegalæ, in sinubus littoris Hispanici, Portugallici, Gallæciæ, australi littore Britanniæ Gallicæ, Gasconiæ, & ad Occidentale littus Irlandiæ.

Semisse post quartam. A Texel ad Australia littora Irlandiæ.

Qua-

Quadrante post quintam. In omnibus portubus australis littoris Irlandiæ, Plimuthi Angliæ & aliis australibus ejus locis usque ad Walliæ littora.

Hora sexta vespertina & matutina. Ante Hamburgum in Albi, ante Bremam, ante Texeliam, Antwerpiam, in canali inter Angliam & Brabantiam extra Sorlis.

Quadrante ante septimam vespertinam. Inter Fawyck & Vaelmuyam in Canali usque ad Briston, ante S.Nicolai & Podessemke usque ad Weymuyam & Hartepol.

Semisse post septimam. In statione navium (*op de Reede*) ad Texeliam, Kilduynæ, medio in Canali, juxta Plimuthum in mari usque ad promontorium Lezart Angliæ procurrentis.

Quadrante post octavam vespertinam. Juxta insulam Wicht in Canali usque ad Bevesier, extra Flevum in Hollandico littore.

Hora nona. Ante ostia Amisii fluminis Frisiæ (*Eems*) ante Flevum, ad omnia Frisiæ littora, ad Orientale littus insulæ Wicht.

Post horam decimam semisse. Ante ostia Tamesis fluvii Angliæ, ad littora Normandiæ, Picardiæ.

Quadrante post undecimam. In fluvio Tamesi, atque aliis Angliæ locis.

Hujus tam insignis differentiæ & quidem in omnibus locis causam explicare, difficillimum est: etsi omnino id Physico incumbat, vel Geographo. Varios littorum anfractus, situm littorum respectu maris, insularum obstacula, aquarum mutuos occursus, locorum à via Lunari distantiam, varios ventos, imprimis constantes & generales, declivitatem littorum, atque alia, multum facere ad hanc proprietatem fluxus, verisimile est. Exempli gratia: Ad portum Londini in littore Angliæ aqua accrescit donec Luna perveniat ad plagam Austro-zephyri, nimirum cum declinat ab Ecliptica

ptica versus Austrum. Tunc enim aqua refluere incipit, non autem cum Luna ad Meridianum pervenit. Dicemus itaque, dum Luna movetur à meridiano Londini versus Brasiliam (sive Brasiliâ versus Londinum) ideo non recedere mare à Londino, sed adhuc augeri, propterea quod Americæ littora ad quæ Oceanus movetur à Luna, repellant illam aquam versus Angliam, hocque ideo, quia non præbet transitum aquæ. At cur Luna declinante ab Ecliptica versus Boream, altitudo maxima aquæ & decrementi initium observatur antequam Luna ad Meridianum perveniat, nempe in plaga Euro-boreæ?

Respondeo, id ideo fieri, quia tunc Luna est multo propior Angliæ, quam cum versus Austrum declinat ab Ecliptica, & ideo celerius implet; causa autem quod affluxus tunc non diutius protrahitur usque dum Luna ad meridianum perveniat, esse potest, quod Luna tunc Oceanum pellit magis versus mare Mexicanum & mare Hudsoni, ubi magna deprehenditur intumescentia & detumescentia.

Ad littora Chinæ ideo dicemus intumescentiam anticipare Lunæ ad meridianum appulsum, propterea quod ventus Orientalis continuus mare pellat versus Occidentem.

Verumenimvero non hæc talia sunt, ut vel mihi ipsi satisfaciant. Ideo cuivis Naturæ scrutatori hæc ulterius & diligentius expendenda sunt. Ad veram autem causam inveniendam omnino necessarium est, ut accuratas habeamus observationes, quomodo in diversis locis fluxus & refluxus fiat, in quonam nempe verticali Luna sit in illo affluxu, quomodo varietur plaga in diverso loco Lunæ, in plenilunio, in novilunio, inprimis in illis locis ubi Luna verticalis fit, item illis quæ directe respiciunt Orientem, Occidentem & Septentrionem,

trionem, Auſtrum. Illud quoque diligenter obſervandum, quomodo fluxus hic fiat illis horis diei, dum Luna in boreali circuli ſui parte exiſtens non habet verticaliter ſuppoſitum mare, ſed terras longo tractu, nempe à Camboia & China uſque ad Africæ littus occidentale. Quia enim tunc non premit aquam directe, quippe mediterraneis locis imminens, exiſtimo quod inde aliqua varietas huic motui accidere debeat. Item quid tunc fiat, dum Luna in Auſtrali hemiſphærio regens pervadit Braſiliæ mediterranea ſive Auſtralem Americam. Sine hiſce obſervationibus vix perveniemus ad veram cauſam. Neque nos negligemus hoc argumentum, ſi in hac urbe, ubi hæc ſcribimus, vitam tranſigere Deus dabit.

Propositio XIX.

Mare ad pleraque littora ſex horis cum duodecim minutis affluit, & totidem horis refluit.

In paucis locis affluit pluribus horis & refluit paucioribus: Et contra, in paucis affluit horis paucioribus & defluit pluribus: ita tamen ut tempus affluxus & defluxus (nempe inter duas maximas intumeſcentias) ſimul faciant duodecim horas cum $24\frac{1}{8}$ minutis, & duo talia tempora faciant viginti quatuor horas cum quinquaginta circiter minutis, ($48\frac{1}{4}$) hoc eſt, fere viginti quinque horas. Atque ideo ſingulis diebus intumeſcentia ſumma integra fere hora ſerius accidit, quoniam Luna integra fere hora (50 minuta) tardius ad eundem Meridianum vel verticalem redit ſingulis diebus.

Satis ſuperque primum Propoſitionis membrum explicavimus in demonſtratione Propoſitionis XI, etſi in iſta Demonſtratione ſummam maris altitudinem ſumpſerimus Luna meridianum occupante: in hac vero Propoſitione, quoniam

niam in præcedenti ostendimus plurimis locis eam altitudinem accidere Luna extra Meridianum constituta, non numeramus illis horas à tempore quo Luna Meridianum occupat, sed ab eo tempore, quo Luna verticalem illum occupat, in quo Luna existente summam intumescentiam esse, per experientiam constat. In hisce tamen locis periodus incrementi & decrementi non exacte observat illas duodecim horas cum 24 minutis vel viginti quatuor horas cum quinquaginta minutis, quia Luna propter variam & mutabilem à vertice distantiam vel pluribus vel paucioribus horis ad eum verticalem redit, quæ tamen discrepantia magna non est.

Etsi itaque in omnibus locis affluxus & refluxus duodecim horis fere cum 24 minutis absolvatur (cum nullæ tempestates sunt), in plerisque etiam hoc tempus æqualiter sit divisum inter fluxum & refluxum, ita ut sex horis affluat, totidemque defluat, tamen in nonnullis locis inæquale est tempus affluxus, tempori defluxus, nempe majus vel minus. Garumnæ (fluvius Galliæ est) alveum Oceanus ingreditur horis septenis, defluit quinis. Sic ad portum Maccou in littore Chinæ affluit aqua horis novem, defluit tribus, imo paucioribus, si venti Orientales spirent.

Contra ad Zenegæ (fluvii Æthiopiæ) littora affluit mare horis quaternis, defluit octonis.

Causæ harum differentiarum difficiles sunt. Quidam in validum & celerem fluviorum effluxum vel etiam in simplicem effluxum causam referunt. Ideo enim Garumnæ littus septem horis sentire affluxum, quia validus Garumnæ motus retardet influxum, adjuvet autem defluxum, ideo quinis mare defluere. Alii horam illam addi ad affluxum, propterea quod mare refluens à magis boreali loco impediat, ne libere egrediatur mare è

Garumna, sed potius plus in eum impellatur. Ego vero existimo ideo fieri, quia Garumna valido motu se effundit ex ostio in Oceanum ad aliquam distantiam, hunc effluxum prohiberi ex parte ab æstu maris, & sic aquam Garumnæ restitare aliquantum etiam antequam mare propter Lunam ipsum alveum ingrediatur.

De Zenegæ incremento, quod quatuor tantum horas habet, utrum causa sit ascribenda extensioni alvei ab Occidente in Orientem, an celeri Zenegæ defluxui, quæ prohibeat influxum duabus horis, an alteri causæ, dubito, & accuratiorem observationem requiro, nimirum utrum vere decrescat octonis horis, an tantum sex horis, duabus autem reliquis nec accrescat nec decrescat, &c. quia validus fluvii effluxus impediat affluxum.

Illud etiam considerandum, quod loca depressa pluribus horis sentire possint affluxum, paucioribus defluxum.

Propositio XX.

An Luna Horizontem attingente incipiat affluxus vel incrementum in loco, cujus est Horizon?

Ita dicunt communiter: contrarium tamen dicendum est in illis locis obtinere in quibus summa aquæ altitudo est Luna meridianum obtinente. Etenim cum Luna declinat ab Æquatore versus Austrum, tunc paucioribus quam sex horis pervenit ad Meridianum, & ideo debuit affluxus incepisse cum adhuc Luna infra Horizontem est depressa. Contra cum Luna declinat ab Æquatore versus Septentrionem, plures quam sex horas requirit, ut ab Horizonte ad meridianum perveniat, atque ideo cum jam supra Horizontem elevata est Luna in circulum horarium sextæ horæ, tum demum incipiet affluxus. Atque

que ita in plurimis locis obſervatur, ſed Londini contrarium, ut diximus Propoſ. præced. Et ratio videtur poſtulare, ut etſi Luna declinet ab Æquatore verſus Septentrionem, tamen incipiat affluxus in loco, ubi Luna ad Horizontem pervenerit: Abeſt enim tunc locus per quadrantem ab illo loco, cui Luna verticalis eſt, atque ideo preſſura maris huc pettinget. Obſervationes accuratiores hic deſideramus.

PROPOSITIO XXI.

Data hora, in qua altitudo ſumma vel minima aquæ eſt die novilunii vel plenilunii in loco, ubi ordinarius eſt fluxus & reflluxus (ſex nempe horarum cum 12. gr.) *determinare horas ſequentium dierum, poſt novilunium, quibus altitudo maxima & minima erit.*

Diximus in præcedentibus, quod tempus ſummi incrementi & decrementi (ſi medius Lunæ motus à Sole ſpectetur) in uno die poſtponat minutis horariis $48\frac{1}{4}$, ($48\frac{13}{16}$ accuratius) in dimidio die, minutis $24\frac{1}{8}$.

Si itaque in aliquo loco ſit ſummum incrementum vel maxima intumeſcentia die novilunii vel plenilunii, hora diei XII, erunt ſequentibus diebus horæ incrementi hæ:

Ætas Lunæ.	Diei Horæ.	Scrup.
1	XII.	48
2	1	37
3	2	27
4	3	17
5	4	5
6	4	55
7	5	59
8	6	49
9	7	23
10	8	12
11	8	56
12	9	51
13	10	40
14	11	29
$14\frac{1}{2}$	12 med.no.	
15	12 Diei.	

Nimirum in fine primi diei ætatis Lunæ ſerius accidit intumeſcentia ſumma, horariis minutis $48\frac{13}{16}$. Sed in praxi ſufficit ad horam novilunii pro primi diei fine addere minuta 48 ſive $\frac{3}{4}$ horæ:

pro ſecundi fine.	horas $1\frac{1}{2}$
pro tertii.	$2\frac{1}{4}$
pro quarti.	$3\frac{1}{4}$
pro quinti.	4
pro ſexti.	5
pso ſeptimi.	$5\frac{1}{4}$
pro octavi.	$6\frac{1}{4}$
pro noni.	$7\frac{1}{4}$
pro decimi.	$8\frac{1}{4}$
pro undecimi.	9

pro

pro duodecimi.	$9\frac{3}{4}$
pro decimitertii.	$10\frac{2}{3}$
pro decimiquarti.	$11\frac{1}{2}$
pro decimiquinti.	$12\frac{1}{4}$

Hic calculus vel ſupputatio temporis medium Lunæ à Sole motum ſive æqualem ſupponit, qui tamen inæqualis eſt, ita ut in perigæo ſuo Luna, multo celerius à Sole recedat, quam cum in apogæo eſt, atque adeo tunc longius protrahitur incrementum ſummum, quam horis 6 & 12 min. in apogæo autem cum Luna eſt, citius incrementum habetur. Nam & veri menſes Lunares quidam ſuperant 30 dies, alii minores ſunt diebus 29, cum medius aſſumatur dierum 29, hor. 12, 44 minut.

Sed in locis, ubi cum appulſu Lunæ ad certum verticalem fit maxima altitudo vel minima, etſi eodem modo fiat, tamen minus accurate tempus invenitur.

Neque enim ipſum tempus, quo Luna Soli conjungitur, cadit in eaſdem diei horas vel ejuſdem horæ ſcrupula eadem in diverſis noviluniis.

Quomodo per globum Terreſtrem id fiat, docebimus capite XXX.

Et capite XXXVII, in uſu nautico plura dicemus de accuratiori methodo.

Poſſumus etiam hac methodo uti pro illis locis, ubi tempus affluxus eſt majus vel minus, quam tempus defluxus, modo conſtet de differentia. Conſideratio ipſius rei & praxis facilius hæc docebunt, quam ſermo noſter.

PROPOSITIO XXII.

Venti sæpe protrahunt, sæpe imminuunt, in aliquo loco tempus affluxus vel refluxus: nec tantum venti illius loci, sed etiam in alio loco spirantes, idem possunt efficere.

Veritas Propositionis adeo clara est, ut nulla indigeat demonstratione.

PROPOSITIO XXIII.

SPECIALIUM *seu propriorum motuum maris, quo nempe una aliqua Oceani pars vel perpetuo & continue, vel certis mensibus movetur, magna est varietas.*

1. *Ex specialibus perpetuis*, *præcipuus* est is motus, quo maris Atlantici seu Africani pars circa Guineam à promontorio viridi movetur versus curvaturam seu sinum Africæ, quam vocant Fernando Poo, hoc est, ab Occidente in Orientem, qui contrarius est generali motui ab Oriente in Occidentem. Est autem vehemens motus, ita ut naves littoribus appropinquantes violenter deferat ad illum sinum præter nautarum opinionem & supputationem itineris. Inde fit ut naves, quæ duobus diebus à littore Mourræ delatæ sunt ad Rio de Benin (100 milliaria sunt) vix sex vel septem hebdomadibus interdum à Rio de Benin ad Mourre possint reverti, nisi in altum pelagus se conferant, quod tamen non facile est, cum mare valido motu moveatur ad plagam Euro-boreæ ab S. Thomæ insula ad sinum illum Fernando Poo, trahens secum naves secundo quamvis vento Euro-borea utentes. Atque vix à littore illo abire possunt, nisi repentinis illis & crebris ecnephiis (*Travados*) expellantur, qui interdum per aliquot menses minus frequentes vel nulli sunt. Multas naves perdidit hic maris istius motus, antequam

tequam nautis satis cognitus esset : quippe vel naufragio perierunt delatæ in latentes littoris scopulos præter opinionem suam, vel nautæ siti & inedia confecti sunt, cum in sinu isto detinerentur.

Verum non inest hic motus toti Oceano Æthiopico, sed tantum parti illi, quæ adjacet littori Guineæ usque ad sinum illum, nempe non ultra quatuordecim milliarium distantiam à littore in mari deprehenditur, ad unius gradus ab Æquatore distantiam. Itaque nautæ littora illa præternavigantes diligenter cavent, ne propius accedant ad illa, ut ita reliquam navigationem pro suo arbitrio & constituti loci situ possint dirigere.

Causam hujus littoralis motus invenire haud facile est, præsertim cum vicinus Oceanus moveatur contraria via ab Oriente in Occidentem. Duo dici possunt :

1. Oceanum ab Americæ littore repulsum remeare aliquantum versus Orientem, & quoniam Oceanus Æthiopicus ad sinum Fernandi Poo lato tractu extenditur, ideo in hunc remeare, sed tantum ad littora deprehendi, non in alto pelago, propterea quod in hoc motus contrarius eum deleat & insensilem reddat : versus littora autem mare moveatur violente. Et ideo præcipue in sinu illo Fernandi Poo animadvertitur, quia à littoribus reliquæ Africæ (ut Congo), repellitur mare propter effluentes magno impetu fluvios.

2. In sinu isto Fernandi Poo subterraneum quemdam alveum esse, in quem mare illabatur & reliquum Oceanum trahit. Sed hoc minus fortassis verisimile videbitur. Inveniat meliora, qui potest, & cui otium Deus concessit.

PROPOSITIO XXIV.

Secundus specialis perpetuus motus.

Circa Sumatram mare fluit ab Austro versus Septentrionem in sinum Bengalensem, & quidem valido motu, ut verisimile sit vi maris hunc sinum factum esse atque Malaccensem Chersonesum ab India separatum. Utrum causa sit, quod à tam multis insulis & promontorio Terræ Magellanicæ Oceanus, qui ad Occidentem tendit, repellatur ut ita versus Septentrionem violente fluctuansque deferatur, an vero subterraneus alveus sit in illo sinu, dubito.

Puto tamen non directe ad ipsum Septentrionem, sed ad plagam collateralem, quæ versus Occidentem declinet, fieri. Imo idem hic motus deprehenditur inter Javam & Terram Magellanicam, itaque Belgæ in Indiam navigantes dirigunt cursum ad procurrentem illam partem Terræ Magellanicæ vel Australis, & dein navigant ab Austro versus Septentrionem nempe ad Javam.

PROPOSITIO XXV.

3. *Tertium specialem perpetuum motum* facio eum, qui inter insulam Madagascar & Promontorium Bonæ spei observatur, inprimis in littore Africæ inter Terram de Natal & hoc promontorium Bonæ spei. Hic motus deprehenditur ab Euro-boreæ plaga ad Zephyro-austrum (& à Borea ad Austrum, pro littorum extensione) tam incitatus & vehemens, ut naves vix valido vento illum superare & contrariam viam ad Madagascar tenere possint. Contra, qui à Canali inter Madagascar & Africam versus promontorium Bonæ spei navigant, sine ventorum ope, solo maris motu deferuntur ad illud: causam esse puto, quod Oceanus generali motu delatus ad Africæ littora & à directo

cto itinere prohibitus tendat versus promontorium Bonæ spei, ubi transitum invenit. Etenim in medio Oceano vel à littoribus remoto inter Indiam & Africam non deprehenditur hic motus à collaterali plaga, sed Oceanus ab Oriente in Occidentem movetur.

Propositio XXVI.

4. *Quartus specialis perpetuus est*, in mari Pacifico ad littora Peruviana & reliquæ Americæ, ubi mare movetur ab Austro ad Boream. Causa est sine dubio ventus perpetuus Australis, qui ad illa littora dominari deprehenditur, ut capite de Ventis diximus. In mari à littoribus remoto non deprehenditur hic motus, sicut nec ventus iste.

Propositio XXVII.

5. *Quintus specialis perpetuus motus*, observatur in mari ad littora Americæ, promontorio S. Augustini Brasiliæ, ad insulas Antillas Mexicani sinus versus Floridam, hoc est, ab Austro ad Septentrionem. Causa fortassis est, quod Oceanus delatus generali motu ad Brasiliam, repellitur, & quia versus Septentrionem latior & liberior via datur, istuc fertur. Similis motus versus Boream observatur in ostio freti Manillensis ad Philippinas. Ita in Japone à portu Xibuxia versus Arimam motus incitatissimus.

Propositio XXVIII.

6. *Sextus specialis perpetuus motus*, in freto le Maire, ubi nautæ classis Nassoviæ deprehenderunt mare ferri ab Occidente in Orientem. Sed una observatio non sufficit, præsertim cum le Maire contrarium scribat.

Plures speciales motus reperiuntur in Oceani partibus ad littora, sed nondum satis accurate observati & descripti sunt.

Propositio XXIX.

Ad speciales perpetuos motus partium Oceani pertinent illi etiam, quos efficiunt fluvii ingentes, ubi in mare se exonerant.

Sic ad littora Africæ, Lowango, Congi decem & duodecim milliaribus à littore validus est motus maris à littoribus versus Occidentem, quia plurimi fluvii, inter quos maximus est Zaire, cum impetu in mare se projiciunt & ita mare repellunt, qui motus à generali motu juvatur. Ideo aliquot dies requiruntur ut naves illa littora possint attingere, etsi tantum uno vel altero milliari ab eo distent.

Sic ad insulam Lamon littori Chinæ adjacentem mare movetur à littore versus Eurum, contra generalem motum, qui est ab Euro versus Chinam. Hunc contrarium motum efficit impetuosus effluxus fluvii magni Chinensis Thoucoan: sed in mari remotiori à China omnino deletur hic motus à generali motu: neque enim ultra insulam Branco sentitur.

Hactenus de motibus specialibus perpetuis: pauca de specialibus statis & anniversariis subjungenda sunt.

Propositio XXX.

Specialium motuum maris cessantium seu periodicorum maxima est varietas; & motus illi periodici sive stati & anniversarii omnes fere ab anniversariis & statis ventis oriuntur. Et stati venti unius loci possunt motum maris statum efficere in alio loco.

Ita ad Javam in freto Calappa cum motio est Zephyrina, nempe mense Maio, fluit mare versus Orientem contra generalem motum.

Sic inter insulam Celebes & Maduram, cum motio

motio est Zephyrina, nempe in Decembri, Februario, Januario (ventus Zephyro boreas vel collateralis Zephyri vicinior plerunque tunc spirat ibi) mare fluit ad Euro austrum, vel Euri collateralem viciniorem.

Ad insulam Ceilanum à medio Martio ad Octobrem fluit mare versus Austrum, reliquis mensibus versus Boream, nempe quia illis mensibus frequentes sunt venti boreales, in hisce autem strales.

Inter Cocinum & Malaccam, cum motione Zephyrina ab Aprili ad Augustum, fluit mare ad Malaccam contra motum generalem versus Orientem: deinde reliquo tempore versus Occidentem adjuvantibus ventis generalem motum. Mare hic movetur tanto strepitu, ut inexperti putent scopulos adesse, ad quos aqua allidat.

Sic aliquot mensibus post xv Februarii mare movetur à Maldivis insulis versus Orientem & Indiam contra generalem motum.

Ad littora Chinæ & Camboiæ mensibus Octobri, Novembri & Decembri movetur mare versus Zephyro-boream, sed cum Januario versus Zephyro-austrum incitato admodum fluxu versus pulvinos de champa, ut lapidis jacti celeritatem superare videatur.

Ad Pulo Cato usque ad Varella (in littore Camboiæ jacent) cum non flant motiones, celer maris motus fit versus Austrum, sed motiones in aliam plagam movent.

In littore sinus Bengalensis, à Patana, ad Malaccæ promontorium, mense Novembri & Decembri incitatus cursus maris observatur versus Austrum.

In motione à China ad Malaccam, mense Junio, Julio, Augusto, vehemens maris motus à Pulo Cato ad Pulo Cambir in litore Camboiæ.

Plura exempla, ſed minus accurate conſignata, leguntur in diariis nautarum.

Ad littus Aguada de ſan bras non procul à promontorio Bonæ ſpei obſervatur hoc peculiare, quod mare ſemper ab Oriente in Occidentem verſus terram movetur eo vehementius, quo ventus Occidentalis, ei nempe oppoſitus, fuerit vehementior. Cauſa proculdubio aliud vicinum littus altius illo.

Propositio XXXI.

Motus maris circulares, quos vortices appellamus, & gurgites, triplices ſunt. Quidam enim tantum aquam in gyrum circumagunt; quidam abſorbent, & certis horis refundunt & exſpuunt, quidam abſorbent, ſed non exſpuunt. Etſi vero quarta etiam ſpecies ſine dubio in alveo maris detur, quæ nempe exſpuat, non vero abſorbeat aquas, tamen eam in mari deprehenſam eſſe non memini me legiſſe apud ullum autorem: ſed in Terris plurimæ reperiuntur. Nautæ vocant hoſce vortices & gurgites *Maelſtroom*. Latini etiam Euripum.

Neque eſt magnus illorum numerus: ſaltem eorum, qui annotati ſunt, pauci.

Chalcidicus Euripus ſeu vortex celebris eſt prope Græciam, inprimis propter fabellam de Ariſtotelis morte & obitu. Recipit aquam certis horis & aliis exſpuit. Scaliger ita conatur explicare: Subjectarum cautium receſſibus receptas aquas refundi, non peſſime dicemus. Nam perpetuo defluxu ſcrupeos impleri ſinus, quorum claviculata conceptacula, ſicut fit in fluviorum gurgitibus, humorem collectum evomant: quorum capacitas tanta ſit, ut tot horis ſufficere poſſit motum eum, qui partim defluxionem tardet ac retrudat, partim juvet, poſteaquam ſatura fuerint illa cava.

Æstio-

Ætiologiam hanc Scaligeri non esse sufficientem nemo non videt.

Vortex & Euripus ad Norwegiam omnium celeberrimus & maximus. Etenim tredecim milliaria habere scribitur in circuitu; medium petra occupat, quam adjacentis terræ populi vocant Mouske. Vorago hæc sex horis absorbet omnia, quæ illi appropinquant vel vicina sunt, aquam, balænas, naves onerarias & alias res, totidemque horis omnia illa eructat & evomit, magna cum violentia, strepitu & circumgyratione aquæ. Causa latet.

Inter Normanniam Galliæ & Angliam vorago est, ad quam feruntur naves mirabili celeritate, sed jam vicinæ gurgiti repelluntur.

PROPOSITIO XXXII.

Motus maris, quem Concussionem vel tremorem vocavimus, provenit à spiritu qui vel terram vel ipsam aquam agitat vel ebullire facit.

Sic ad littus Bascum, quod haud procul Baiona Britannicum mare summovet, locus est quem incolæ vocant *Cap breton*. Ibi aliquando mare sine ullis ventis adeo turgescit, ut jamjam littus ipsum obrutum iri videatur: deinde mox subsidet. Similis intumescentia in lacu Scotiæ dicto *Loumond* deprehenditur à spiritu subterraneo.

Tremorem aquæ anno 1523 circiter in mari Cambaiensi experti sunt Lusitani: In summa enim malacia (ut ait Maffeus) silentibus ventis, repente ab imo fluctus intumuit: inde naves inter se nutare, crepitare compages, tabulata concuti cœpta. Nautæ subito pavore icti, cum in Syrtes illatam haud dubie classem crederent, in summa perturbatione rerum omnium, alii bolidem demittere, alii sentinam exhaurire, sapientiores de fuga circumspectare & doliola arripere, quibus

enatarent: ſed mox compertum, eum eſſe Terræ motum, quem navigantes quoque ſentire non eſt dubium.

Propositio XXXIII.

Cur Mare Pacificum magis tranquillum & ſine profundis fluctibus exiſtit, & cur vento facile turbatur. (Belgæ dicunt, *Zee is haeſt ontſtelt.*)

Cauſa ſine dubio eſt, quia motus ejus verſus Occidentem non impeditur ab objectis littoribus, ſicut Atlanticum.

Caput XVI.

De Lacubus, Stagnis & Paludibus.

Propositio I.

De finitiones.

L*Acus dicitur copia aquæ in aliqua Mediterranei* loci cavitate inſignis amplitudinis & tractus exiſtens, undique terris cincta & mediocrem ad minimum profunditatem obtinens. In ſpecie vero, Lacus dicitur is tantum, qui fluvios recipit & emittit.

Stagnum dicitur lacus parvus, qui nec recipit nec emittit fluvios. Geographi & Literatores non omnino eodem modo hæc definiunt: ſed res non magni eſt momenti, quia de vocabulis lis eſt: nos eo, quo propoſuimus, modo commode & apte definiri exiſtimamus.

Palus dicitur aqua in Mediterraneo loco exiſtens, hinc inde extantes & eminentes terras habens vel etiam terræ immixta.

Propositio II.

Lacus ſunt quadruplices. 1. Quidam neque amittunt neque recipiunt fluvios, quales lacus ſi parvi

parvi sint, appellantur stagna, ut diximus, si magni & vasti, retinent plerunque lacus appellationem. 2. Quidam emittunt fluvios, non vero recipiunt. 3. Alii recipiunt fluvios, non emittunt. 4. Reliqui & recipiunt & emittunt fluvios: Et quidam ex hisce majores emittunt, quam accipiunt, quidam æquales, quidam minores. Item, quidam emittunt fluvium in eadem fere linea cum eo, quem acceperunt, alii in alia linea sive ad aliam plagam. Item, quidam plures recipiunt, quam emittunt, quidam pauciores, quidam æquales.

PROPOSITIO III.

Eorum lacuum, qui neque emittunt neque recipiunt fluvios, generationem & conservationem exponere.

Sunt illi lacus vel Magni vel Mediocres vel Parvi. Mediocrium & parvorum quidam perpetuo permanent, quidam æstate & ubi diu non pluit, exsiccantur, dicunturque utraque stagna. Horum itaque, qui exsiccantur, generatio facilis est explicatu, nempe copia pluviarum & cavitas seu depressio loci, in quo talia stagna sunt. Etenim si locus aliquis situs sit in medio elevatorum locorum, defluit in eum omnis aqua pluvia, atque ita stagnum efficit.

Ita in India visuntur plurima stagna industria incolarum facta, quorum quædam milliare unum, interdum & duo, ambitu capiuntur, lapideo muro cincta, quæ pluviis mensibus implentur, ut æstivis mensibus sufficiant eis, qui longius ab amnibus aut fontibus degunt.

Simili modo parvi lacus & stagna fiunt ab exundationibus maris & fluviorum.

Sic Nilus & Niger fluvius, ille in Ægypto, hic in Lybia & Nigritarum regione exundans, ubi

jam

jam recesserunt, multa stagna post se relinquunt, quæ ipsi incolæ etiam vel muniunt vel faciunt, ut inde aquam petant reliquis anni mensibus. Eadem ratione in Moscovia, Finlandia, Liflandia tempore veris, æstatis & autumni multi sunt lacus; partim propter imbres, partim propter nivium & glaciei resolutionem.

Cæterum etsi lacus quidam exsiccentur æstate & post diuturnam pluviarum cessationem, inde tamen non licet firmiter concludere, quod omnem suam aquam à pluviis habuerint. Etenim exsiccari possunt, etsi suas scaturigines habeant in fundo, nimirum cum hæ scaturigines adeo parum largiuntur, ut ab æstu solis in halitum vertatur & dissipetur.

Quod vero ad illos lacus sine fluviis attinet, qui non exsiccantur, potest quidem eorum generatio etiam ad pluvias referri, nempe si profundum alveum habeant, in quo tanta aquæ copia à pluviis collecta asservetur, ut calore Solis non queat tota absumi, antequam alia pluvia cadat: sed magis verisimile est, hosce lacus in fundo habere peculiares scaturigines, à quibus tantum aquæ illis accedat, quantum per exhalationem absumitur: atque hæc causa sola locum habet in illis stagnis, quæ in montium fastigiis reperiuntur, ut in Bructero, in Cenisio (quod stagnum truttas fert) & aliis. Quosdam etiam ex hisce per exundationem aquarum magnam olim generatos esse, & deinde à pluviis conservari, probabile est: imo de illis lacubus, qui mari vicini sunt & simul salsi, non est dubitandum quin vel per exundationem vel immissionem maris per aliquam viam extiterint, ut lacus Harlemensis, & plures in Hollandia. in Peru quoque salsi lacus sunt.

Neque est magnus horum lacuum sine fluviis numerus. Parvi aliquot reperiuntur in Moscovia & Fin-

& Finlandia, Lychnitis stagnum in Macedonia, Apollonia lacus in Mysia, in Carniola unus, qui dicitur *Zrinzee*, unus rotundus in China, alius (Hilam) in Cauchinchina; in Zanhaga Africæ provincia unus: Ad urbem Mexico in America unus, longitudine duodecim leucarum, & alius non procul inde. Hi omnes parvi sunt, excepto illo qui in China, namque hic mediocris.

Magnus autem lacus ex hoc genere unus tantum est in tota Tellure, qui cum omnibus lacubus magnitudine certat, imo omnes superat, nempe Parima lacus in America, jacens sub ipso Æquatore. Habet enim in longitudine ab Oriente in Occidentem trecenta circiter milliaria, in latitudine centum circiter, ubi ea maxima: neque tamen ullum fluvium recipit vel emittit. Is quomodo primum extiterit, non immerito dubitatur, utrum per inundationem Oceani olim factam, an subterraneis fontibus & scaturiginibus? Item, utrum à pluviis conservetur, an ab eisdem fontibus? Mihi verisimile videtur, haberi in fundo scaturigines, quæ tantum suppeditent, quantum calor solis auferat. Eadem enim causa est lacuum, quæ fluviorum, sed differentia est in loco fontis & aquæ copia scaturientis. Si enim fontis locus habeat insignem cavitatem & tractum terræ, copia vero scaturiens parva sit, non effluit aqua, sed tantum per halitus dissipatur quantum scaturit. Itaque fons, lacus & fluvius differunt circumstantiis tantum, non reipsa. Sicut multi fontes reperiuntur, qui non effundunt aquam, hi rectius putei dicuntur.

PROPOSITIO IV.

Eorum lacuum, qui emittunt fluvios, neque ullos recipiunt, generationem & conservationem exponere.

Insi-

Infinitus horum lacuum est numerus, cum plurimi fluvii ex lacubus tanquam cisternis, profluant, inprimis illi, qui in Moscovia, Finlandia, Lapponia oriuntur, nimirum ubi cavitas in loco fontis aliqua quidem est, sed non tanta ut copiam scaturientis aquæ continere possit, fit quidem lacus, sed dein accedit fluvius elabente nimirum aqua ad vicina loca. Neque enim dubitare possumus, quin hi lacus suam generationem & conservationem habeant à fontibus in fundo existentibus, sive verus sit fons, sive apparens, nempe aquâ ab alio loco per subterraneum ductum istuc fluente, quod posterius de quibusdam lacubus, qui magnos fluvios protinus emittunt, verisimile magis apparet. Minorum talium lacuum ingens est, ut dixi, numerus, ut Volga, ex quo prima Volgæ fluvii origo; Odoium, ex quo Tanaïs; Adac, ex quo unus ramus Tigris fluvii; Osera in Moscovia, ex quo Sosnam fluvius, qui in Volga exoneratur, & plurimi alii parvi; nos hic majores & magis insignes tantum enumerabimus.

1. Insignis est lacus Chiamy sub latitudine 31 gr. non procul ab India jacens à Gange versus ortum. Ex eo lacu quatuor effunduntur fluvii eximii magnitudine, fertilitate & inundatione in regna Siam, Pegu &c. nempe fluvii Menam, Axa, Cosmum, Martavam. Sed quædam mappæ habent fluvium, qui in lacum hunc labitur, exiguum.

2. Lacus Cincuyhay in finibus Chinæ oblongus, mittit magnum fluvium versus Septentrionem, qui cum alio junctus intrat Chinam.

3. Lacus Titicaca in Chareas provincia Americæ Australis, habet octoginta leucas in ambitu, emittit magnum fluvium, qui in parvum lacum terminatur, neque ultra videtur. Multi circa eum lacum pagi & urbes conspiciuntur.

4. In

4. In Nicaragua provincia Americæ lacus est ejusdem nominis, Nicaragua, qui tantum quatuor milliaribus abest à mari Australi seu Pacifico, & centum milliaribus ab Atlantico, in quod effunditur magno alveo.

5. Iroquois Lacus in Canada, ex quo fluvius S. Laurentii.

6. Annibi lacus in Asia sub latitudine 61 gr.

Propositio V.

Lacuum eorum, qui recipiunt fluvios, sed non emittunt, generationem & conservationem explicare.

Hosce lacus ab eis fluviis generatos esse & conservari, quos recipiunt, sive qui in eos influunt, manifestum est. Etenim cum fluvii à fonte suo progressi perveniunt in itinere ad insignem aliquam & amplam cavitatem, colligitur in hac & efficit lacum.

Quod si forte hic fundi terra sit porosa, imbibit aquam & ad vicinam terram transmittit, vel, quod frequentius esse existimo, si subterraneus forte sit ductus, vel ab aqua ipsa talis fiat, per hunc avehetur aquæ affluentis portio, ita ut lacus non exundet.

Horum lacuum exiguus est numerus in Tellure.

1. In præcedenti propositione diximus, quod lacus Nicaragua emittat fluvium, qui in lacum parvum desinat. Hic itaque lacus erit unus hujus classis, nempe eorum qui recipiunt, & non emittunt.

2. Lacus Asphaltites, qui etiam mare mortuum dicitur in Palæstina, recipit Jordanem fluvium, sed nullum emittit. Longitudo ejus à Septentrione in Austrum septuaginta milliarium, latitudo quinque, ut quidam ponunt.

3. Unus

3. Unus in Asia minori est parvus.

4. In Macedonia parvus, qui dicitur Janna, exiguos rivos accipit.

5. Lacus Genevensis.

6. In Persia prope Calgistan.

7. Soran lacus in Moscovia, accipit duos parvos rivos.

8. Fluvium Ghir Africæ ortum in Atlante desinere in lacum, tradit Leo Africanus, & ita quædam mappæ repræsentant eum: sed aliæ in Nubiam fluvium deducunt.

Propositio VI.

Eorum lacuum, qui recipiunt & emittunt fluvios, generationem explicare.

Triplex illorum est differentia, ut Propos. Secunda dictum est. Vel enim majorem copiam aquæ emittunt, quam recipiunt, vel æqualem, vel minorem. Si itaque majorem emittant, manifestum est, quod in fundo occultas scaturigines ille lacus habeat. Si minorem, occultos in fundo aquæ ductus vel terram spongiosam esse indicio erit. Si æqualem, colligimus quod neque occulti aquæ ductus neque occultæ scaturigines in fundo sint. Generationis itaque causa est partim eadem quam Propos. IV diximus, nimirum cavitas & depressio loci atque aquæ affluentis copia, quibus occultæ scaturigines accedunt, & juvant imbres copiosi.

Qui ex solo unius fluvii in cavitatem aliquam influxu generati sunt, illi in medio tractu fluviorum siti sunt & directe fluvios reddunt, estque illorum magnus numerus. Sic Niger quatuor lacus in itinere facit, vel tres, si unum à latere positum excludas. Nilus plurimos lacus in itinere facit, quos mappæ non exhibent. Duina fluvius ad minimum sex vel septem transit. Atque alios fluvios

vios in Moscovia, Finlandiaque videbis in Mappis magnis sedecim lacus efficere, antequam ad ostium perveniant. Sed illos præstat considerare, qui alios producunt fluvios, quam acceperunt.

Celebriores autem & magnitudine insignes sunt hi.

1. Zaire lacus Africæ procurrentis, jacens inter decimum tertium & inter sextum gradum latitudinis Australis, adeoque in longitudine habet centum & quinque milliaria. In medio ejus jacet insula (præter alias parvas) ejus magnitudinis, ut triginta hominum millia in bellum cogant incolæ. Hæc insula quasi bisecat lacum, ita ut una pars habeatur pro peculiari lacu, & appelletur Zembre. Ex hoc lacu fluunt tres ingentes fluvii, Nilus, Cuama & Zaire. Influunt autem in eum quidam parvi rivi, qui soli non videntur ejus magnitudini sufficere, ita ut verisimile sit, eum Scaturigines in fundo habere, etsi ipsa inundatio fluviorum sit ascribenda imbribus in mensibus pluviis.

2. Zaflan lacus non procul à Zaire inter decimum & sextum latitudinis australis gradum, adeoque sexaginta circiter milliaria in longitudine habens, mittit ramum in Nilum, accipit parvos fluvios.

3. Lacus Sachaf non procul à Zaire versus promontorium Bonæ spei. Emittit rivum, qui aliis auctus aquis facit deinde Fluvium Spiritus Sancti. Accipit exiguos fluvios.

4. Aquilunda lacus, accipit ramum ex Zaire lacu, & effundit multos fluvios in regnum Congo.

5. Onega lacus in Finlandia inter sexagesimum & sexagesimum tertium latitudinis gradum situs longitudine habet quadraginta quinque milliaria, latus triginta, ubi maxima est latitudo. Accipit multos parvos & mediocres fluvios ex aliis lacubus

bus parvis prodeuntes, & emittit mediocrem fluvium Sueri in lacum Lodoga.

6. Lacus Lodoga, longus triginta, latus quindecim milliaria, accipit fluvium Sueri ex Onega lacu & ab aliis locis plures minores, mediocrem ex lacu Ilmen Moſcoviæ inſigni. Emittit fluvium in ſinum Finnicum.

7. Lacus Oſera accipit Kouſam fluvium & alios, emittit Soſnam, qui in Volgam exit.

8. Enarack lacus vel palus in Lapponia, longus, quadraginta milliaribus, latus quindecim. Accipit fluvium Avilam & alios minores: emittit fluvium Paes in Lappicum mare.

9. Ula lacus in Moſcovia, longus triginta, latus quindecim milliaribus. Habet in medio inſulam ut Zaite lacus. Accipit fluvium, qui per decem lacus tranſit, & emittit inſignem fluvium. Sunt alii non pauci in Moſcovia & Finlandia & Norwegia.

10. In China quatuor inſignes ſunt lacus, qui fluvios accipiunt & varias in partes rurſus diſtribuunt.

11. In Braſilia eodem modo ut China, ſunt lacus Eupana & lacus Puerto de los Reyes, in quo coëunt & permeant fluvii, argenteus & Omaranna.

Propositio VII.

Lacus plurimi dulcem aquam continent, pauci ſalſam ſeu marinam.

Etenim qui vel à pluviis vel à fluviis extiterunt, ut etiam qui ſcaturigines ſuas proprias habent à mari remotiores, illi plerique dulcem præbent cauſam: ſed qui vel ex inundatione maris vel immiſſione maris per certum ductum originem habent, illi ſalſi ſunt, ut etiam quidam qui fontes ſalſæ aquæ in fundo habent. Ita lacus Harlemenſis

& alii

& alii in Hollandia salsi sunt, vel marinam aquam gerunt: reperitur etiam salsus in insula Madagascar, in Peru, in Cuba, qui duas leucas in circuitu habet, non procul à mari situs, & licet aliquot dulcis aquæ fluvios recipiat, & pisces atque testudines alat, tamen salsus est. Ita lacus Asphaltites etsi Jordanis dulcem aquam hauriat, tamen dulcis non est, sed emittit adeo fœtidum & virulentum vaporem, ut ager circumjacens ad dimidium milliare sit sterilis.

PROPOSITIO VIII.

Utrum mare Caspium sit lacus an sinus Oceani?

Sunt qui mare illud esse velint proprie dictum. Mare autem proprie dictum nullum est, nisi Oceani pars sit, hoc est, Oceano manifesto tractu adhæreat. Sed illi per subterraneum ductum conjungi cum Oceano volunt. Veteres sane aperto tractu illud cum Indico Oceano, alii cum Septentrionali conjungi scripserunt, sed utrosque deceptos fuisse, experientia satis superque testatur. De subterraneo ductu incerta res est. Videtur autem ex eo probari, quod tot fluvios & quidem multitudine aquarum insignes recipiat, quam aquæ copiam non posset alveus continere, nisi subterraneis cavernis & meatibus in Oceanum eam exoneraret. Sed alii aliter illam copiam aquæ absumi existimant, nimirum non in Oceanum eam penetrare, sed in vicinos montes, quorum magnus est numerus, & omnes fere fontes emittunt. Scaliger quidem asseverat cum aliis, Caspium hoc mare subterraneo meatu in pontum Euxinum deferri, sed nullum indicium ejus affert. Id tamen indicio esse potest, quod Pontus Euxinus perpetuo emittit aquas per Bosphorum magna copia, quantam copiam à fluviis non accipere quidam putant, sed per subterraneum ductum à mari Caspio. Mihi non

non videtur, quod cum mari conjunctionem habeat, & ideo lacum esse, & ita potius appellandum, quam mare, existimo. Unde autem primo generatus sit, major est difficultas. Sunt qui multos fontes salsos in ejus fundo reperiri testantur, & inde salsedinem ejus esse: aquam vero à multitudine fluviorum, qui in lacum hunc seu mare se exonerant, esse autumant. Sed etsi hæ aquæ ad conservationem ejus faciant, magis tamen verisimile esse existimo, hoc mare abhinc aliquot annorum myriadibus olim fuisse cum ipso Oceano conjunctum, & varias ob causas fretum fuisse obstructum vel terras intercedentes progressu temporis generatas fuisse, ut in seqq. docebimus. Neque dubium est, quin pontus Euxinus aliquando propter hanc causam futurus sit lacus, obstructo Bosphoro.

Propositio IX.

In dato loco lacum efficere, si fieri possit.

Fieri id poterit, si in vicinia sit fluvius, vel in ipso loco fons reperiatur, & locus sit aliquantum depressior, quam vicina loca, etsi in fastigiis quoque montium lacus parvi fieri possint. Excavandus itaque erit locus & terra effodienda, ad tantam profunditatem & amplitudinem, quantam cupimus, atque latera seu littus aggeribus, si opus videatur, muniendum. Tunc facto ductu ex alveo fluvii aqua immittenda, vel si fons in loco illo existens sufficientem aquæ copiam præbeat, non opus est illo ductu.

Propositio X.

Lacum exsiccare sive tollere.

Duplici id fieri poterit modo. Primo, si fundus illius lacus sit altior, vel æqualis etiam fere depressionis quam vicina loca, facto alveo vel aquæ ductu, effluet aqua ex lacu, & tandem siccum fun-

fundum præbebit, adjuvante calore solis, & injectis terræ cumulis.

2. Si fundus illius lacus sit humilior, quam vicina loca, muniendus erit primo aggere in toto circuitu, relictis tantum quibusdam canalibus seu aperturis. Tunc adhibitis moletrinis aquatiis aquà expellenda & educenda erit, & deinde fundus terra tegendus & fimo, atque talia semina injicienda, quæ celeriter radices agant, ut semen sinapi, brassicæ. Hoc modo Belgæ optime eallent lacus exhaurire & fœcundos fundos agrosque ex illis efficere. Et hoc quo scribimus, tempore, de Lacu Harlemensi exsiccando consultatio instituta fuit aliquoties: quod aliquando susceptum iri non dubito, quandoquidem & multas terras abradit ille lacus, & magnum ex illo exsiccato redundaret in multos lucrum.

PROPOSITIO XI.

Paludes duplices sunt. Quædam uliginosa & mixta quasi substantia ex aqua & terra constant, ita ut vestigia hominum non ferat vel sustineat: alia parva stagna vel aquarum collectiones habent, hinc inde parvis terræ siccæ extantibus portionibus.

Prioris generis quæ sunt, illæ nullos fluvios recipiunt vel emittunt, Germani inferiores vocant *Moerland*, quales paludes in Hollandia, in Brabantia (ubi *de Peel*), in Westphalia plurimæ reperiuntur, quibus tamen quædam secundæ classis admixtæ sunt. Sed hujus secundæ classis plurimæ reperiuntur ad origines seu fontes fluviorum, unde quidam fontes hosce solent appellare paludes, ut Tanais paludes in Moscovia, Nili. Tales paludes etiam videntur esse in provincia Finlandiæ Savolax magno terræ tractu, item Paludes Enarack: Chelonides paludes Africæ, paludes Chaldaicæ, per quas transit Euphrates. Reperiuntur

quoque hæ paludes frequenter in sylvis & desertis ericosis, quoniam pluvia illas terras irrigans & in cavitatibus hinc inde collecta non attolliur à Sole, quoniam folia arborum & erica arcent ejus radios. tales paludes fructicosæ hinc inde in Germania & Moscovia conspiciuntur.

Porro paludes hæ secundæ classis eodem modo, quo lacus, sunt quadruplices; quædam & recipiunt & emittunt fluvium, quædam tantum recipiunt, quædam tantum emittunt, reliquæ neque recipiunt neque emittunt. Prioris generis partim ex fontibus ibi occultis & effusa aqua antequam per certum alveum deduceretur, quando major aquæ copia, quam ut per alveum possit educi, generatæ sunt & conservantur, quales multæ in Moscovia & Finlandia: ultimæ speciei paludes à pluviis vel exigua scaturigine nasci & conservari verisimile est.

Paludem Mæotin Aristoteles vocat lacum, & quidem rectius.

Propositio XII.

Paludes habent terram sulphuream, bituminosam & pinguem.

Id tum ex nigro colore, tum ex cespitibus qui ex ea generantur & ignem facile concipiunt, ut in Hollandia aliisque locis, probatur. Causa est, quoniam tales substantiæ & in pluvia & in terra, ubi paludes illæ existunt, continentur. Non tamen omnes paludes tales sunt: sed ubi terra est petrosa & non mollis, ibi paludes non existunt. Ubi autem mollis terra, ibi sulphuream & pinguem sustantiam contineri certum est.

Propositio XIII.

Paludes exsiccare.

Etsi quædam paludes ingentem habeant profun-

funditatem, tamen non plus requiritur, quam ut ad aliquam profunditatem exsiccetur. Quod efficere possumus, 1. Si per aliquem ductum defluere faciamus aquam. 2. Si ubi aliquot hebdomadibus calore Solis aliquantum exsiccatæ sunt, inspergamus magnam terræ siccæ copiam. 3. Si ignem super illas accendamus. 4. Si allabentem ad illam aquam arceamus, ut pluvias, &c.

CAPUT XVI.

De Fluviis in genere.

PROPOSITIO I.

Complectemur hac Propositione definitiones ad hanc doctrinam necessarias.

1. *Fluvius* dicitur aqua à certo Terræ loco fluens versus alium locum oblonga via & intra alveum. *Alveus* aquæ in Tellure dicitur cavitas illa in qua aqua continetur, quæ magis depressa est quam aquæ illius littus.

2. *Rivus* dicitur fluvius, qui non habet eam latitudinem, eamque profunditatem, ut navigia parva onerata admittere possit. *Amnis*, qui navigia illa admittit. Si vero mediocria navigia vel etiam magna onerata in eo vehi possint, dicitur generis vocabulo, Fluvius & Flumen. Est autem hæc differentia tantum secundum magis & minus. *Torrens* dicitur aqua ex montanis locis cum impetu fluens.

3. *Confluens* dicitur locus, ubi duo fluvii confluunt; Ipse quoque confluxus ita appellatur. inde Germanicum *Coblentz*.

4. *Brachium* fluvii dicitur fluvius vel rivus, qui ex alio fluvio & alveo fluit. Plerunque tamen sumitur pro tali brachio, quod minus sit altera fluvii parte, quæ relinquitur: sed frequenter tamen brachia etiam dicuntur, quæ à fluvio in duos al-

veos divaricato existunt. Vocetur autem locus *divaricatio*, vel bivium; magis aptum esset vocabulum, *Sestuens*, sed non est usitatum.

5. *Fons* dicitur aqua ex certo terræ loco scaturiens & profluens. *Puteus* vero dicitur, si scaturiat quidem, sed non profluat, verum colligatur.

Propositio II.

Torrentes & rivi interdum existere possunt à copiosa pluvia & resoluta nive.

Etenim in partibus Terræ montanis vel paulo elevatioribus reperiuntur multæ cavitates, parvi lacus, stagna. Si in hæc affluat à pluvia vel à nive tanta aquæ copia, ut eam continere non possint, effluit & in depressiora loca defluit; & quia singulis annis sæpe hoc fit, alveum sibi facit: sed interdum torrentes sine certo alveo defluunt. Ex hac causa, pluviis nempe & nivium resolutione in montanis locis, existunt plurimi rivi, torrentes, imo etiam mediocres amnes in illis locis, quæ juga montium longo tractu habent, ut procurrens Africa, India, Peruviana regio, Sumatra, &c. Et hi rivi nec æstate nec nocte, sed tantum die fluunt.

Propositio III.

Plerique rivi oriuntur è fontibus. Fluvii autem insigni & mediocri magnitudine existunt, vel ex multitudine rivorum & amnium congressu & compositione sive confluentia, vel profluunt ex lacubus & paludibus. Nullus autem fluvius alicujus magnitudinis (ut Albis, Rhenus, &c.) profluit ex uno fonte, sed ex coëuntibus multis parvis existunt, vel ex lacubus: sed & hi ex lacubus orti augentur aliorum accessione. Wolga seu Rha fluvius ducentos & plures partim rivos partim amnes accipit, antequam in mare Caspium se exoneret. Nec pauciores Danubius antequam in Pontum.

Et

Et licet Plinius & Cardanus scribant, in Nilum nullos influere amnes, tamen experientia contrarium ostendit illis, qui in Abassia peregrinati sunt.

Propositio per exemplorum enumerationem facile probatur.

Fontes rivorum seu fluviorum quorundam sunt in montibus & montanis locis; quorundam in planitie existunt. De fontibus illorum fluviorum, qui è lacubus profluunt, diximus in præcedenti Capite, quod tales fontes in fundo seu alveo lacuum existant: Et lacus tales esse tanquam cisternas, & effusiones circa fontem, antequam certo alveo aqua fluxa vel majori copia. Nimirum fontes alii tecti sunt terra vel aqua, alii aperti.

Fontes in planitie sunt rivorum illorum, ex quibus Tanaïs, item ex quibus Albis existit in primo tractu, quibus deinde alii accedunt. Plura exempla facile colliguntur.

Cardanus negat hosce fontes in planis istis locis generari, sed ex montibus vicinis dirivari subterraneo ductu. Ego vero existimo tales fontes primo efficere lacum vel paludes. Nam neque Tanaïs ex fonte videtur profluere, sed ex palude seu lacu minus profundo.

Fontes montani sunt plurimorum rivorum, ut Rheni, Rhodani, Danubii, Borysthenis, &c.

E lacubus profluunt, Nilus, Wolga, & fluvius ingens Canadensis S. Laurentii.

Unus tamen modus esse potest, quo ex uno fonte magnus existat fluvius, nimirum si fons sit in elevatis locis (ut plerique sunt); alveus autem fluvii parum altior sit, quam ostii altitudo. Sic enim profluens aqua primo celeriori cursu, dein magis lento, colligitur in alveo & progressu temporis magnus potest esse fluvius, quia ex ostio non tantum effluit vel effluxit in prima generatione.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Fluvii admodum augentur à pluviis frequentibus & resoluta nive, & quidem diversis anni mensibus & temporibus.

Ita in Peruviana regione & Chili quidam fluvii ita parvi sunt, ut nocturno tempore non fluant, sed tantum de die, quia aqua tunc affluit ex resoluta in Andibus montibus nive per solis calorem. Ita fluvii tam in Orientali quam Occidentali latere procurrentis Africæ, ut in Congo, Angola &c. die majores sunt, quam nocte. Ita in Indiæ tam Malabarico quam Coromandelio littore. Imo in hisce regionibus tempore æstatis fluvii fere exsiccantur, hyeme seu pluviali tempore turgent. Sic Wolga mense Maio & Junio abundat aquis, ut & pulvini & insulæ tunc tegantur ab aqua, reliquis mensibus pulvini vix transitum permittunt navibus onustis. Causa est, quia eo tempore resolvitur nix in montibus, unde profluunt rivi, qui in Wolgam se exonerant plures quam centum. Sic Nilus, Ganges, Indus, &c. augentur ita à pluviis vel nive, ut terras inundent. Diverso autem tempore fiunt hæc augmenta, quia oriuntur à diversis causis & diversis locis. Etenim pluviæ quia hyeme frequentiores, ideo hyeme fluvii altiores, nisi alia accederet causa à nivium resolutione, quæ in quibusdam montibus & locis in vere, aliis in æstate, aliis intermedio tempore fit. Inde accidit, ut alii fluvii in vere turgeant, quia tunc in montibus, qui rivis illorum fluviorum adjacent, resolvitur nix; alii in æstate; & sic de aliis. Præterea fluvii quidam, præsertim majores, ex remotis locis veniunt, ubi æstas, cum in loco, per quem fluunt, hyems; atque hæ varietates efficiunt, ut diversis temporibus turgeant. Plerique tamen fluvii in vere id faciunt, quia tunc in plurimis

rimis locis nives resolvuntur. Causarum varietas explicanda est in particulari singulorum fluviorum descriptione.

De fonte peculiari Japoniæ, qui singulis diebus per duas tantum horas fluit, dicemus capit. seq.

PROPOSITIO V.

Unde oriatur aqua, quæ ex fontibus profluit?

Ita proponimus quæstionem hanc difficillimam, quæ tamen difficilior apparet, sicut alii eam proponunt: Unde fluvii generentur? Etenim versantur nobis tunc ob oculos magni fluvii, Rhenus, Albis, &c. quorum generatio propter aquarum copiam videtur admirabilior quam rivorum. Sed nos in præcedenti & tertia propositione docuimus, quod fluviorum aqua partim è pluviis & nivium resolutione, partim è lacubus, partim ex rivorum & amnium congressu oriatur. Itaque non tam de fluviorum ortu, quam fontium origine & perpetuitate quæstio est.

Sunt de ea *varia Physicorum sententia* & Geographorum.

1. *Quidam* existimant, omnem fluviorum & fontium aquam esse à pluviis vel resoluta nive. Indicium ejus esse volunt, quod pluviæ & resolutæ nives admodum augeant fluvios, ut sæpe extra alveum se proferant & inundent regiones: item, quod fluvii admodum decrescant & quidam minores omnino siccentur, ubi longo tempore in æstate pluviæ non decidunt, propterea quod alveus hisce sit minus profundus atque ideo parum aquæ collegerint: illos vero, quibus profundus est alveus, non desinere neque exsiccari in æstate, propterea quod tantum aquæ ex præcedentibus pluviis & resolutis nivibus collegerint, ut non possit omnis in vaporem tolli nisi diuturno & constanti æstu. 2. quia paucissima flumina in illis locis

ubi rarus est imber : ut in Africa interiori pauci sunt fontes.

Sed hæc non solvunt quæstionem, quia non de fluviorum ortu, sed de fontium tantum aquæ origine debemus quærere. Ideo qui ita dicunt, non considerarunt bene sensum quæstionis, ut jam monuimus: quanquam etiam experientia, quam adducunt, non sit generalis, quia reperiuntur fluvii in locis, ubi raræ pluviæ, nullæ nives, etsi in Peruviana regione & Ægypto verum sit, quod asserunt. Præterea pluvia non ultra decem pedum profunditatem humectat Terram : fontes vero è majori profunditate scaturiunt.

2. *Alii existimant*, non esse quærendum unde illa fontium aqua oriatur, quoniam aqua sit elementum, non minus ac terra & aër & ignis, de quorum ortu non quæritur; sic Seneca disserit. Verum enim vero illi autores nodum Gordium Alexandri gladio dissecant. Non enim quæritur, quomodo existat aqua, sed quomodo ad loca fontium & non ad alia perveniat. Præterea terra non ita profluit, sicut fluvii. De aëre vero falsum est quod statuunt non esse quærendum.

3. *Aristotelici sequuntur opinionem* Præceptoris sui Aristotelis, qui libro 1 de Meteoris toto capite XI multis probare conatur, quod aqua fontium generetur ex aëre in terræ visceribus contento. Rationes adducit has : 1. Ex aëre supra terram existente aquæ generantur, pluviæ nimirum : itaque cum in terræ visceribus & aër sit & eadem condensationis causa, nempe frigus, ideo absurdum esse dicit, si quis non putet ibi quoque ex aëre aquam fieri. 2. Experientia testatur, quod in terra grandiores guttæ ex parvis factæ stillent, & ideo fluviorum principia esse quasdam veluti scaturigines aquarum, quæ in unam aliquam terræ partem concurrant. Ideo enim, qui aquæ ductus struunt,

sero-

ſcrobibus atque cuniculis aquam deducere, tanquam ab excelſis ſudante terra ſolent. 3. Quia plurimi fontes, & quidem maximorum fluviorum in locis montanis reperiuntur, pauci in locis planis: quod indicio eſt, aquam fontium ex condenſato aëre eſſe vel vapore, qui aër & vapor verſus altiora loca tendunt, & montana loca ſunt tanquam ſpongia locis incumbentia humilibus. Hæ ſunt Ariſtotelis rationes: quibus ego adjungo aliam non minus validam, nempe aëre nebuloſo vel minus tantum ſereno, ſive aliquantum condenſato, aciduli fontes ſtatim deprehendunttur minus acidi, quod indicium eſt augeri illos ab aëre.

4. *Cardanus* cum aliis cenſet, aquam fontium fieri à rivulis, qui ex aqueis vaporibus tam intra quam extra terram exiſtentibus & condenſatis generati ſint, ſed fontes ſolos vix efficere fluvios, niſi pluviæ vel reſolutæ nives accedant. Rationes ejus ſunt. 1. Si montes mane inviſas, humidos invenies. 2. Fluvii matutino tempore excreſcunt & quidem eo magis, quo fonti propior pars ejus ſit.

Verum perpetuus & conſtans proſilientis ex fontibus aquæ impetus non videtur à tam imbecilli cauſa & inconſtante ortum habere. Neque differt hæc Cardani ſententia multum ab Ariſtotelica, niſi quod Ariſtoteles aërem cum generatione, Cardanus vapores ſine generatione ponit cauſam fontium, & vero exigua eſt inter aërem & vapores differentia.

5. Veteres nonnulli opinati ſunt, pluvias intra terram in cavitatibus coacervari, & deinde tanquam ex alvo prægrandi erumpere, & aut fluvios omnes ex una, aut alium ex alia ſcaturire, nec ullam gigni aquam, ſed quæ hybernis menſibus in hujuſmodi conceptacula collecta fuerit, hanc in

amnium evadere multitudinem arbitrabantur, & ob id majores ſemper hyeme, quam æſtate profluere, & quoſdam perennes eſſe, quoſdam minime. Cauſam eandem addebant, quam in prima opinione propoſuimus. Eam ſententiam rejicit Ariſtoteles, quia plus aquæ in uno anno ex oſtio fluvii effluit, quam ſit moles telluris totius.

6. Ex modernis Philoſophis, ut etiam antiquis, plurimi ſtatuunt, Terram, quicquid aquarum ex oſtiis fluviorum in mare emiſit, rurſus accipere. Occulto enim itinere maris aquam ſubire terras, & in tranſitu per multiplices anfractus terrarum verberatum & per arenas atque argillam colatum deponere ſalſedinem & amaritudinem, & ſic in ſinceram aquam tranſire. Hanc ſententiam ego quoque tueor & veram eſſe exiſtimo, ita tamen ut nec tertio loco, nec primo loco poſitam cauſam excludam. Rationes ſunt hæ: 1. quia plures quam mille fluvii in mare ſe exonerant, & majores ex illis tanta copia, ut aqua illa, quam per totum annum emittunt in mare, ſuperet totam Tellurem, ſicut Wolga in mare Caſpium, & alii. Itaque fieri aliter nequit, quin ex mari aqua in plurima Telluris loca & uſque ad fluviorum fontes emittatur. Niſi enim hoc fieret, ne cogitari quidem poteſt, quomodo mare non augeatur in immenſum, vel cur fontes non deſinant emittere aquam. Neque dicas, vapores tam multos è mari elevari, quantum aquæ mare acceperit à fluviis. Primo enim vapores illos ſola reddit pluvia: deinde falſiſſimum eſt, quod tanta copia vaporum è mari tollatur, quanta generari poſſit ex aqua, quæ ex fluviis in mare influit.

Secundo, probatur hæc ſententia ex eo, quod fontes prope mare ſunt ſalſi vel ſalſiuſculi, & quo propiores mari eo magis plerunque ſalſi; ut in lit-

tore

tore Africæ, Indiæ inprimis Coromandelio littore, ubi neque vites crescunt & omnes salsi putei. In urbe Suez, ubi mare rubrum terminatur, omnes putei salsi & amari, & quæ à duobus milliaribus petitur aqua, salsiuscula est. Sic in multis maris insulis putei nulli dulces sed salsi (minus tamen, quam ipsum mare) reperiuntur, ut in insula sancti Vincentii, aliisque. In Peru humili seu littorali regione lacus salsi sunt propter maris viciniam. Imo in locis maritimis Orientalibus nuces quas *Cocos* vocant, salsiusculæ reperiuntur. Quid, quod in locis Mediterraneis salsi fontes reperiuntur, ut in Lotharingia, Lunæburgi, Hallæ, &c.?

3. Quia mare per subterraneos ductus aquam suam emittere manifestum est ex salinis Lunæburgensibus, Hallensibus, &c. ubi infra terram reperiuntur illi ductus seu fontes pleni aqua salsa seu marina.

4. Quia ad insignem profunditatem fodientes, ut etiam in fodinis, copiosam invenimus aquam, cujus nec pluviam nec aërem possumus efficientem causam ponere.

Quomodo autem ex mari ad loca fontium perveniat aqua ita ut dulcis fiat jam explicavimus, nimirum fundus maris non est ubique petrosus & saxeus, sed in plurimis locis arenosus, limosus, argillaceus, spongiosus, quæ terræ aquam maris imbibunt, (sicut videmus id non tantum in terris nostris, sed etiam à siligine, tritico, hordeo, pisis, caryophyllis fieri) & per continuationem terræ ad longam à mari distantiam paulatim deducunt, ubi tandem guttulæ coëunt præsertim in angusto loco, ut sunt montes, & data civitate fontem efficiunt: Quod si cavitas illa tecta sit & clausa à terra, tunc collecta ita aqua vel aliam viam ubicunque factam sequitur, & sic in alio loco fons videtur prorumpere, qui tamen in eo loco non est, sed

à priori loco derivatus fluvius subterraneo meatu: vel si nullam viam circumcirca sese aqua illa cavitatis reperit, neque violentia terram obtegentem possit perrumpere, tunc non augetur illa aqua, sed quæ ad illam tendebat augmentum futura, illa in alium locum avertitur. Ea vero est humidorum & liquidorum omnium natura atque proprietas, ut omnes eorum partes & particulæ moveantur versus eum locum, ubi defluxus fit. Ita si vasculum impleveris aqua vel liquore ut tumor emineat supra vasis labrum, habent quidem tunc omnes aquæ extantis partes æqualem inclinationem & defluendi potestatem in vicina labri parte, sed propter mutuam particularum cohærentiam (cujus causa in physicis explicatur) si in una labri parte defluxus fiat, omnes reliquæ partes deserunt vicinum labrum & versus illam labri partem trahuntur, vel ipsæ sequuntur, ubi defluxus fit. Sic si oblongum panis frustum immergas una extremitate in aquam vel vinum, videbis aquam sursum ferri & non immersam panis partem etiam humectare. Præterea mare per cavernas subit terram, ex quibus cavernis eodem modo prorepere potest aqua, nisi evaporationi malis ascribere, quæ sursum feratur, & in angusto loco coiens guttas.

Verum quia multa sunt, quæ hanc sententiam videntur minus verisimilem reddere, ista etiam considerari debent, ut appareat, non labefactare hæc propositam sententiam.

1. Loca fontium sunt magis elevata, quam maris est superficies, quia pleraque sunt in montanis locis, ideo non potest à mari ad loca illa fluere aqua, quoniam natura aquæ est, ut ad loca magis depressa vel minus elevata moveatur, non ad altiora, ut patet ex fluviis & Aquilegorum artificiis.

2. Etsi fundus maris sit argillosus, limosus, are-

arenosus, ut ita aqua sese inserat per ejus particulas, tamen ratio sufficiens non apparet, cur non magis humectet subjectam terram & minus altam, quam ut sursum ad loca fontium prorepat, præsertim cum hic petrosa & saxea sæpe sit terra, ut in montibus insulæ S. Helenæ.

3. Nulla apparet ratio, cur aqua ita à mari prorepens non media via inter mare & fontem prorumpat.

4. In profundissimis fodinis non invenitur aqua vel saltem pauca, teste Thurnheusero.

5. Deberet aqua ista fontium salsa esse, quia à mari proficiscitur. Hæc sunt præcipua argumenta, quæ propositam sententiam falsitatis arguere videntur. Nam leviora ab aliis allata prætereo, nimirum quod existimant, mare non posse sufficere tot fluviis; deinde quod fluvii nunquam deberent imminui, si vera esset fluviorum causa, quam proposuimus. Etenim ad hæc duo facilis est responsio, quoniam mare rursus accipit aquam è fluviis, quam emisit in fontes; deinde ad alterum, jam monuimus, non hic esse quæstionem, neque nos istud statuere, quod fluviorum aqua omnis ex mari sit, sed tantum de fontium aqua, quæ sola non facit fluvios, ut diximus: & simul asserimus, quod fontium aqua augeatur à pluviis & madido rore, quoniam hæ terram humectantes repunt vel trahuntur versus loca fontium, ubi effluxus aquæ fit, quod explicavimus aliis exemplis. Ad quatuor itaque allata argumenta, quæ aliquid momenti habere videntur, nos convertamus.

Primum validissimum censetur, à multiplici experientia desumtum: ideo diversæ à doctis sunt allatæ & excogitatæ solutiones. Primo illi se omnium facillime expediunt, qui defendunt, Oceanum esse altiorem quam Terras, sic enim ne-

gant assumtionem, & aiunt, hanc ipsam Oceani altitudinem esse causam fontium, quia fontes sint minus alti, quam aqua in medio Oceano. Præterea Olearius in Descriptione itineris sui Persici refert, quod montem, qui mari Caspio adjacet, conscenderit, atque astrolabio (vel potius geodætico instrumento) exploraverit montis elevationem supra maris istius superficiem, deprehendisse autem nullam, sed maris extremam superficiem in Horizontali linea visam esse, imo aliquantum elevatam supra illam, ut ita maris istius tumor aliquantum altior deprehensus sit, quam montis vertex, in quo observationem instituit. Verum enimvero hæc solutio non potest admitti, quia capite XIII ostendimus, quod Oceani aqua non sit altior quam Terræ montes & littora, atque id frequentes observationes Mathematicorum in littoribus vel turribus factæ testantur. Ad Olearii observationem quod attinet, ea non parum difficultatis hic facere videtur. Namque mare Caspium non esse altius, quam Terras vicinas, multo minus quam montes, id ex eo colligitur, quod plurimi fluvii se in illud exonerant. Dicendum itaque videtur, refractionem turbasse Olearii observationem & fecisse, ut aqua Oceani altior appareret, quam revera esset: & fortasse fluctus maris auxerunt hanc causam, & mons, quem conscendit, minus altus fuit.

Hujus itaque solutionis debilitate perspecta, alii adducunt hanc, quod aquæ naturalis locus sit circa Terram, & ideo debere illam totam terram tegere, quoniam est levior quam terra. Quoniam autem à naturali hoc loco impeditur propter extantes terræ montes, monticulos, & altitudinem terræ assurgentem versus loca Mediterranea, ideo illam Oceani partem, quæ ibi esse debebat ubi montes & elevatæ Terræ partes sunt, cum non sit

in suo

in suo loco naturali, premere aquam subjectam, quæ quidem in naturali suo loco est, sed ab imminente aqua, quæ non est in naturali loco, pellitur vel premitur ad fundum, ubi cum non inveniat viam neque cedere possit, abit versus latera & montium radices subit, ubi collecta tanquam in aliqua cisterna exprimitur à premente Oceani aqua versus montis verticem, non aliter ac si in cantharum, cui à latere tubulus est vel emissorium (ad fundum canthari pertingens), ex quo aqua, vinum vel cerevisia in vitra infundimus, si, inquam, in cantharum talem plenum liquore vel semiplenum immittamus lapidem, liquor exsilit è tubuli orificio. Hæc Scaligeri est subtilitas: Sed nimis profecto crassa. Etenim non ita è radicibus montanorum locorum expellitur aqua versus verticem, quia & experientia in fossis contrarium testatur; & si ita fieret, salsa esse deberet fontium omnium aqua: præterea falsum est, quod assumit, aquæ partem non esse in naturali suo loco, & ideo premere subjectam partem. Etenim illud gratis sumitur & contra experientiam, quoniam aqua non premit subjectam partem, nisi cum altior est, quam vicina aqua, & ideo ubi superficies Oceani sphærica est, quiescit: quod si motus aliquis fieret à pressura, is ad littora maris aquam detruderet, ubi laxior locus est, non per terræ parvas cavernas. Per magnas quidem cavernas è fundo maris influere aquam certum est, sed ex non efficiunt fontem dulcem, quia salsedinem aquæ non tollunt.

Ego veram argumenti solutionem non difficilem esse existimo, si consideremus, quomodo aqua ad fontem perveniat, nimirum non per aliquem alveum vel tubulum ex alveo maris vel pede montis (sic enim salsedinem retineret) sed per continuam aquearum particularum progressio-

nem vel reptionem (ut ita dicam) in materia terrestri ad loca vicina fonti, ubi demum in guttas colligitur propter cavitatem & continuam successionem aquæ, atque sic fontem efficit. Hoc enim in effossa ad insignem profunditatem terra deprehendimus, quod hinc inde guttulæ aquæ consistant, & à vicinis premantur, ut exiguus rivulus fiat, quos vocant venas aquæ (*aderen*) quales rivuli si plures in unam cavitatem congrediantur, fontem efficiunt, id quod optime norunt qui aquæ ductus vel fontem efficere aut puteum callent. In puteis enim colligitur aqua ex multis guttulis, quæ in fundo putei ex vicina terra coëunt: & qui aquæ ductus struunt, scrobibus atque cuniculis aquas deducunt in unum locum, ut ita ab excelsis locis guttulæ decidant in cavitatem.

Si objicias, fontes multos inter media saxa scaturire, per quod non sit verisimile aqueas particulas ita prorepsisse; ad id respondeo, hoc ipsum confirmare sententiam nostram. Etenim illa saxa non à vertice montis usque ad pedem montis pertingunt (saltem in illis montibus, ubi fontes reperiuntur), sed tantum superficiem montis & aliquam exiguam profunditatem occupant, intus vero terra montis mollior est, vel minus saxea, vel talis saltem, ut aquam recipiat & attrahat; ideoque ubi penetrando ad saxeam partem pervenitur, quia penetrare amplius non potest, ibi sistitur & in guttas colligitur, efficitque fontem inter saxeas partes prorumpentem, nimirum si via concedatur. Et montes petrasque insulæ S. Helenæ & fere omnium insularum non esse intus ita petrosas & duras colligitur ex eo, quod omnes fere illi montes aliquando arserint vel saltem fumaverint, quod ex cinerea terra, item ex sulphure, quod in illis locis reperitur, colligitur. Adde, quod jam in superioribus monuimus, aquæ fontem non

semper

ſemper ibi eſſe, ubi eſſe videtur, ſed ex altiori loco per ſubterraneum ductum ad fontem meare, & ita efficere ut aqua proſiliat cum aliquo impetu, quod in plurimis fontibus fieri exiſtimo. Et magis perſuademur, ſi conſideremus, ignem quoque deorſum moveri propter materiæ continuationem, cum revera, ſi liber ſit, ſurſum tendat. Ita ſi oblongi ferri extremitatem admoveas igni, penetrabit hic per totum ferrum uſque ad alteram extremitatem, etſi hæc extremitas altera non ſurſum, ſed deorſum vergat.

Sic itaque primum argumentum, quod fontanæ aquæ originem à mari impugnabat, ſufficienter diſſolvimus. Ad ſecundum reſpondeo, cauſam dari poſſe, cur aqua maris non tam penetret & repat in terram verſus centrum, quam verſus montes, nimirum, quod ibi terra ſit magis dura & metallica, id quod experientia teſtatur: ubi vero non eſt ita dura, ibi fit penetratio aquæ, & ideo etiam infra fundum maris intra terram verſus centrum, ubi cavitas aliqua eſt, fluvios reperiri vel ſaltem dulces aut ſalſos lacus non negamus. Sed quia paucæ tales cavitates ſunt, & ubique fere terra metallica & dura infra fundum maris, ideo non poteſt imbibere continue aquam, ſed ubi ſaturata eſt, ceſſat amplius imbibere, neque plus recipit. Tunc itaque repit aqua verſus altiora loca. Ad quod promovendum veriſimile eſt, quod multum faciat mutatio altitudinis maris, modo in hac modo in illa parte propter fluctus & tempeſtates. Etenim aqua altior facta magis premit aquam & promovet ejus ingreſſum per terras ad fontes. Cumque ſingulis diebus non tantum à tempeſtatibus, ſed etiam à fluxu & refluxu augeatur altitudo maris & minuatur in partibus Oceani, ideo talis preſſura ſingulis diebus fit: ſed dubito an hæc cauſa multum efficere poſſit.

Ad

Ad tertium argumentum dico, rationem esse dispositionem locorum & ipsius terræ, atque ut dixi, quod humor movetur & repit versus eam partem, ubi effluxus fit: neque opus esse puto prolixiori explicatione.

Quartum vero argumentum à salsedine desumtum difficiliorem habet solutionem, quia per solam transcolationem non videtur posse tolli salsedo. Etenim salsedo aquæ consistit in duplici sale (quod Aristotelici non animadverterunt) quorum unum Chymici apte vocant fixum, alterum volatile. Et fixum quidem sal separari potest à marina aqua tam per transcolationem continuam, quam per coctionem sive destillationem aquæ: sed volatile sal quia spirituosum est statim attollitur cum ipsa aqua, neque per destillationem utut frequentem & sæpius reperitam hactenus quidem separari potuit per artem aqua dulcis. Itaque difficile est, dare modum, quo volatilis hicce salsus spiritus in via inter mare & fontem separetur ab aqua marina. Sed interim pro solutione omnino sufficiunt hæc. 1. Etsi nobis nondum innotuerit artificium & modus, quo salsedo ista volatilis separetur ab aqua marina, non ideo negandum est, separari posse, quandoquidem deprehendimus à Natura illum separari; nimirum pluviæ in medio Oceano dulces decidunt, quæ tamen generata fuit è vaporibus à mari sublatis. 2. Particulæ illæ marinæ aquæ terram penetrantes, antequam ad fontem confluant, miscentur hinc inde cum aliis humoribus dulcibus ex pluvia vel vapore ibi ortis, atque sic parva illa salsedo, quam adhuc habebant, omnino insensilis redditur. 3. Non verum est, quod in omnibus fontibus salsedo omnino insensilis fit, quia quidam fontes salsi sunt, ut antea diximus & exemplis probavimus, quidam salsiusculi, ut duobus milliaribus ab urbe Suez, & locis minus

minus à mari remotis. Longa itaque transcolatione & evaporatione lentissima opus est ad separandam aquam à sale volatili, atque hoc modo etiam per artificia efficimus aquam marinam minus salsam, atque talis quoque pluvialis aquæ generatio est, quæ ideo salsa non est, vel saltem minus. Namque in mari interdum salsiusculas cadere pluvias certum est.

Fontium itaque aqua partim à mari vel subterraneis aquis, partim à pluviis & rore terram humectantibus oritur. Fluviorum autem aqua partim ex fontibus, partim ex pluviis & nive oritur.

PROPOSITIO VI.

Fluvii quidam in medio itinere sub terram se condunt, atque alio loco rursus egrediuntur tanquam novi fluvii.

Sunt autem celebrati hi. 1. Niger fluvius Africæ, quem quidam Cosmographi subterraneo ductu volunt ex Nilo derivari, quoniam eodem modo & tempore exundat atque Nilus, neque alia ejus exundationis causa apparet. Ipse Niger occurrens montibus Nubiæ conditur sub illis, & ex altera montium plaga Occidentali egreditur.

2. Tigris in Mesopotamia transvectus lacum Arethusam occurrens monti Tauro in specu mergitur, & à latere altero ejus profluit. Deinde postquam transiit lacum Thospitem, rursus in subterraneos cuniculos mergitur, & post sex circiter Germanica milliaria demum prorumpit. Olearii tamen Tabula non exhibet hasce latebras.

3. Circa Arcadiam in Peloponneso plurimos tales rivos fuisse scribit Aristoteles, lib. 1 Meteor. cap. XI. Quod etiam Poëtæ versus testantur, in quibus Lycus & Erasinus nominantur:

Sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu,
Existit procul hinc, alioque renascitur ore.

Sic

Sic modo combibitur, tacito modo gurgite lapsus
Redditur Argolicis ingens Erasinus in undis.

4. Alpheus Achaiæ fluvius à terra absorbetur. Eum Græci scribunt sub mare & infra terram agere cursum usque in Siciliam, ubi in Syracusano littore emergere eum volunt atque illum esse, qui in Sicilia Arethusa dicitur. Hoc autem ex illo inprimis collegerunt, quod Arethusa in Sicilia, quinta quaque æstate stercora pecudum ejiciebat eo tempore, cum in Achaia Olympia celebrarentur & mactatarum victimarum stercus in Alpheum conjiceretur. Secundo itaque flumine delatum in Sicilia ejiciebatur.

5. Guadiana fluvius inter Lusitaniam & Baticam, olim Anas dictus, totus ad oppidum Medelinam cuniculo se condit & post octavum circiter milliare Germanicum renascitur.

6. Dan fluvius (qui cum fluvio Jor confluens facit Jordanum) prorumpit aliquot milliaribus à fonte suo Phiala. In hunc enim conjectæ paleæ reduntur vel prorumpunt in apparenti fonte vel proruptione ipsius Dan fluvii.

Plinius atque alii scripsere, Nilum quoque aliquoties in via terras subire; sed experientia ostendit, illum in toto itinere conspicuum manere. Sic Aristoteles atque alii Padum vel Eridanum celebrem Italiæ fluvium occultari sub terram aliquo intervallo scripserunt, sed experientia contrarium docet.

Causa autem, cur fluvii isti se condant sub terram, & rursus emergant, est 1. obstaculum loci magis elevati, quam alveus fluvii. 2. Cavitas sub illa terra forte existens, vel inconstans materia, quæ facile cedat fluvio allabenti.

Sunt etiam alii qui sese condunt sub terram, sed non iterum emergunt, ut in sequentibus dicemus.

PROPOSITIO VII.

Fluvii magni, & mediocres plerique, ut etiam minorum magna pars, exonerant se in mare, vel lacum. Et locus, ubi hæc exoneratio fit, dicitur Ostium fluvii. Quidam fluvii unum, quidam tria, quidam plurima ostia habent. Quidam ex mediocribus & minoribus exonerant se in majores fluvios. Reliqui vel stagnant vel à terra absorbentur.

De majoribus fluviis res manifesta est exemplo Rheni, Albis, Danubii, Wolgæ, &c. Etenim Danubius 7 ostiis in Pontum Euxinum evolvitur; Wolgæ ad minimum septuaginta numerantur ostia, Nilus septem, & ubi exundat plura.

Causa, cur majores fluvii in mare se exonerent, est aquæ copia & vehemens latio. Cur autem plura ostia, quam unum, habeant, causa duplex est. 1. Copia aquæ. 2. Pulvinorum in ostiis generatio, qui progressu temporis ita augentur, ut pars terræ vel insulæ fiant. atque ita efficiunt, ut fluvius allapsus in duos ramos dividatur, & cum tales pulvini plurimi generentur, plurimos in ramos dividitur fluvius, sive unum ostium in plura. Sed plerunque tunc ostia proferuntur & mare à terra recedit.

Sane Nilum uno tantum ostio olim in mare se immisisse testantur Veteres, quod ostium Canobicum appellarunt. Hisce duabus causis tertia adjungi potest, nempe humana industria. Etenim homines ex fluvio aliquo sæpe ductus aquarum derivant, atque illis in mare viam seu alveum parant, partim ad irrigandos agros, partim ad navigationis commoditatem, qui aquæ ductus progressu temporis ab aquarum impetu majores fiunt. Ideo veteres scribunt, neque id sine verisimili ratione, quod omnia Nili ostia, excepto uno Canobico, sint facta ab hominibus. De hoc plenius in

sequenti

ſequenti Propoſitione agetur, ubi etiam explicabitur, Quomodo factum ſit, ut unus fluvius in alterius alveum fluat.

Wolchda in Moſcovia (non Wolga) oritur ex lacu, & in alium lacum ſe exonerat.

Fluvii, ſeu rivi, qui neque in mare neque in alios fluvios ſe exonerant ſunt vel brachia ſeu rami aliorum fluviorum, vel peculiares fluvii. Rami qui ſunt aliorum fluviorum, eos veriſimile eſt ſtagnare neque ſubire terras. Cauſa autem cur non ad mare tendant, duplex eſt. 1. Quia alveus minus altus eſt, & ideo non multum aquæ habent. 2. Durior terra impedit progreſſum. 3. Multi ex illis manu facti ſunt ad irrigandos agros & faciliorem aquæ uſum. 4. Oſtium obſtructum eſt, nempe mari recedente & terra aucta aut in mare promota, vel pulvini in alveo generati ita aucti ſunt, ut aquam non admittant, ſed repellant verſus fontem vel locum, unde affluxit. Ita ramus Rheni, qui olim ſe exonerabat in mare Belgicum prope Cattorum vicum vel arcem Brittanicam, hodie ſtagnat mediâ inter Leydam & Cattorum vicum viâ.

Peculiares vero fluvii, qui neque in mare neque in alios fluvios ſe exonerant, ſed in terra orti à terra abſorberi videntur, pauci ſunt & admodum parvi, ut qui ex montanis Peruvianis & Indiæ & Africæ profluunt, in arenoſum ſolum abſorbentur vel conduntur infra arenas. Sic ad Meten (eſt vicus ante ſinum Arabicum) reperitur amnis alveo glareoſo. Sub eam glaream in æſtate latices tacito curſu ita ſe condunt, ut nihil humoris in ſummo prorſus appareat. Quod ſi non concedatur illis rivis via ſub terra, efficiunt paludes & lacus parvos. Sunt tamen aliqui adeo lenta ſcaturigine, ut per exhalationem tantum ſeparetur fere, quantum à ſcaturigine accipiunt, atque ita in terra ſiſtuntur,

neque

neque lacus efficiunt, neque absorbentur: ut in Moscovia rivus Conitra, Salle, Maressa, Jeleesa, atque alii. Vide Mappam magnam Arctoi Orbis editam ab Hondio.

PROPOSITIO VIII.

Utrum via vel alveus, quo fluvii decurrunt, sit ab hominum industria an a natura factus?

Verisimile est, eorum fluviorum, qui non cum ipsa Terra generati sunt, alveos, manu factos esse, hasce ob causas. 1. Quia experientia testatur, cum novi fontes scaturiunt, aquam profluentem non facere sibi certum alveum, sed per adjacentem agrum se expandere, adeoque si fluere debeat, opus esse hominum adjumento ad excavandum alveum. 2. Quia multos alveos ab hominibus factos esse constat. Sic Chinenses alveum fecerunt, quo ex flavo fluvio aqua currit in alium fluvium. *Alia* exempla minus celebria omitto, quia satis superque nota. 3. Quia lacus & paludes id confirmant, quales reperiuntur circa fontes plurimorum fluviorum in planitie existentes, ut sunt illi lacus seu paludes ex quibus Nilus, Tanaïs, Wolga & alii profluunt. Quos lacus generatos esse & conservari ab effusione aquæ ex fonte circumcirca facta, non est quod dubitemus: atque ideo homines, ut agros à tali aqua defenderent, certum alveum fecisse, in quo defluerent & agros desereret. Idem de fluviis, quorum fontes in montibus sunt, intelligendum est.

Huic quæstioni vicina est illa: An fluvii, qui in alios se exonerant, vel congrediuntur, suo motu illam viam fecerint, an ab hominibus in illos alveo facto deducti? Posterius magis verisimile est ob causas modo dictas. Idem quoque de ramis fluviorum & circumductibus, quibus insulæ fiunt in Tanaï, Wolga, intelligendum est. Sic Euphra-

tis

tis unum brachium per Chaldaïcas paludes transiens olim evolvebatur in mare, postea ab incolis ad agros rigandos multis alveis & ductibus ex eo factis iter deseruit, neque mare petit, ostio præcluso, sed aqua partim in ductibus aquæ factis absumitur, partim in alterum brachium avertitur, quod in Tigrim se exonerat. Atque ita quoque cum aliis fluviis res videtur se habere, quos hodie non ad mare exire, sed stagnare videmus. Verisimile est, eos olim in mare se exoneraſſe.

Propositio IX.

Cur nulli fluvii salsi reperiantur, cum fontes salsi multis in locis sint?

Causa est, quia homines non opus habent aqua salsa, & ideo non faciunt alveum, quo fontis salsi aqua fluat, quoniam minori compendio sal sibi comparare queunt. Si autem ab illis salsis fontibus alveus aptus pararetur, haberemus salsos fluvios vel rivulos, quales in salinis Lunæburgensibus & Hallensibus sub terram habentur. Neque dubitandum est, quin sub terram multi salsi amnes labantur à suis fontibus.

Propositio X.

Alvei fluviorum quo fontibus sunt propiores, eo sunt altiores; & quo ostiis fluviorum seu mari propiores, eo magis depressi, ut plurimum.

In quibusdam vero alveis partes quædam remotiores à fonte sunt altiores parte magis vicina fonti, nempe vel ob colles & valles ut ita dicam existentes in alveis, vel ob voragines. Nulla tamen alvei pars fonte altior est.

Causa seu ratio Propositionis manifesta est, quia aqua non fluit nisi à loco altiori ad humiliorem, & ideo quævis alvei pars (inprimis ostium fluvii) est humilior fonte: alias enim versus fontem re-

fluereet

flueret aqua. Quod autem decrescat elevatio alvei usque ad ostium, id de plurimis saltem alvei partibus verum est. Quia enim hinc inde reperiuntur in alveis voragines, depressa magis loca, & contra, pulvini, monticuli; inde fit ut una alvei pars, etsi à fonte remotior, sit altior quam pars alvei quæ fonti propior, & nihilominus ab hac ad istam fluit aqua, quoniam ea copia aquæ influit in depressa loca, ut superficies ejus altior fiat quam monticuli aut pulvini vicini, sive vicinæ partes, quæ versus ostium jacent magis elevatæ.

Et vix ullus fluvius reperitur, cujus alveus non habeat hasce inæqualitates, inprimis in Nilo & Wolga abundant pulvini.

Atque ubi ex altiori loco ad magis depressam alvei partem aqua decidit, si magna sit depressio, dicitur is locus Cataracta fluvii, ubi cum impetu & celeritate fluvius deorsum ruit. Tales Cataractas habent majores fluvii, inprimis Nilus.

Etenim Nilus duobus alvei locis inter montes tanto impetu & fragore decidit, ut accolæ surdastri esse dicantur. Wolgda quoque parvus Moscoviæ fluvius (non Wolga) duas habet Cataractas prope Ladogam.

Ita Zaire fluvius in Congo sex milliaribus à littore Cataractam habet ubi de monte decidit. Rhenus ad Bilefeldam, & ad Scaffusiam ingenti fragore. Cæterum Hydragogi observarunt, si alvei fundus in ducentis passibus deprimatur uno passu, eum vix navigabilem esse propter celeritatem. Cum itaque omnes fluvii sint navigabiles, colligimus, quod non major sit alveorum depressio, quam uno passu in ducentis. Sed particulares Cataractæ & voragines excipiuntur. Vocatur autem depressio hæc unius alvei partis infra aliam partem, libramentum. Et depressio ostiorum fluvii infra fontis locum, dicitur Libramentum fluvii.

Propositio XI.

Cur fluvii in una sui parte majorem habent vel acquirunt latitudinem, quam in alia parte?

Causæ quatuor sunt. 1. Si ripa seu littus in ista parte sit humilius, quam in hac. 2. Si terra littoris minus dura sit & cohærens, ut non satis resistat violento fluvii accessui, qui interdum vel à ventis vel ab aquæ copia oritur. 3. Si alveus in illa parte minus profundus vel excavatus sit, vel pulvinos habeat. 4. Si à cataracta aliqua destinat in illam partem.

Propositio XII.

Fluviorum alvei fiunt magis vel minus depressi, modo in hac, modo in ista parte.

Minus depressi vel altiores & minus cavi evadunt, 1. Si pulvini generentur. 2. Si fluvius ab ea parte fiat latior. 3. Si fluxus minus celer fiat.

Augetur depressio seu cavitas alvei, si celer sit & vehemens fluxus fluvii, præcipue à Cataracta aliqua, vel inter angustias littoris, inprimis si fundus constet terra minus cohærente.

Propositio XIII.

Cur fluvii quidam celeri cursu, quidam tardiusculo progrediuntur? Et, cur unus idemque fluvius in uno loco celeri, in altero tardo cursu fertur, quod in Rheno multis locis observatur?

Causæ sunt, 1. Fontis altitudo. 2. Incrementum declivitatis seu depressionis in partibus alvei vel fundi (inprimis in ostio). Etenim si fundus in ducentis passibus deprimatur uno passu, observarunt Hydragogi, in eo alveo aquam ita celeriter & rapide moveri, ut non sine periculo navigetur. Ubi itaque Cataractæ sunt, ibi celerrime ruunt fluvii. Et ideo torrentes ita rapide feruntur, quia à mon-

à montibus defluunt. 3. Angustia alvei & profunditas cum aquæ copia, ut cum inter duos montes vel procurrentes terras fluvius transit.

Celeritate cursus celebres sunt flvvii, Tigris, Indus, Danubius, Yrtiis in Siberia, Malmistra in Cilicia, qui cum tanto fragore fluit, ut è longa distantia audiatur.

PROPOSITIO XIV.

Ostia fluviorum eo facilius obstruuntur, quo latiora sunt, & quo altiora vel minus depressa, & quo aquæ fluvii copia minor, minusque celer & vehemens fluxus. Etenim hæ causæ faciunt, ut minori impetu feratur fluvius, neque protrudat materiam terrestrem quæ in ostiis colligitur, sed potius subsidere eam patiatur.

PROPOSITIO XV.

Fluvii pauci directo cursu à fonte ad ostium feruntur, plerique plagas diversas in fluxu petunt, quidam plurimis curvaturis fluunt.

Causa esse videtur partim hominum industria, partim aquæ motus, partim objecti in directo cursu pulvini.

Flexuosi fluvii sunt, 1. Rio de Orellana in Brasilia, innumeras curvaturas faciens, ita ut mille & quingentarum leucarum censeatur ejus iter seu alveus, cum directa linea à fonte ad ostium æstimetur tantum septingentis.

2. Fluvius des Madres in Natolia, cujus curvaturæ numerantur sexcentæ.

3. Fluvius Toera in Siberia oriens tam crebris & flexuosis curvaturis fluit, ut Russi & Siberienses cum in eo navigant, frequenter naviculam & onera per terram ab una curvatura ad aliam portent ad vitanda magna dispendia.

PROPOSITIO XVI.

Utrum lacus, per quos quidam fluvii videntur transire (sive ingredi in eos & egredi) *sint effectu à fluviis, an vero suas scaturigines peculiares habeant, & fluviorum aquam augeant?* item, an fluvius prodiens è lacu sit idem cum eo, qui influit? Non omnes fluvii habent lacus tales, sed quidam tantum. Nubia Africæ fluvius numerat quinque, Niger fluvius quatuor, Rhodanus Lemanum lacum, &c.

De lacubus hisce jam in præcedenti capite diximus, nimirum conferendum esse fluvium ingredientem cum eo, qui egreditur. Si is, qui egreditur, major est illo qui ingreditur, erunt in fundo ipsius lacus peculiares scaturigines, quæ lacum efficiant: si minor vel saltem non major egreditur, factus est is lacus & conservatur à fluvio ingrediente, & causa sive origo illius generationis fuit alvei latitudo & cavitas seu depressio. Et potest ex quovis fluvio lacus effici, ut in præced. capite diximus.

Et si egrediens fluvius sit in directa circiter linea situs cum ingrediente, unus idemque fluvius sive unius fluvii partes erunt censendi duo illi fluvii, nempe cum egrediens major est ingresso, nam si minor sit vel non major, non puto quærendum esse vel dubitandum, an egrediens idem sit cum ingrediente.

Accedunt in quibusdam alia indicia. Ut Rhodanus Lemanum lacum ingreditur atque rursus egreditur, neque tamen efficit illum lacum, quod colligitur præter alia ex colore, quem fluvius hic diversum gerit à colore lacus. Neque Rhenus ullum lacum efficit, sed à pullulantibus subtus terram aquis producitur & conservatur. Non tamen hæc tanquam indubitata propono.

PRO-

PROPOSITIO XVII.

Fluvii plerique eo latiores fiunt, quo ostio propiores, vel à fonte remotiores, atque in ostiis maxima est latitudo.

Causa est, 1. Quia alii fluvii ingrediuntur eum, qui in mare se exonerat, atque ita copia aquæ augetur. 2. Quia alveus minus deprimitur in partibus ostio propioribus. 3. Quia vento è mari spirante fluvii aqua repellitur ab ostio versus fontem, qui impetus tantum in partibus ostio propinquis, non in remotis & fonti vicinis sentitur. 4. Ipsum mare vento tali spirante, ostium ingreditur, & vehementi agitatione amplius & latius illud reddit.

Atque eo majora & latiora sunt ostia in magnis fluviis, quo pauciora. Maxima ostia sunt fluviorum, Maragnon in Brasilia, Laurentii in Canada, Zaire in Africa, fluvii argentei in Brasilia. Etenim hic in mare fertur ostio quadraginta leucarum, ut quidam annotarunt, sed alii viginti tamen leucas ponunt, & puto illos, qui quadraginta scribunt, reliqua ostia istius fluvii simul comprehendisse. Zaire vero ostium viginti octo milliarium esse scribunt, qui in Congo fuerunt. Et fluvii hi tam patulis ostiis copiosam aquam effundentes vincunt sive delent & saporem salsum maris & motum versus littora, idque usque ad decem vel duodecim milliaria in mari.

PROPOSITIO XVIII.

Aqua fluviorum multas particulas variorum metallorum, mineralium, arenarum, oleosorum seu pinguium corporum secum defert.

Ita quidam fluvii sunt auriferi, qui deferunt arenulas, quibus grana auri sunt admixta, quales sunt, 1. In Japonia. 2. In insulis Lequeo non

procul à Japonia. 3. Rivus, Arroë dictus in Africa, qui scaturit in Monomotapa è radicibus montium Lunæ, in quibus auriferæ fodinæ, & fluit in Magnicen Soffalæ fluvium. 4. In Guinea, ubi Nigritæ grana hæc separant ab arena & Europæis nautis (qui ob solius auri mercaturam istuc navigant) vendunt seu commutant cum Europæis mercibus. Interdum afferunt cum ipsis arenulis. Vocant *grängold*: estque optimum neque indiget depuratione. 5. In rivis circa urbem Mexico etiam grana auri colliguntur, præsertim post pluvias, seu imbres, quod de omnibus hisce rivis intelligendum est. Namque extra imbrium tempus vix vel parum admodum reperitur. 6. In Peru. 7. In Sumatra. 8. In Cuba. 9. In Hispaniola & quibusdam adjacentibus insulis. 10. In Guiana Americæ provincia. 11. In Caribanæ rivis magna grana reperiuntur post imbres: incolæ prætendunt reticula hinc inde fluenti aquæ, & dein ab arena facili negotio separant. 12. Plurimi rivi & fontes sunt in regionibus circa Alpes Germaniæ inprimis in provincia Tirol, ex quorum aqua aurum & argentum elicitur, etsi nulla grana in eis sint conspicua: quia particulas vehunt admodum exiguas, sive atomos. Rhenus quoque auriferum lutum vehit in plurimis locis, ut etiam Albis. Olim Tagus Hispaniæ fluvius admodum celebris erat propter granula auri in eo reperta, sed hodie nihil amplius largitur, neque memini de ullo Europæo rivo tales divitias prædicari. In Hassia quoque hoc seculo dicitur repertus fluvius parvus, in cujus arena fuerint auri grana. Sed fide dignum autorem de eo nondum legi.

Argentiferi quidem fluvii seu rivi non sunt annotati à Scriptoribus; non tamen dubito, quin æque multi vel plures etiam rivi sint, qui granula argenti deferant, sed quia non ita facile discernuntur

nuntur ab arena, neque inde magnum lucrum & vix operæ pretium exspectari potest, ideo à nemine hactenus observatum fuit. Eadem causa fecit, ut neque eorum rivorum, qui ferrea, cuprea, stannea granula deferunt, facta sit hactenus mentio, exceptis paucissimis, quorum tamen magnus sine dubio est numerus, quorum mirabiles effectus cum vident homines, stupent, & Philosophi vulgares ad occultam qualitatem confugiunt. Illum modo spectemus fluvium in Germania superiori, qui ferrum mutat in æs, ut vulgo putant, ita ut si ferream soleam suspendas in eo, cupream sis extracturus. Nimirum non ferrum mutatur in cuprum, ut prædicant vulgo, sed cupreæ & vitrioli particulæ seu granula, quæ in isto fluvio sunt, corrodunt ferrum adjuvante motu aquæ, & particulis ferri semotis cupreæ particulæ in eorum locum succedunt. Hoc autem Physici moderni, qui chymiæ periti sunt, per aliud experimentum didicerunt.

Multo minus fossilium, variarum scilicet Terræ specierum atque salium particulis imprægnati rivi observati sunt. Explicabimus autem sequenti capite fontes minerales & metallicos.

Ex hac variarum particularum admistione oritur magna diversitas aquarum in fluviis atque puteis. Quorundam aqua si ad coquendos cibos adhibeatur, subnigros eos reddit (ferro imprægnatam esse indicio est), neque pisa ita facile ad mollitiem perducuntur, ac si in alia aqua decoquantur, quæ pinguis aliquantulum sit. Ex diversis aquis non potest eadem cerevisia vel similis confici. Inde est, quod quorundam fluviorum & puteorum aquam Germani vocant, Ein hart wasser / nempe quæ ferreis particulis, nullis vero oleosis & pinguibus imprægnata est. Albis autem ex pinguium numero est, ut ita loquar. Causa hujus va-

rietatis petenda est ex varietate terrarum, per quas fluvius fertur, quæ vel saxeæ sunt, vel argillaceæ, vel metallicæ.

Atque experientia testatur, quod fluvii quorum aqua mollis seu pinguis est, fluant per argillaceas terras. Sic omnia loca, quæ adjacent Albi, sunt admodum fœcunda.

PROPOSITIO XIX.

Plurimorum fluviorum aquæ discrepant coloribus, gravitate, aliisque qualitatibus.

Etenim quædam aquæ sunt nigræ, quædam subnigræ, quædam ad rubrum vergunt, quædam ad albedinem.

Et diversitas hæc omnium maxime animadvertitur, cum duo fluvii coëunt. Possumus enim ad plures passus, ubi jam in eadem alvei parte existunt, aquas illas adhuc discernere. Ex quo etiam patet, quod gravitate differant, dum una magis fundum alvei petit, quam altera. Quanquam hoc manifestum magis fit per examen libræ.

Gangis aqua levissima & saluberrima censetur: eamque Imperator Guzaratensis, sive Magnus Mogol, quocunque loco agat, in phialis sibi adferri curat, & hanc solam potat. Alii Nili aquam saluberrimam & fœcundissimam esse volunt. Graves aquæ pleræque ferro vel Mercurio impregnatæ sunt.

In magnis fluviis respiciendum est ad rivos, è quibus componuntur: nam Rhenus plurimos accipit minerales rivos, ita quoque Danubius auriferos, ferriferos, vitriolatos, &c. Hinc eorum qualitas, etsi plurimi fontes parum habeant de illis.

PROPOSITIO XX.

Quidam fluvii singulis annis stato tempore adeo augen-

augentur ut extra alveos se proferant & vicinas terras inundent.

Celeberrimus inter hosce est Nilus, qui adeo crescit, ut totam Ægypti terram exceptis collibus tegat. Incipit inundatio circa decimum septimum Junii, & crescit per quadraginta dies, totidemque diebus recedit, ita ut hoc tempore omnes urbes, quæ in collibus pleræque extructæ sunt, videantur insulæ. Admodum antiquitas hanc Nili exundationem prædicavit, propterea quod in cognita eis terræ portione ante detectas Orientis & Occidentis regiones nullus alius fluvius reperiebatur, qui id faceret, excepto Nigro, quem ideo subterraneo ductu à Nilo oriri argumentati sunt. Sed quoniam Seneca omnium pulcherrime descripsit Nili exundationem, facere non potui, quin illius verba hic subjicerem: Nilus ante exortum Caniculæ augetur mediis æstibus, ultra æquinoctium. Hunc nobilissimum amnem natura extulit ante humani generis oculos, & ita disposuit, ut eo tempore inundaret Ægyptum, quo maxime usta fervoribus terra undam altius traheret, tantum haustura, quantum siccitati annuæ sufficere possit. Nam in ea parte, quæ in Æthiopiam vergit, aut nulli imbres sunt, aut rari, & qui insuetam aquis cælestibus terram non adjuvent. Unam, ut scis, Ægyptus in hoc spem suam habet. Proinde aut sterilis annus aut fertilis est, prout ille magnus influxit, aut parcior. Nemo aratorum aspicit cælum. Quare non cum poëta meo jocor, & illi Ovidium suum impingo? qui ait:

Nec pluvio supplicat herba Jovi.

Unde crescere incipiat si comprehendi posset, causæ quoque incrementi invenirentur. Nunc vero magnas solitudines pervagatus, & in paludes diffusus, gentibus sparsus, circa Philas primum ex vago & errante colligitur. Philæ insula est

aspera & undique prærupta: duobus in unum coituris annibus cingitur, qui Nilo mutantur, & ejus nomen ferunt. Urbem totam complectitur. Hanc Nilus magnus magis quam violentus egressus, Æthiopiam arenasque, per quas iter ad commercia Indici maris est, prælabitur. Excipiunt eum Cataractæ, nobilis insigni spectaculo locus. Ibi per arduas excisasque pluribus locis rupes Nilus insurgit, & vires suas concitat. Frangitur enim occurrentibus saxis, & per angusta eluctatus: ubicunque vincit, aut vincitur, fluctuat: & illic excitatis primum aquis, quas sine tumultu leni alveo duxerat, violentus, & torrens, per malignos transitus prosilit, dissimilis sibi. Quippe ad id lutosus & turbidus fluit. At ubi scopulos verberavit, spumat: & illi non ex natura sua, sed ex injuria loci, color est. Tandemque eluctatus obstantia, in vastam altitudinem subito destitutus cadit, cum ingenti circumjacentium regionum strepitu. Quem perferre gens ibi à Persis collocata non potuit, obtusis assiduo fragore auribus, & ob hoc sedibus ad quietiora transfatis. Inter miracula fluminis incredibilem incolarum audaciam accepi. Bini parvula navigia conscendunt: quorum alter navem regit, alter exhaurit. Deinde multum inter rapidam insaniam Nili, & reciprocos fluctus volutati, tandem tenuissimos canales tenent, per quos angusta rapium effugiunt: & cum toto flumine effusi, navigium ruens manu temperant, magnoque spectantium metu in caput nixi, cum jam adploraveris, mersosque atque obrutos tanta mole credideris, longe ab eo, in quem ceciderant loco navigant, tormenti modo missi. Nec mergit cadens unda, sed planis aquis tradit. Primum incrementum Nili circa insulam, quam modo retuli, Philas noscitur. Exiguo ab hac spatio petrâ dividitur; ἄβατον Græci vocant: nec illam

ulli, nisi antistites calcant: illa primum saxa actum fluminis sentiunt. Post magnum deinde spatium duo eminent scopuli, Nili venas vocant incolæ: ex quibus magna vis funditur, non tamen quanta operire posset Ægyptum. In hac ora stipem sacerdotes, & aurea dona præfecti, cum solemne venit sacrum, jaciunt. Hinc jam manifestus novarum virium Nilus, alto ac profundo alveo fertur, ne in latitudinem excedat objectu montium pressus. Circa Memphim demum liber, & per campestria vagus, in plura scinditur flumina, manuque canalibus factis, ut sit modus in derivantium potestate, per totam discurrit Ægyptum. Initio diducitur, deinde continuatis aquis in faciem lati ac turbidi maris stagnat: cursum illi violentiamque eripit latitudo regionum, in quas extenditur, dextra lævaque totam amplexus Ægyptum. Quantum crevit Nilus, tantum spei in annum est. Nec computatio fallit agricolam: adeo ad mensuram fluminis respondet, quam fertilem facit Nilus. Is arenoso & sitienti solo & aquam inducit & terram. Nam cum turbulentus fluat, omnem in siccis atque hiantibus locis fæcem relinquit: & quicquid pingue secum tulit, arentibus locis allinit: juvatque agros duabus ex causis, & quod inundat, & quod oblimat. Ita quicquid non adiit, sterile ac squalidum jacet. Si crevit super debitum, nocuit. Mira æque natura fluminis, quod cum certi amnes abluant terras & evisceren t, Nilus tanto ceteris major, adeo nihil exedit, nec abradit, ut contra adjiciat vires, minimumque in eo sit quod solum tueretur. Illato enim limo arenas saturat ac jungit. Debetque illi Ægyptus non tantum fertilitatem terrarum sed ipsas. Illa facies pulcherrima est, cum jam se in agros Nilus ingessit. Latent campi, opertæque sunt valles: oppida insularum modo extant. Nilum in Mediterra-

neis, nisi per navigia commercium est. Majorque est lætitia gentibus, quo minus terrarum suarum vident. Sic quoque cum se ripis continet Nilus, per septena ostia in mare emittitur: quodcunque elegeris ex his, mare est. Multos nihilominus ignobiles ramos in aliud atque aliud littus porrigit. Ceterum beluas, marinis vel magnitudine vel noxa pares, educat. Et ex eo quantus sit, æstimari potest, quod ingentia animalia & pabulo sufficienti, & ad vagandum loco, continet. Babillus virorum optimus, in omni litterarum genere rarissimus, auctor est, cum ipse præfectus obtineret Ægyptum, Heracleotico ostio Nili, quod est maximum, spectaculo sibi fuisse delphinorum à mari occurrentium, & crocodilorum à flumine adversum agmen agentium, velut pro partibus prælium. Crocodilos ab animalibus placidis morsuque innoxiis victos. His superior pars corporis dura & impenetrabilis est, etiam majorum animalium dentibus: at inferior mollis ac tenera: hanc delphini spinis, quas dorso eminentes gerunt, submersi vulnerabant, & in adversum enixi dividebant. Recisis hoc modo pluribus, ceteri velut acie versa refugerunt. Fugax animal audaci, audacissimum timido. Nec illos Tentyritæ generis aut sanguinis proprietate superant, sed contemptu & temeritate. ultro enim insequuntur, fugientesque injecto trahunt laqueo: plerique pereunt, quibus minus præsens animus ad persequendum fuit. Nilum aliquando marinam aquam detulisse, Theophrastus est auctor. Biennio continuo, regnante Cleopatra, non ascendisse, decimo regni anno & undecimo constat. Significatam aiunt duobus rerum potientibus defectionem. Antonii enim Cleopatræque defecit imperium per novem annos non ascendisse Nilum superioribus seculis; Callimachus est auctor. Sed

nunc

nunc ad inspiciendas causas, propter quas æstate Nilus crescat, accedam, & ab antiquissimis incipiam. Anaxagoras ait, ex Æthiopiæ jugis solutas nives ad Nilum usque decurrere. in eadem opinione omnis vetustas fuit. Hoc Æschylus, Sophocles, Euripides tradunt. Sed falsum esse, argumentis plurimis patet. Primo Æthiopiam ferventissimam esse, indicat hominum adustus color; & Troglodytæ, quibus subterraneæ domus sunt. Saxa velut igni fervescunt, non tantum medio, sed inclinato quoque die: ardens pulvis, nec humani vestigii patiens: argentum replumbatur: signorum coagmenta solvuntur: nullum materiæ superadornatæ manet operimentum. Auster quoque, qui ex illo tractu venit, ventorum calidissimus est. Nullum ex his animalibus quæ latent bruma, unquam reconditur. Etiam per hiemem in summo & aperto serpens est. Alexandriæ quoque, quæ longe ab hujusmodi immodicis caloribus est posita, nives non cadunt: superiora etiam pluvia carent. Quemadmodum ergo regio tantis subjecta fervoribus duraturas per totam æstatem nives recipit? Quas sane aliqui montes illic quoque excipiant: nunquam tamen magis quam Thraciæ juga aut Caucasus. Atqui horum montium flumina vere & prima æstate intumescunt, deinde hibernis minora sunt. Quippe vernis temporibus imbres nivem diluunt: reliquias ejus primus calor dissipat. Nec Rhenus, nec Rhodanus, nec Ister, nec Caystrus subjacent malo: æstate proveniunt. Altissimæ sunt & in illis Septentrionalibus jugis nives. Phasis quoque per id tempus & Borysthenes crescerent, si nives flumina possent contra æstatem magna producere. Præterea si hæc causa attolleret Nilum, æstate prima plenissimus fueret. Tunc enim maximæ & integræ adhuc nives, ex mollissimoque tabes est. Nilus autem per

menses quatuor liquitur, & illi æqualis accessio est. Si Thaleti credis; Etesiæ discedenti Nilo resistunt, & cursus ejus acto contra ostia mari sustinent: ita reverberatus in se recurrit: nec crescit, sed exitu prohibitus resistit, & quacunque mox potuit, inconcessus erumpit. Euthymenes Massiliensis testimonium dicit: Navigavi, inquit, Atlanticum mare. Inde Nilus fluit major, quamdiu Etesiæ tempus observant: tunc enim ejicitur mare instantibus ventis. Cum resederint, & pelagus conquiescit: minorque discedenti inde vis Nilo est. Ceterum dulcis maris sapor est, & similes Niloticis beluæ. Quare ergo, si Nilum Etesiæ provocant, & ante illos incipit incrementum ejus, & post eos durat? Præterea non fit major, quo illi flavere vehementius? Nec remittitur incitatur-que, prout illis impetus fuit: quod fieret, si illorum viribus crescceret. Quid, quod Etesiæ litus Ægyptium verberant, & contra illos Nilus descendit, inde venturus, unde illi, si origo ab illis esset? Præterea ex mari purus & cæruleus effluereret, non ut nunc turbidus venit. Adde, quod testimonium ejus testium turbâ coarguitur. Tunc erat mendacio locus, cum ignota essent externa. Licebat illis fabulas mittere. Nunc vero tota exteri maris ora mercatorum navibus stringitur: quorum nemo narrat nunc cæruleum Nilum, aut mare saporis alterius. quod & natura credi vetat: quia dulcissimum quodque & levissimum sol trahit. Præterea quare hieme non crescit? & tunc potest ventis concitari mare, aliquanto quidem majoribus. Nam Etesiæ temperati sunt. Quod si è mari ferretur Atlantico, semel oppleret Ægyptum. At nunc per gradus crescit. OEnopides Chius ait, hieme calorem sub terris contineri: ideo & specus calidos esse, & tepidiorem puteis aquam. itaque venas interno calore siccari. Sed

in

in aliis terris augentur imbribus flumina. Nilum quia nullo imbre adjuvetur, tenuari, deinde crescere per æstatem: quo tempore frigent interiora terrarum, & redit rigor fontibus. quod si verum esset, æstate flumina crescerent, omnesque putei æstate abundarent. Deinde non calorem hieme sub terris esse majorem. Aqua & specus & putei tepent: quia aëra rigentem extrinsecus non recipiunt. Ita non calorem habent, sed frigus excludunt. Ex eadem causa æstate refrigescunt: quia illo remotus, seductusque aër calefactus non pervenit. Diogenes Apolloniates ait: Sol humorem ad se rapit: hunc exsiccata tellus, tum ex mari ducit, tum ex ceteris aquis. Fieri autem non potest, ut una sicca sit tellus, alia humeat. Sunt enim perforata omnia, & invicem pervia. Sicca ab humidis sumunt aliquando. Nisi aliquid terra acciperet, exaruisset. Ergo undas sol trahit: sed ex his quæ premunt, maxime hæc meridiana sunt. Terra cum exaruit, plus ad se humoris adducit, ut in lucernis oleum illo fluit, ubi exuritur: sic aqua illo incumbit, quo vis caloris & terræ æstuantis accessit. Unde ergo trahitur? ex illis scilicet partibus semper hibernis, Septentrionalibus, unde exundat. Ob hoc Pontus in inferum mare assidue fluit rapidus, non ut cetera maria, alternatis ultro citro æstibus in unam partem semper pronus & torrens. Quod nisi faceret, hisce itineribus, quod cuique deest redderetur, quod cuique superest emitteretur, jam aut siccata essent omnia, aut inundata. Interrogare Diogenem libet, quare, cum Pontus & amnes cuncti invicem commeent, non omnibus locis æstate majora sunt flumina? Ægyptum sol magis percoquit. Itaque Nilus magis crescit. Sed in ceteris quoque terris aliqua fluminibus fiat adjectio. Deinde quare ulla pars terræ sine humore est, cum omnis ad se ex aliis regionibus trahit: eoque

magis,

magis, quo calidior est? Deinde quare Nilus dulcis est, si illi è mari unda est? Nec enim ulli flumini dulcior gustus.

Ex hisce Senecæ verbis cognoscimus, quænam antiquorum, inprimis Græcorum Physicorum fuerint sententiæ de exundationis Nili causa. Ex quibus tamen nulla vera est, quoniam eis temporibus nemo ad Nili fontes & vicinas gentes ex Europa pervenerat, quoniam ab Ægypto remotissimi sunt. Sed hodie satis ea explorata sunt, & vera causa inventa est, quandoquidem tam Lusitani, quam Belgæ & Angli cum gentibus, quæ vicinæ sunt fontibus Nili, commercia exercent in regnis Congo, Angola, Monomotapa, Soffala, Mosambique. Ex hisce cognitum est, fontes Nili esse ingentem lacum Zaire (sive in lacu Zaire) situm in procurrente Africa medio loco inter Orientale & Occidentale littus sub gradu x ab Æquatore versus Austrum, ut priori capite dictum est. Huic lacui vicina sunt multa juga montium, quos Lunæ montes & unum jugum Seth vocant, ita ut Lacus tanquam in valle inter montes jaceat. Quoniam autem loca hæc ab Æquatore versus Austrum jacent, ideo hiemem illis esse, cum nobis æstas est, motus solaris ratio postulat. Sed propter parvam ab Æquatore distantiam frigus nullum sentiunt, verum pluvias (nivis loco) quotidianas duabus horis ante & post meridiem in regno Congi: nubes Solis conspectum nunquam fere permittunt: eisdem nubibus montium juga quasi tecta conspiciuntur, atque in hisce montanis locis pluviæ & imbres fere continui, qui tanquam torrentes deorsum ruunt, & omnes in Zaire lacum confluunt, ex hoc in alveum fluvii Nili, Zaire, Cuama & alios qui ex eodem lacu oriuntur, sed ideo non tanta copia exundant, (Zaire tamen singulis annis inundat) sicut Nilus, quia al-

veus profundior & post brevem tractum in mare se exonerant. Omnes tamen eo tempore crescunt & immensam aquarum vim in mare exspuunt. Hinc itaque manifesta est causa exundationis Nili; nempe copiæ aquarum; proxima causa sunt pluviæ continuæ: harum autem causa adhuc latet: sed verisimile est eandem esse, quæ nobis hyeme nives generat & pluvias, quæ non tantum in Nilo, sed in nostris quoque fluviis exundationes efficiunt, ubi nimiæ cadunt, quod cuivis ex historiis notum est.

Consentit cum hac causa tempus, quo Nili exundatio incipit, & quo desinit. Etenim hyems in regno Congi & montanis illis locis, sive pluviæ incipiunt cum nostro vere, medio circiter Martio vel Aprili, (quod tempus illis tanquam Autumnus est, nempe à Martio XXI & ad Junii XXI) sed minus tunc vehementes ac in Maio, Junio & Julio. In Augusto quoque & Septembri lenes, & medio Septembri desinunt. Exundatio Nili incipit, ut dictum, decimo septimo circiter Junii, hoc nempe seculo. (Nam Herodotus de suo seculo testatur, centum diebus Nilum tunc exundasse, & totidem diebus decrevisse.) Aliquot itaque hebdomadibus prius incipere incrementum Nili necesse est, nempe primo circiter Junii vel in Maio: & antequam increscere possit, debuit jam aliquo tempore pluisse in montibus lacui vicinis, hoc est à Martio ad Junium vel Maium. Ideo autem tardius hodie exundatio incipit, quam olim (nempe tempore Herodoti cum Aprili videtur cœpisse) quia ipse Nilus per advectam limosam & terrestrem materiam altiores fecit terras, quas inundabat, & ideo alveus factus est profundior & capacior (ad quod ipsa fluxus celeritas etiam aliquid fecit), ita ut multo plus aquæ continere possit quam olim, & ideo tardius extra alveum effunda-

tur,

tur. Neque dubitandum est, quin post multa tandem secula nulla sit futura Nili exundatio; perpetuata enim alluvione ita accrescent vicinæ littoris seu ripæ regiones vel tractus, ut margines riparum æquent & tandem altiores fiant fluminis altitudine in aqua copia maxima.

Sed nimis multa de Nilo præter opinionem nostram diximus.

Secundus fluvius ex iis, qui stato anni tempore exundant in terras vicinas, est Niger, fluvius Africæ non minori tractu, quam Nilus, sed minus celebris. Eodem tempore exundat, quo Nilus. Leo Africanus decimo quinto Junii die incipere inundationem ait, & per quadraginta dies accrescere, totidemque diebus decrescere. Et incrementum sumente Nigro, cymba per totam Nigritarum regionem vehere licet, non tamen sine magno id fit periculo.

Tertius exundantium est Zaire, Congi fluvius, ut dictum. Huic adde minores fluvios Congi.

Quartus exundantium fluviorum est, fluvius argenteus Brasiliæ, qui eodem quoque cum Nilo tempore exundat in adjacentes agros, ut Maffeus annotavit.

Quintus, Ganges.

Sextus, Indus fluvius. Hi duo pluviis mensibus illarum regionum, nempe Junio, Julio, Augusto, extra alveos suos in terras se effundunt, ubi tunc incolæ factis stagnis aquam colligunt, ut reliquis anni mensibus, cum nullæ fere pluviæ, inde aquam petant. Magnam agris fœcunditatem hæc inundatio affert.

Septimus plurimos complectitur, nempe quatuor vel quinque, qui ex lacu Chiamay profluunt mediocri alveo & in sinum Bengalensem se exonerant, transeuntes per regna Pegu, Siam & alia. Qui regiam Siamensem præterfluit, dicitur Menan.

nan. Exundatio fit mensibus Septembri, Octobri, Novembri, quo tempore agri tecti sunt aquis, & in urbibus plateæ, ita ut cymbis innumeris ab una domo ad aliam tunc navigetur. Ingentem terræ fertilitatem creat.

Octavus, Macou fluvius Camboiæ, æstivis mensibus inundat. Mappæ illum male exprimunt.

Nonus, Fluvius Parana, sive Paranaguasu, eodem modo ut Nilus & argenteus fluvius. Quidam eundem esse volunt cum argenteo.

Decimo; In Coromandelia Indiæ parte fluvii exundant mensibus pluvius propter copiam aquæ à jugo Gatis defluentem.

Undecimus, Euphrates, statis anni diebus Mesopotamiam inundat.

Duodecimus, Fluvius Numidiæ, Sus dictus, inundat hyeme.

Alios fluvios, præter hosce, anniversario tempore exundare non memini me legisse: etsi quidam plerisque annis id faciant, nempe Obius fluvius, Flavus fluvius Chinæ, &c.

Qui sine ordine vel stato tempore exundent fluvii, plurimi sunt, imo vix ullus fluvius insignis magnitudinis est, qui non aliquando in terras prorumpat ex alveo suo, ut exemplo Albis, Rheni, Visurgis, manifestum est. Et nisi alvei capacitas vel riparum altitudo obstaret, omnes magni fluvii anniversario tempore inundarent, quia in vere plerique augentur valde. Et fieri potest, ut fluvius, qui antea non solebat exundare; incipiat id anniversario tempore facere, nimirum, si pars aliqua alvei propter pulvinos, vel alio modo fiat altior, littora vero non fiant altiora. Sed tunc homines solent aggeres excitare.

Causa exundationum harum unica est aquæ copia, quæ in quibusdam exemplis allatis à nivium resolutione fortassis oritur, sed in plerisque ab imbrium

brium & pluviarum frequentia. Id tamen mirum, cur Indus & Ganges aliis mensibus inundent, quam vicini fluvii ex lacu Chiamay. Cæterum diversitatis, quæ in tempore hic observatur, causa petenda est partim ex anniversariis pluviis in vicinis locis, partim ex montibus & pluviis circa loca fontium, ut de Nilo diximus. Nos ad vitandam prolixitatem singula exempla excutere supersedemus. Fluvius Bibara in Francia prope Lutetiam aliquando sine ullis pluviis, aut certe non inusitatis, sic intumescit, ut adjacenti suburbio S. Marcelli inferat magnam vastitatem.

Cur autem omnes fere exundationes fœcundos faciant agros, causa est, quoniam aqua illa, quæ exundat, est vel pluvialis vel nivosa, quæ aquæ tum propter levitatem spirituosam, tum propter sulphuream substantiam, quam in aëre admixtam habent, præ aliis mineralibus valent ad fœcunditatem, & salubres sunt. Quod autem in aqua pluvia tales spiritus & sulphur sit, probatur ex vermibus qui in ea generantur. 2. Ex facili putredine. 3. Ex ipsa destillatione Chymica. Quædam tamen flumina inundatione sua non reddunt fœcundos agros, sed potius steriles, ut Ligeris in Gallia; cum Sequana fœcundos faciat, ob pinguem aquam.

Propositio XXI.

Quomodo fontes prorumpunt, explicare.

Propositione quarta explicavimus, unde oriatur aqua, quæ ex fontibus profluit: hic autem quærimus, à qua vi aqua illa in terra collecta protrudatur, cum hoc sine violenta terræ remotione non videatur posse fieri. Causæ autem variæ sunt, quæ in loco aliquo fonti viam faciunt. 1. Si in loco sit cavitas quædam, aqua ipsa sine alterius causæ adjumento exsudat vel stillat in eam, quando

do rependo ad illam pervenit, & deinde progressu temporis majores sibi vias facit, donec impleta illa cavitate effluat & flumen efficiat. Idem etiam fit sine illa cavitate, & si fons in declivitate montis sit vel etiam fastigio. Hanc etiam ob causam frequentes reperiuntur scaturigines in sylvis & locis umbrosis. Etenim aqua pluvia terram humectat, & quia calore solis liberoque aëre non statim extrahitur, allicit paulatim ad se latentem fontis futuri aquam. 2. Fontibus via paratur & terra removetur à spititibus, qui aquis in terra adhuc existentibus admixti sunt, item aquæ rarefactio in terra, propter quam ampliorem locum poscit. Etenim aquæ dum adhuc intra terram abduntur, plures spiritus gerunt. Ignes quoque subterranei non parum ad hoc faciunt. 3. Ab imbribus sæpe fontes proferuntur in lucem, nimirum imbres poros terræ ampliores reddunt, cum aqua fontis latentis se conjungunt, atque ita hæc illam sequitur propter mutuam conjunctionem & cohærentiam. 4. A terræ motu interdum fontes aperiuntur. Ita Ladon flumen, qui inter Helim & Megalenpolim olim medius erat, terrarum motus effudit. 5. Hominum industria interdum proferuntur, qui terras effodiunt. 6. Multi fontes ab animalibus detecti sunt, qui rostris suis terram solent eruere. Sic primum salsum fontem ex illis, qui Lunæburgenses salinas efficiunt, porcus detexit. Etenim cum eruisset terram, factâque foveâ aqua prosiliisset, quæ foveam implebat, porcus juxta consuetudinem suam in ea decubuit. Dein cum surrexisset atque calore solis exsiccatum esset dorsum, conspexerunt quidam candidum in eo colorem, quem cum accuratius contemplarentur, sal esse deprehenderunt candidum. Inde ad fontem decursum est, atque dein plures quæsiti & inventi. Unde urbs omnes fere suas divitias omnem-

omnemque ſplendorem obtinet. Porcus quadripartitus & infumatus in hunc uſque diem aſſervatur in curia Lunæburgenſi, ubi particulæ dependent à trabe, ita tenues factæ diuturnitate temporis, ut nihil præter corium eſſe videantur.

PROPOSITIO XXII.

Dato loco in terra, inquirerere, an poſſit in illo fons ſeu puteus fieri.

Signa hujuſce inquiſitionis Vitruvius docte explicat libr. VIII Architecturæ, cap. I. ex quo Plinius & Palladius deſumſere. Beſſonus quædam addidit in libro edito, anno 1569. Nos ipſa Vitruvii verba apponemus: Si fontes (inquit) non profluent, quærenda ſub terra ſunt capita, & colligenda: quæ ſic erunt experiunda, uti procumbatur in dentes, antequam ſol exortus fuerit, in locis quibus erit quærendum, & in terra mento collocato & fulcto, proſpiciantur eæ regiones. Sic enim non errabit excelſius quam oporteat viſus, cum erit immotum mentum: ſed ad libratam altitudinem in regionibus certa finitione deſignabit. Tunc in quibus locis videbuntur humores ſe concriſpantes, & in aëra ſurgentes, ibi fodiatur: non enim in ſicco loco hoc ſignum poteſt fieri. Item animadvertendum eſt quærentibus aquam, quo genere ſint loca. Certa enim ſunt, in quibus naſcitur: In creta, tenuis & exilis & non alta eſt copia, ea erit non optimo ſapore. Item ſabulone ſoluto, tenuis: ſed ſi inferioribus locis invenietur, ea erit limoſa & inſuavis. In terra autem nigra ſudores & ſtillæ exiles inveniuntur, quæ ex hybernis tempeſtatibus collectæ in ſpiſſis & ſolidis locis ſubſidunt, eæ habent optimum ſaporem. Glarea vero mediocres & non certæ venæ reperiuntur, eæ quoque egregia ſunt ſuavitate. Item ſabulone maſculo, arenaque & carbunculo, certiores & ſta-

biliores

biliores sunt copiæ, eæque sunt bono sapore. Rubro saxo & copiosæ, & bonæ, si non per intervenia dilabantur & liquescant. Sub radicibus autem montium, & in saxis silicibus, uberiores & affluentiores, eæque frigidiores sunt & salubriores. Campestribus autem fontibus salsæ, graves, tepidæ, non suaves: nisi quæ ex montibus sub terra submanantes erumpunt in medios campos, & ubi sunt arborum umbris contectæ, præstant montanorum fontium suavitatem. Signa autem quibus terrarum generibus suberunt aquæ, præter quod supra scriptum est, hæc erunt: si invenientur nascentia tenuis juncus, salix erratica, alnus, vitex, arundo, hedera, aliaque quæ ejusmodi sunt, quæ non possunt nasci, nec ali per se, sine humore. Solent autem eadem in lacunis nata esse, quæ sidentes præter reliquum agrum excipiunt aquam ex imbribus, & agris per hyemem, diutiusque propter capacitatem conservant humorem, quibus non est credendum. Sed quibus regionibus & terris, non lacunis, ea signa nascuntur, non sata, sed naturaliter per se creata, ibi est quærenda. In quibus locis eæ non significabuntur inventiones, sic erunt experiundæ. Fodiatur quoquoversus locus latus pedes tres, altus ne minus pedes quinque, in eoque collocetur circiter solis occasum scaphium æreum, aut plumbeum, aut pelvis, ex his quod erit paratum: idque intrinsecus oleo ungatur, ponaturque inversum & summa fossura operiatur arundinibus, aut fronde; supra terra obruatur: tum postero die aperiatur, & si in vase stillæ sudoresque erunt, is locus habebit aquam. Item si vas ex creta factum non coctum, in ea fossione eadem ratione opertum, positum fuerit, si is locus aquam habuerit, cum apertum fuerit, vas humidum erit, & etiam dissolvetur ab humore. Vellusque lanæ si collocatum erit in ea fossura, in sequenti autem

die

die de eo aqua expressa erit, significabit eum locum habere copiam. Non minus si lucerna concinnata, oleique plena & accensa, in eo loco operta fuerit collocata, & postero die non erit exsucta, sed habuerit reliquias olei & ellychnii, ipsaque humida invenietur, indicabit eum locum habere aquam: ideo quod omnis tepor ad se ducit humores. Item in eo loco ignis si factus fuerit, & percalefacta terra, & adusta, vaporem nebulosum ex se suscitaverit, is locus habebit aquam. Cum hæc ita erunt pertentata, & quæ supra scripta sunt signa inventa, tum deprimendus est puteus in eo loco: & si caput erit aquæ inventum, plures sunt circi fodiendi, & per specus in unum locum omnes conducendi. Hæc autem maxime in montibus & regionibus septentrionalibus sunt quærenda, eo quod in his & suaviora, & salubriora, & copiosiora inveniuntur: aversi enim sunt solis cursui, & in his locis primum crebræ sunt arbores & sylvosæ, ipsique montes suas habent umbras obstantes, ut radii solis non directi perveniant ad terram, nec possint humores exsugere. Intervalla quoque montium maxime recipiunt imbres, & propter sylvarum crebritatem, nives ibi ab umbris arborum & montium diutius conservantur: deinde liquatæ per terræ venas percolantur, & ita perveniunt ad infimas montium radices, ex quibus profluentes fontium erumpunt fluctus. Campestribus autem locis è contrario non possunt haberi copiæ, quæ & si sint, non possunt habere salubritatem, quod solis vehemens impetus, propter nullam obstantiam umbrarum eripit exhauriendo fervens ex planitie camporum humorem: & si quæ ibi sunt aquæ apparentes, ex his quod est levissimum tenuissimumque & subtili salubritate, aër avocans dissipat in impetum cœli: quæque gravissimæ duræque & insuaves

sunt

sunt partes, ex in fontibus campestribus relinquuntur.

Sed hodie neglectis signis per effossionem terræ ad ingentem sæpe profunditatem res tentatur, & plerunque inveniuntur fibræ & capita fontium seu puteorum, vel ipsi putei & fluvii.

Alii superstitiose per ramum coryli certo planetarum aspectu abscissum id cognoscere volunt.

PROPOSITIO XXIII.

Dato loco, efficere in eo fontem seu puteum, si fieri possit.

Afferemus iterum verba Vitruvii, quippe Viri in hisce operibus versati, cum nos nunquam huic operi manum admoverimus. Capite VII ita loquitur: In puteorum autem fossionibus non est contemnenda ratio, sed acuminibus solertiaque magna naturales rerum rationes considerandæ, quod habet multa variaque terra in se genera. Est enim, uti reliquæ res, ex quatuor principiis composita; & primum est ipsa terrena, habetque ex humore aquæ fontes. Item calores, unde etiam sulphur, alumen, bitumen nascitur, aërisque spiritus immanes, qui cum graves, per intervenia fistulosa terræ, perveniunt ad fossionem puteorum, & ibi homines offendunt fodientes, naturali vapore obturant in eorum naribus spiritus animales: ita qui non celerius inde effugiunt, ibi interimuntur. Hoc autem quibus rationibus caveatur, sic erit faciendum. Lucerna accensa demittatur, quæ si permanserit ardens, sine periculo descendetur. Sin autem eripietur lumen vi vaporis, tunc secundum puteum dextra ac sinistra defodientur æstuaria, ita (quemadmodum per nares) spiritus ex æstuariis dissipabuntur. Cum hæc sic explicata fuerint, & ad aquam erit perventum, tunc puteus ita sepiatur structura, ne obturentur venæ. Sin au-

tem loca dura erunt, aut in imum venæ penitus non fuerint, tunc ſigninis operibus ex tectis, aut à ſuperioribus locis excipiendæ ſunt copiæ. In ſigninis autem operibus hæc ſunt facienda, uti arena primum puriſſima aſperrimaque paretur, cæmentum de ſilice frangatur ne gravius quam libratium, calx quam vehementiſſima mortario miſceatur, ita ut quinque partes arenæ ad duas calcis reſpondeant: mortario cæmentum addatur, ex eo parietes in foſſa ad libramentum altitudinis futuræ depreſſa, calcentur vectibus ligneis ferratis. Parietibus calcatis, in medio quod erit terrenum, exinaniatur ad libramentum imum parietum, & exæquato ſolo ex eodem mortario calcetur pavimentum ad craſſitudinem, quæ conſtituta fuerit. Ea autem loca ſi duplicia aut triplicia facta fuerint, ulti percolationibus aquæ tranſmutari poſſint, multo ſalubriorem ejus uſum efficient. Limus enim cum habuerit quo ſubſidat, limpidior aqua fiet, & ſine odoribus conſervabit ſaporem: ſi non, ſalem addi neceſſe erit, & extenuari.

Propositio XXIV.

An aqua fontis ſit ſalubris, probare.

De hoc ita Vitruvius: Expertiones autem & probationes eorum ſic ſunt providendæ. Si erunt profluentes & aperti, antequam duci incipiantur, adſpiciantur, animoque advertantur, qua membratura ſint, qui circa eos fontes habitant homines. Et ſi erunt corporibus velentibus, coloribus nitidis, cruribus non vitioſis, non lippis oculis, erunt probatiſſimi. Item ſi fons novus fuerit foſſus, & in vas Corinthium, ſive alterius generis, quod erit ex ære bono, ea aqua ſparſa, maculam non fecerit, optima erit. Itemque in aheno ſi ea aqua defervefacta, & poſtea requieta & defuſa fuerit, neque in ejus aheni fundo arena, aut limus inveniatur,

niatur, ea aqua erit item probata. Item si legumina in vas cum ea aqua conjecta ad ignem posita, celeriter percocta fuerint, indicabunt eam aquam esse bonam & salubrem. Non etiam minus ipsa aqua, quæ erit in fonte, si fuerit limpida & perlucida, & quocunque pervenerit aut perfluxerit, si muscus non nascetur, neque juncus, neque inquinatus ab aliquo inquinamento is locus fuerit, sed puram habuerit speciem, innuetur his signis, esse tenuis, & in summa salubritate.

PROPOSITIO XXV.

Dato loco, apparentem fontem illo efficere, si fieri possit.

Apparens fons dicitur, ut propos. v docuimus, ubi aqua prosilit missa ex alio loco altiore per subterraneum ductum. Fieri autem poterit talis fons, si sit in vicinia aliquis lacus, vel fluvius, vel fons. Nimirum cuniculus agendus erit subtus terram à dato loco ad lacum vel fluvium vicinum, per quem aqua fluat ad datum locum, ut sequenti Propositione docebimus.

PROPOSITIO XXVI.

A dato fonte vel fluvio ad datum locum, fluvium deducere.

Si fons vel datus fluvius sit altior quam datus locus, facilis erit opera. Id autem exquiritur per instrumenta geodætica; & ipsa operatio dicitur librare loca pro ducendis aquis, & differentia inter altitudinem fontis & loci dati dicitur libramentum ducendi fluvii. Effodiendus itaque est alveus à fonte vel fluvio ad datum locum, cujus libramentum magnum vel parvum sit prout celerem vel tardum volumus esse fluvium. namque Problema est Indeterminatum. Plerunque in

aquæ ductibus, ut mediocris sit celeritas fluxus, ita observatur, ut in longitudine alvei ducentorum pedum depressio non sit minor semipede (alias enim non fluet aqua vel nimis tarde. Vitruvius in centum pedibus requirit non minorem semipede depressionem), neque major integro pede vel ad summum sesquipede (alias enim nimis cito & incitato cursu fluet). Quod si fons non sit altior dato loco, instrumentis opus est, de quibus Mechanici consulendi sunt, ut etiam de multis aliis; quæ in hoc negotio sunt consideranda. Galli quidam scribunt, quod Sequana spatio quo fertur ab armamentario Parisiensi ad hortum Regium Tuilleries, in quingentis hexapedis vix uno pede deprimatur. Cæterum sciendum est in quibusdam alvei partibus non opus esse tanta depressione sicut in præcedenti parte alvei aqua impetum adepta sit. Per hoc problema etiam fit conjunctio fluviorum duorum, quando ex uno fluvio in alium alveus ducitur, ut navigatio possit institui ex uno in alterum, ut ex Duina in vicinum; ex Tanai in Volgam; ex Flavo fluvio Chinæ in Nanchinensem.

Propositio XXVII.

Quidam fluvii insignes sunt & celebres propter longos tractus, quidam propter latitudinem, quidam propter celeritatem cursus, quidam propter aqua, quam vehunt, peculiares proprietates: quidam propter duas pluresve causas ex hisce. Propositionis veritas nulla indiget probatione. Illos tantum hic fluvios enumerabimus, qui maximi sunt ex omnibus, nempe longissimi tractus, qui etiam latitudine insignes sunt: tales numerantur in tota Tellure hactenus cogniti sedecim: nempe Nilus, Obius, Jeniscea, fluvius Orellana, Argenteus, Parana, Maragnon, Omaranna, Ganges, Danubius, Ca-

na-

nadensis sive Laurentii fluvius, Niger fluvius Africæ, Nubia, Wolga, Jansu Chinæ, Flavus fluvius Chinæ.

Post hosce, insignes sunt alvei amplitudine sed minus longi tractus, ac priores, numero viginti circiter, nempe Indus, Zaire, Cuama, fluvii è lacu Chiamay, Euphrates, Tanaïs, Petzora, Fesida, Tabab Siberiæ, Yrtiis Siberiæ, flumen S. Spiritus in Africa, Amana in Castilia Americana, fluvius Magdalenæ, fluvius Juliani in Chica, fluvius S. Jacobi in Peru, Rhenus, Albis, Mosa, Borysthenes, Totonteac in nova Albione.

Maximorum fluviorum decem tractus hic tantum contemplabimur, accuratiorem explicationem cum reliquis fluviis Speciali Geographiæ relinquentes.

1. NILUS, Niger, Ganges, directa fere via incedunt, reliqui plurimis & ingentibus curvaturis. Nili fons in lacu Zaire statuitur, in latitudine Australi x grad. ostium Canobicum in latitudine Septentrionali xxxi graduum. fluit ab Austro versus Septentrionem: alicubi se effundit per latum spatium, alibi admodum angustus: Cataractas duas habet. Tractus seu longitudo est milliarium circiter 630 Germanicorum, sive Italicorum 2520, pro quibus ponere licet 3000 propter curvaturas. Inundat singulis annis.

2. NIGER fluvius Africæ, sive Senega: Fons ejus in latitudine xi graduum Septentrionali, è lacu: quidam subterraneo meatu à Nilo cum derivari scribunt: indicium esse, quod singulis annis exundet eodem tempore, quo Nilus. Ostium unum est in latitudine xi eadem, qua fons. Sed remotissimum ab Æquatore est xv latitudinis. Fluit ab Oriente in Occidentem. Abscondit se alicubi sub terram & iterum emergit. Tractus ejus est 600 circiter milliar. German. Sed minor erit, si

insignes ejus curvaturas omnino negligas; major, si omnes adnumeres.

3. GANGES, in Asia. Fons ejus remotissimus ponitur in latitudine Septentrionali 43 graduum in Tartaria (sed quidam retrahunt ad 33 grad.) Ostium in latitudine eadem 22 gr. Fluit à Septentrione in Austrum. Tractus est 300 circiter milliarium Germanicorum. Exundat singulis annis.

4. OBIUS, fluvius Asiæ, ingens & ubique latus. Fons in 48 gradu latitudinis Septentrionalis ponitur in Tartariæ montibus prope turrim lapideam. Ostium in 69 gr. latitudinis. Tractus est 400 circiter milliarium Germanicorum, neglectis curvaturis. Divaricat se in duo brachia in Siberia, vel potius ramum de se emittit, qui curso peracto itinere redit in illum, atque sic insulam efficit, in qua à Moscis & Siberis extructa est urbs, dicta Jorgoet.

5. JENISCEA, fluvius Asiæ, hactenus ignotus Geographis, sed à Moscis observatus. Multo major deprehensus est, quam Obius, à quo versus ortum abest itinere x hebdomadum versus Tartariam: ad ejus ripam Orientalem juga montium longo tractu exportriguntur: in Occidentali ripa habitat populus quem Tingæsos appellant. Singulis annis exundat in vere ad 70 milliaria in terras Occidentales, quo tempore Tingæsi cum pecore suo & supellectile se conferunt in montes ripæ Orientalis. Fons & ostia ignorantur: tractus non minor esse putatur, quam Obii fluvii.

6. PESIDA fluvius, aliquot dierum itinere versus ortum à Jeniscea remotus: ejus Orientalis ripa existimatur attingere Chinam & regnum Cathaiæ, si modo hoc existit. Fons & ostia ignorantur: non quidem est è maximorum fluviorum numero: Sed hic pauca de eo monui, quoniam à Geographio nullo hactenus ejus mentio facta fuit,

fuit, sicut etiam de Jeniscea & Yrtiis fluvio.

7. Fluvius ORELLANA, in America, Rio de Orellana (à Francisco Orelli) censetur inter maximos totius Telluris. Fons in regno Peru, provincia Quito, in latitudine 12 gr. australi (non hoc omnino certum est:) ostium XV leucarum in latitudine 2 gr. australi. Tractus dicitur esse 1500 leucarum Hispanicarum, propter magnum flexuum numerum, cum revera non superet 700 leucas. Alii confundunt cum eo, vel ejus ramum esse volunt fluvium Maragnon. Latus alicubi est 4 vel 5 leucarum, sed non tam ex fonte, quam pluviis in montanis Peru cadentibus aquas accipit, unde mensibus siccis illorum montium non vehit aquæ multum, de quo vide Cap. Et quidam moderni multum detrahunt de ejus magnitudine.

8. Fluvius argenteus, ARGYROPOTAMUS, Rio de la Plata, Brasiliæ. Fons in montanis Peru. Ostium in latitndine 37 gr. australibus, idque esse dicitur 20 leucarum: Sed quando exundat plurima ostia habet, quæ quidam pro uno numerant: alio tempore non vehit multum aquæ. Incolæ vocant Paranaguasu, hoc est, Aquam tanquam mare, ut quidam annotant.

9. OMARANNAN, itidem Brasiliæ fluvius, è montanis Peru profluens longo tractu. Tres hi magni fluvii Brasiliæ, nempe Orellana, Argenteus, Omarannan, in mediterraneis locis Brasiliæ alicubi coëunt in quibusdam lacubus, & ex iis rursus emergunt sejuncti.

10. CANADENSIS, sive fluvius S. Laurentii, inter Canadam & novum Belgium fluit in America Septentrionali. Fons in lacu qui dicitut *des Iroquois*: ostium amplum in 50 gr. latitud. Septentr. magna ejus est latitudo: tractus non minor 600 milliaribus Germanicis.

Propositio XXVIII.

In quorundam fluviorum alveis reperiuntur voragines & gurgites.

Sic in fluvio Sommona Picardiæ inter Ambianum & Abbavillam cæcus gurges est, in quem aquæ tanto impetu præcipitant, ut sonitus ad aliquot milliaria audiatur. Plura exempla colligant studiosi harum rerum.

Propositio XXIX.

Aqua fluviorum est levior, quam marina.

Causa facilis est cognitu, nimirum marina multum salis gerit.

Inde fit, ut quædam in fluviis mergantur ad fundum sive subsideant, quæ mari natabant vel fluitabant, quod frequenter accidit in navibus valde oneratis, quæ à mari sustinentur; in fluviis, ubi fere in portu navigant, merguntur. Varia autem est proportio inter hasce aquas, quia neque marina ubique ejusdem gravitatis, neque diversorum fluviorum aquæ. Est tamen proportio circiter, quæ 46 ad 45, ut 46 unciæ aquæ fluvii æque ponderent 45 marinis.

C A-

CAPUT XVII.

De Aquis mineralibus, Thermis & Acidulis.

Quoniam multæ liquidorum sive aquarum sunt species, quarum peculiares proprietates admirantur homines, ideo Geographi de illis quoque solent agere, sed omnes hactenus præter nudam appellationum recitationem, & recensionem quorundam mirabilium fontium nihil solidæ cognitionis adjunxerunt. Nos vero magis clare & cum causarum explicatione hæc tractabimus.

PROPOSITIO I.

NUlla aqua pura est & elementaris, sed continet sive admixtas habet particulas, quales in terrestribus corporibus reperiuntur, non tamen particulæ hæ terræ sunt, sed variæ, spiritus, olea, &c. Mineralis autem aqua vocatur illa, quæ tòt talesve particulas diversæ ab aquâ naturâ continet, ut ex eis nanciscatur vel habeat insignes qualitates, quas sensu deprehendimus, sive sensu notabiles admodum vel sensum sentientes proprietates.

Propositionis veritas per experientiam manifesta est, & tam ex saporum differentiis quam ex ipsa destillatione probatur: atque omnes Physici consentiunt, aquam simplicem, sicut & alia elementa ab aliis secreta, in natura non existere. Causa est varia & perpetua particularum agitatio. In aquis autem, ut in specie de nostra materia dicamus, causa admixtionis heterogeneorum spirituosas particulas accipiunt. Pluvia vero & ipse aër aquam tangens multis diversis particulis constant.

Aquæ itaque universæ admixtas habent alterius naturæ particulas: sed non in omnibus eadem harum copia. In Rhenum quidem, Danubium, Albim, atque in omnes majores fluvios influunt alii rivi impregnati mineralibus particulis, & quidem tali copia ut sensum feriant: sed quia præter hosce multi alii rivi in eos influunt non impregnati tali ad sensum notabili copia particularum heterogenearum, & præterea maxima pars aquæ, quam vehunt, ex pluvia est & aëre, ideo quoque in istis majoribus fluviis non manifeste sentiuntur particulæ illæ heterogeneæ, quas diximus illos accipere; sed arte debent ab illis separari, si quis illas ad sensum cognoscere velit. Cæterum *illas demum minerales appellabimus, quæ aliquam insignem proprietatem præter vulgarem aquam habent*, hoc est, quæ heterogenearum particularum talem continent admixtionem, ut insignem & sensibilem inde possideant qualitatem.

Propositio II.

Aquæ minerales triplices sunt.

Quædam corporeæ (deest aptius vocabulum), aliæ spirituosæ, reliquæ simul corporeæ & spirituosæ. Aquas corporeas minerales voco, quæ continent particulas solidas & fixas mineralium sive fossilium, ita ut hæ ab aqua separari & visu cognosci possint. Corporeæ hæ duplices sunt: quædam particulas illas fossilium sive mineralium vehunt insignis magnitudinis, ut sine aliqua opera, vel levi certe, in aqua conspiciantur, neque sunt proprie loquendo aquæ commixtæ. Tales sunt, de quibus in præcedenti capite, diximus, quod in eorum aqua granula auri, argenti, &c. contineantur, qui fluvii propterea dicuntur auriferi, argentiferi, &c. Verum hæ aquæ non sunt, proprie loquendo, appellandæ minerales, quo-

quoniam non habent illas particulas sibi commixtas, sed liberas, neque ab illis ullam accipiunt proprietatem vel qualitatem: quoniam tamen tales quoque fluvios homines admirantur, & habet illorum explicatio magnam affinitatem cum aquarum mineralium proprie dictarum enodatione, ideo sub generali mineralium appellatione comprehendere volui. Possunt ad hanc classem reduci fontes bituminosi, &c.

Coporeæ vero minerales aquæ, magis proprie dictæ, sunt, quæ solidas quidem particulas fossilium continent, sed adeo exiguas, & parvas, penitusque commixtas, ut visu non statim dignoscantur, sed vel arte vel longo temporis tractu subsidentes & concrescentes in sensilem collectionem sive copiam redigantur, ut sunt fontes salsi, sulphurei, &c. & aquæ Chymicæ, in quibus metalla dissoluta.

Aquæ spirituosæ sunt, quæ volatilem tantum Spiritum, qualis in mineralibus reperitur, non vero fixas particulas continent, & propterea nullæ ex illis possunt elici visu notabiles.

Aquæ corporeæ simul & spirituosæ dicentur à nobis illæ, quæ & fixas sive solidas & volatiles seu spirituosas mineralium particulas in se habent. Specierum harum exempla afferemus in seq.

PROPOSITIO III.

Quomodo aquæ minerales generentur, explicare.

1. Si aqua feratur rapido cursu per subterraneos meatus, in quibus terræ metallicæ & minerales minus densæ sunt, manifestum est, quod ab ab hisce aqua illa abripere potest & secum avehere granula istorum mineralium. Hæc itaque est generatio aquarum mineralium corporearum grana vehentium.

2. Si sint mineralia imperfecta, vel minus densa, ut vitriolum, sulphur, &c. vel etiam salia, quæ sua natura facile uniuntur aquis, per talium mineralium terras sive fodinas si feratur aqua aut rivus, vel si rependo per hasce terras (sine alveo vel ductu, ut in generatione fontium explicavimus capite præced. proposit.) aqua perveniat ad fontem, habebit hæc admixtas atomos istorum mineralium, & erit aqua mineralis corporea subtilis commixtionis secundum atomos. An vero aqua possit atomos metallorum per istum modum sibi unire, dubitatur, quoniam ea dura sint & solida, neque facile uniuntur aquæ. Ego fieri id posse existimo, sed non ab aqua simplici, sed à vitriolata & salsa spirituosa, quæ similis sit aquæ fortis Chymicorum. Sicut enim hæ aquæ fortes solvunt metalla in atomos & sibi intime uniunt, ita ut non ad fundum cadant, nisi arte separentur: ita quoque si tales aquæ ferantur per terras metallares, poterunt metallicas particulas in atomos solvere & sibi unire. Hoc itaque modo explicata est generatio aquarum mineralium corporearum secundæ classis.

3. In terræ visceribus antequam generentur metalla, vapores & fumi condensantur ad extantes petrarum angulos, quibus adhærent; & primo mollem in substantiam coëunt, deinde condensantur. Si itaque aquæ ferantur vel repant per terras, ubi tales vapores sunt & excitantur, imprægnantur illis, & ita fiunt aquæ minerales spirituosæ metallicæ. Mineralia vero imperfecta alio modo efficiunt aquas minerales suæ naturæ, nimirum quia ipsa à calore subterraneo vel proprio calefacta emittunt spiritus, vapores, ut sulphur, vitriolum, sal, carbones, &c. Et tales fumi & exhalationes continue fiunt in locis talium mineralium; per quæ si aqua repat, imprægnabitur illo spiritu.

Sunt

Sunt qui existimant, spirituosas hasce aquas generari posse à sola delatione per metallicas terras, vel à diuturna mora super eas sive in fodinis earum: sed certum est ex experientia, quod aquæ nullam accipiant à metallis & mineralibus qualitatem, si vel centum annis hæc in illa immersa jaceant. Opinione itaque hac rejecta, dicemus generari illas aquas, sive spiritum accipere, 1. A semine metallorum, ut ita dicam, sive à primordiis. 2. Vel dicemus illas aquas jam impræg̃natas esse aliis subtilibus spiritibus vitrioli, salis, quorum beneficio è duris metallis extrahatur spiritus: sed huic causæ vel modo generationis minus tribuo, quia iterum de generatione aquæ spirituosæ mineralis vitrioli & salis quæstio erit.

4. Ex hisce simul patet, quomodo aquæ minerales, quæ simul corporeæ sunt & spirituosæ, generentur.

PROPOSITIO IV.

Aquarum mineralium innumeræ sunt species pro varietate & diversitate particularum, quas continent ex diversis mineralibus.

In præcedenti Propositione ostendimus & explicavimus, quomodo aquæ minerales accipiant particulas illas (ex quibus admirandæ earum qualitates oriuntur), à mineralibus sive fossilibus. Quoniam itaque variæ sunt mineralium species, inde fit ut etiam variæ sint & qualitatibus admodum differentes aquæ minerales, imo infinitæ fere. Neque enim ab una tantum mineralis specie singulæ aquæ sunt impræg̃natæ, sed simul à pluribus plurimæ. Quare aquæ minerales erunt simplices vel mixtæ. Et mixtæ vel è duobus vel è tribus è quatuor vel è pluribus fossilibus aliquid habebunt.

Inde 1. aquæ metallicæ, nempe aureæ, argenteæ, æreæ, ſtanneæ, plumbeæ, ferreæ.

2. Aquæ ſalium, nempe ſalis communis, nitroſæ, aluminoſæ, vitriolatæ, &c.

3. Aquæ bituminoſæ, ſulphureæ, antimoniales, carbonum, ambræ, &c.

4. Aquæ terrarum & lapidum, nempe calcariæ (quæ è lapide calcario acceperunt particulas) cretaceæ, ochræ, cinnabaris, marmoreæ, alabaſtrinæ.

5. Aquæ Mercuriales, &c.

Denominationes hæ ſive ſpecies aquarum intelligendæ ſunt juxta triplicem modum, quo in Propoſitione ſecunda diximus aquas minerales eſſe, ſiue ex foſſilibus particulas accepiſſe, nempe 1. aliæ corporeæ, & quidem vel ad ſenſum manifeſtum, vel corporeæ per ſubtilem & accuratam commixtionem. 2. aliæ ſpirituoſæ. 3. aliæ corporeæ ſimul & ſpirituoſæ. Hæ differentiæ ad ſingulas mineralium aquarum ſpecies applicandæ ſunt. Nimirum (ut uno vel altero exemplo id oſtendamus) aureæ aquæ ſunt 1. corporeæ quæ grana auri vehunt ejus magnitudinis, ut in ſenſum incurrant levi opera, neque ea ſibi admixta accurata cohærentia habent. 2. corporeæ quæ admodum exiguas auri particulas, & quidem arcte ſatis ipſi aqua commixtas poſſident, quales exiſtere puto, etſi in natura auri vel minima granula in aqua petunt fundum, poſſe tamen tales eſſe, manifeſtum eſt ex aqua regia Chymicorum, in qua aurum in atomos diſſolutum eſt. Sed hæc aqua regia non eſt ſimplex: ideo neque aquæ illæ, quæ in natura reperiuntur admixtas habere atomos auri, aliis mineralium particulis carent. 3. aureæ ſpirituoſæ, quæ ſpiritum & vaporem in terra conſepit, ex quo aurum generari ſoleat. 4. aureæ corporeæ ſimul & ſpirituoſæ, quæ & atomos

auri

auri & vaporem generandi auri possident.

Eodem modo quadruplicem hanc differentiam applicare debent lectores ad singulas aquarum mineralium species tam simplices, quam mixtas, (unde innumeræ species existunt, quandoquidem vel corpora fossilium, vel spiritus, vel unius corpus cum alterius spiritu sunt conjuncta in aqua.) Sic aquæ plumbeæ quadruplices, nempe 1. corporeæ manifesto. 2. corporeæ subtili mixtione. 3. spiritu plumbi infectæ. 4. spiritu simul & atomis plumbi imprægnatæ. Sic ad vitriolatas, sulphureas, Mercuriales aquas, &c. applicandæ sunt quatuor illæ diversæ participationes mineralium, & magis quidem ad hasce, nempe ad salsas, vitriolatas, sulphureas, quoniam in hisce ipsa natura quadruplicem istam varietatem exhibet; in metallis dubito, an corporeæ subtilis mixtionis existant per naturam: raræ quoque sunt spirituosæ metallicæ: sed frequentissimæ sunt aquæ salium, sulphuris, &c. tam corporeæ quam spirituosæ, quoniam & in pluribus terræ locis hæc fossilia reperiuntur, & in majori copia, & facile patiuntur abradi particulas suas, fumum quoque & vaporem frequenter emittunt. Explicabimus exemplo uno quadruplicem hanc varietatem participationis, & quidem in auro 1. In capite præcedente Propos. XVI enumeravimus rivos, qui grana auri vehant, & gaza hac accolas exhilarent, quales in Tirolensi Comitatu & vicinis locis multi sunt, & diximus, ipsum Rhenum, Albim, Danubium atque majores fluvios plerosque in quibusdam locis vehere grana auri (sicut etiam aliorum metallorum & mineralium); quoniam rivos auriferos accipiunt. Rhenus auri granula luto & arenæ commixa vehit plurimis locis, sed præcipue ad hæc: 1. Prope Curiam in Rhætia. 2. Ad Meinfeldiam. 3. Ad Eglinsau. 4. Ad Seckingam. 5. Ad

oppi-

oppidum Augst, non procul à Basilea. 6. Ad Novioburgum. 7. Ad Seltz. 8. Ad Wormatiam. 9. Ad Moguntiam. 10. Ad Bacherach. 11. Ad Bononiam, &c. Rivos auriferos, quos Rhenus accipit, videre poterunt lectores in Thurnheusero, sicut etiam illos, quos Danubius & Albis. In hujus, Albis nempe, aqua, reperiuntur granula auri, 1. Ad Leutmeritz in Bohemia. 2. Ad Pum. 3. Ad Dresdam in Misnia. 4. Ad Torgam. 5. Ad Magdeburgum. 6. Ad arcem Lauenburg, quinque milliaribus ab Hamburgo. Plurimos auriferos rivos vide in citato Thurnheuseri libro, ubi etiam aliorum metallorum & mineralium vectrices videre poteris.

Hæ itaque aquæ sunt aureæ corporeæ primi modi, nempe granosæ, quæ minus proprie minerales vel aureæ dici possunt, quoniam aurea granula non sunt aquæ permixta, sed tantum à rapido vel celeri cursu aquæ devehuntur: & ipsæ aquæ simplices sunt. 2. Aquæ aureæ corporeæ, subtilis commixtionis, nempe cujus aquæ atomi permixtæ sunt & unitæ atomis auri, sicut diximus esse aquas Chymicorum Regis, quæ aurum dissolvunt & sibi per atomos uniunt. Quoniam itaque in natura esse possunt aquæ similes aquis chymicorum, si illæ per aureas terras, vel fodinas ferantur, abradent & dissolvent quasdam ab eis atomos aureas cum terreis. Tales aquæ aureæ esse videntur plurimi rivi, quos Thurnheuserus auri participes esse scribit & enumerat in Descriptione Danubii, Rheni, &c.

3. Aquæ aureæ spirituosæ paucæ sunt & nonnullæ fortasse ex iis, quas enumerat nominatus Thurnheuserus. Minus autem sensiles vel notæ sunt tales aquæ, quoniam raræ & in parva copia sunt aureæ terræ & fodinæ, præterea, ubi sunt minia, aliorum mineralium copia simul adest, unde

aqua

aqua multo plures spiritus accipit. Participes tamen spirituum aureorum statuuntur rivi quidam in altis Bohemiæ Alpibus, in Silesia & monte, quem vocant *Fichtelberg:* piperinæ quoque thermæ in Curiensi Episcopatu imprægnatæ esse creduntur tali spiritu, sed propter aliorum admixtionem in majori copia minus sensilem qualitatem aquæ acceperunt ab illo.

4. Aquæ aureæ, quæ simul & atomos auri & spiritum vehant, sunt quædam ex rivis à Thuthheusero annotatis.

Addamus exemplum aquarum salsarum.

1. Salsæ corporeæ, quæ nempe particulas salis crassiores neque accurate mixtas vehunt, plurimæ sunt, & satis cuivis notæ, ut fontes quidam ex quibus sal conficitur: ipsa marina aqua huc pertinet, si crassior facta sit ignis calore.

2. Salsæ corporeæ subtiles, quæ in minimas atomos redactum sal continent, sunt illæ, quæ cum salsissimæ sint, tamen admodum pellucidæ & subtiles existunt, sicut fontes multi salsi & aqua marina tenuis: etsi in hac subtili commixtione magna sit differentia: pertinet huc omnium animalium urina.

3. Salsæ spirituosæ, quæ non salis particulas, sed spiritum salis continent, tales sunt, ut si vel multa dolia earum coquas, nihil tamen salis accipies, quales non paucæ in Germania, & alibi, sed raro simplices inveniuntur.

4. Salsæ corporeæ simul & spirituosæ, quæ & salis particulas & spiritum habent.

Omnes fere corporeæ habent quoque aliquam spirituum salinorum portionem, sed pleræque exiguam. Ita ad urbem Saltzingam prope Rhenum fontes salsi sunt, quorum aqua etsi aliis aquis sit salsior, tamen minus salis largitur, quoniam acris ejus & salsus sapor acuitur

à spiri-

à spiritibus sive sale volatili, qui in coctione a-volat.

Ex hisce patet, quomodo quadruplex ista differentia participationis sit applicanda ad singulas aquarum mineralium species, nempe ad aquas vitriolatas, aluminosas, plumbeas, &c.

Propositio V.

Differentias celebriores aquarum mineralium enumerare.

In præcedentibus Propositionibus explicavimus veras mineralium aquarum species & differentias, desumtas ab ipsa earum essentia, nempe à particulis mineralium, quas vehunt, sive quibus impræguatæ sunt. Verumenimvero illæ differentiæ quoniam non ita incurrunt in sensus, & præterea propter variam mineralium mixturam varias aquis proprietates communicant, ideo minus vulgo sunt notæ, quandoquidem à manifestis sive in sensum incurrentibus qualitatibus omnium corporum denominatio & aquarum celebritas oritur apud homines, quarum apertarum qualitatum & proprietatum explicario & causæ petenda sunt ex intima rerum compositione. Celebres itaque & ab hominibus vulgaribus quoque cognitæ aquarum vel potius liquorum è terra promanantium differentiæ seu species sunt hæ decem. 1. *Acidæ.* 2. *Amaræ.* 3. *Calidæ.* 4. *Frigidæ admodum.* 5. *Oleosæ & pingues.* 6. *Venenosæ, sive lethiferæ.* 7. *Coloratæ.* 8. *Ebullientes.* 9. *Convertentes res minus duras in duriores, vel alio modo corpora injecta aut tincta mutantes.* 10. *Salsæ.* 11. Hisce addi possunt illæ, quæ aliis quibusdam mirabilibus proprietatibus præditæ sunt. Ad hasce classes studiosi harum rerum redigere poterunt omnes aquas, quæ ab autoribus descriptæ reperiuntur. Nos breviter earum generationem,

tionem, differentias & quædam exempla afferemus.

PROPOSITIO VI.

Aquarum acidarum causam sive generationem, differentias & species explicare.

Magna est aquarum vel fontium acidorum celebritas vocant vulgo Acidulas, Germani Saurbrunnen.

1. *Oriuntur* ex admistione spiritus vitrioli, salis, & aluminis, quæ mineralia partim simplicia partim aliis mineralibus magis aut minus admixta in terræ cavitatibus reperiuntur, inprimis in ferro. Causam hanc acidularum veram esse, probamus 1. quia ubique fere, ubi tales acidulæ prorumpunt, reperiuntur fodinæ vitrioli, salis, aluminis. 2. quia spiritus vitrioli & salis sunt acidi, sicut etiam sulphuris quidam spiritus, ut notum est ex Chymia. 3. quia ex aquis hisce acidulis nullum corpus acidum, sed spiritus separantur, qui omnino similes sunt spiritibus vitrioli, salis, &c.

2. *Magna est acidularum copia* in variis regionibus, præcipue ubi fodinæ abundant. In sola Germania numerus earum ad millenarium fere accedit. Causa est, quia spiritus acidus omnibus fere corporibus inest; quoniam elementarem eum esse diximus capite VII, Propositione 1. Reperitur in omnibus herbis & fructibus.

3. Differentia acidularum insignis deprehenditur. Quædam adeo acidæ, ut aceti loco illis utantur homines, qualis fons in Siciliæ provincia Nicana invenitur: in Germania fons ad Ellebogam insignis aciditatis. Alii acidi fontes appellantur vinosi, quod aciditate sua referant vini gratissimum saporem, inter quos insignis est ille, qui in Comitatu Germaniæ Catzenelebocensi ad oppi-

dum

dum Schwalbach invenitur. In agro Lugdunensi Galliæ ad oppidum S. Baldomari fons, dictus fortis. (*Fontaine forte*) vini penuriam supplet, & si ejus una quarta pars vino misceatur, nil vini sapori deperit: si affundatur farinæ, fermentat statim: non possunt in ea coqui cibi: avolat enim propter subtilitatem: salubris est, adeo ut oppidani raro utantur Medico.

In Aquitania non procul ab urbe Bessa similis fons acidulus vinosus, cujus aquæ si tantum sextam vini partem misceas, merum te bibisse credideris nulla aqua dilutum. In Romano agro acidulus fons aluminosus, vino mistus gratissimum præbet potum. Ingens est in Germania superiori acidulorum numerus, quorum quidam in Danubium, alii in Rhenum influunt. Plurimi in dicto comitatu Catzenelleboci, in Trevirensi provincia, Tirolensi, Rhætia, Vindelicia; celebris est prope Anderna, dictus Heilbrun. In agro Toletano Hispaniæ juxta pagum Valentiolam fontes sunt, qui in imo deprehenduntur acidi & vinosi saporis, in superiori parte dulces, quod Baccius fieri propterea existimat, quoniam acidæ & nitrosæ partes subsideant. Ego autem, modo vera sit traditio, fieri existimo propter spiritus subtilitatem, qui ad superficiem delatus statim exspiret.

Alii aciduli fontes sunt astringentes & palatum contrahentes, quod indicium est ferrearum particularum & chalcanthi sive vitrioli admixtionis, ut etiam aluminis, &c.

Acidulorum fontium aqua cælo nebuloso & pluvioso minus acida deprehenditur, quod indicium est aëris condensati admixti.

Item si calori exponatur aqua illa, vel si in vase aperto ster aliquot horis, vel longo itinere non bene tecta frigidis vasibus portetur, amittit statim aci-

aciditatem ; quod indicium est à subtili Spiritu dependere illarum aciditatem.

Habent tamen etiam atomos ipsius vitrioli, aluminis, ferri, salis, atramenti, &c. & argillæ, sabuli, &c. Hoc probatur ex ea materia, quæ conspicitur adhærescere Canalibus, per quos fluunt fontium horum aquæ.

Exempla studiosi sibimet colligant ex autorum lectione. In Rhenum influunt acidi fontes sive rivi ad minimum ducenti: sed propter spirituum subtilitatem nihil in Rheno sentitur aciditatis.

Cur in locis Septentrionalibus nulli aciduli fontes sint, quæres? Causam esse puto defectum caloris subterranei & nimiam densitatem terrarum: sicut ob illam causam quoque fit, ut nullum vel exiguum in illis regionibus aurum inveniatur.

PROPOSITIO VIII.

Fontium calidorum, quos thermas appellant, generationem explicare, & celebrium loca.

Germani vocant, Warmbad. Celebres sunt, fons Islandiæ omnium fervidissimus judicatus, quippe cujus aqua, nil differat ab ea, quæ igne ad summum caloris gradum perducta. Sed in Japonia fontem adeo fervidum prorumpere scribit Caronius, ut ignis vehementissimi licet fervore nulla aqua ad eum gradum fervoris perduci possit; triplo etiam diutius retinere aquam, quam nostra aqua calefacta consueverit. Fluit non continue, sed bis de die per unam horam cum ingenti spirituum impetu, & stagnum efficit, quod ex alio cognovi appellari ab incolis singacko, hoc est, infernum.

Post illum insignes calore fontes sunt sive thermæ Badenses in Helvetia, huic succedunt thermæ Apponenses in Italia. Vulgarium magnus in Germania

mania superiori est numerus, sicut etiam aliis in locis. In Scotia lacus est & fluvius Nessa, qui calidus quidem non est, nunquam tamen frigore congelatur.

Causa & generatio thermarum est, 1. Admixtio sulphurearum particularum dum aqua per subterraneos meatus fertur, vel potius dum repit per fodinas sulphureas ad collectionem circa fontes. 2. Fumi vapores & exhalationes inter terram, ubi sulphur est, purum vel impurum, ut carbones fossiles, succinum, &c. Etenim hæ materiæ continue fumum calidum emittunt, quæ aquas istuc delatas vel per ista loca prorepentes calefaciunt. Plurimis tamen & plerisque thermis admixtæ sunt particulæ aluminis, ferri, nitri, unde etiam acidiusculum & adstringentem saporem habent. Thermæ omnes fere, quas novimus, sine cessatione fluunt, exceptis piperinis Germaniæ, quæ in Rhetia non procul à Curia celebres sunt, & præter sulphur continent etiam auri aliquid & nitri non parum. Erumpit harum thermarum aqua quotannis circa tertium Maii: definit fluere die XIV Septembris circiter. Celebres thermæ in Germania sunt Plumbariæ in Lotharingia, Emsebadæ supra Constantiam, in Alsatia prope Gebersweilum, in Marchionatu Bada. In Wirtebergensi Ducatu, Wildbad. Cellenses; Blasianæ prope Tubingam, &c. In Japonia quoque & insulis Indicis multæ sunt. In Insulis Azoribus ita fervidæ, ut ovum in eis coqui possit.

Propositio IX.

Oleosorum & pinguium liquorum è terra manantium generationem explicare, & loca Telluris, in quibus reperiuntur, enumerare.

Quidam fontes bituminosum liquorem effundunt, alii aquam pinguem, sive aquam cui guttæ oleosæ

oleosæ innatant. In Scotia duobus milliaribus ab Edenburgo fons scaturit, cui olei nigri guttæ innatant tota superficie: Incolæ eo utuntur ad cutem molliendam & tollendam scabritiem. Sic apud veteres celebre erat flumen Ciliciæ, dictum Liparis, in quo natantes vel lavantes ab ipsa aqua ungebantur. An hodie existat, dubito. Similiter Æthiopiæ lacus erat, qui unctos homines efficiebat, qui in eo nataverant: erat etiam Indiæ fons, qui sereno cœlo emittebat olei magnam multitudinem. Carthagini fons erat, in quo natabat insuper oleum odore, uti scobe, citreo; quo oleo etiam pecora solebant ungi. Zacyntho & circa Dyrrachium atque Apolloniam (teste Vitruvio) fontes erant, qui picis magnam multitudinem cum aqua vomebant. Babylone lacus amplissima magnitudine, qui Limne asphaltis appellatur, habebat supernatans liquidum bitumen, quo bitumine & latere testaceo structo muro Semiramis circumdedit Babylonem. Hodie quoque ad Monasterium Bavariæ Degemsee fons est, cujus superficiei oleum innatat & quotidie aufertur. Magni quoque in Syria & Africa lacus sunt, qui maximas moles bituminis emittunt. Acidulis quoque Schwalbacensibus vase exceptis si per aliquot horas quietæ fuerint, guttulæ exiguæ olei innatant. Major ejus copia in fonte quem vocant Oelbrunn non procul ab Hagenaw ad pagum Lamperschloch. In multis etiam thermis reperiuntur bituminosæ particulæ si quietæ steterint per aliquot dies: In regni Neapolitani thermis quæ dicuntur balneum Petrolei.

Fontes autem, qui non oleum aquæ innatans, sed merum pinguem seu bituminosum liquorem effundunt, sunt etiam plurimi. Prope Gersbachium in vallo dicta Lebersthal ex antiquata & exhausta fodina crassum oleum seu bitumen profluit,

fluit, quo rustici illinunt axes curruum, neque incolæ ejus excellentiam norunt: Thurnheuserus docet ex eo parare nobile balsamum. In Sumatra insula fons est, ex quo naphtha instar olei manat; alii balsami speciem esse dicunt: Ambræ quoque fontes ibidem esse dicuntur. In Peruvia prope mare fons bituminosus rivum in mare emittens; incolæ utuntur picis loco, neque alia utuntur materia. In Persia non procul à Schimachia ad excelsum montem Barmach in valle fontes bituminosi seu naphthæ triginta circiter, sed in profundis puteis scaturientes cum impetu: profunditas est duarum circiter majorum ulnarum (Klaffter); additi ad descensionis commoditatem gradus lignei: emittit sulphureum validumque spiritum: duplicis est coloris, in quibusdam rubri, in aliis albi coloris, hujus odor gratior.

Causa horum bituminosorum fontium est sulphurea & bituminosa materia in terræ visceribus à calore & spiritu liquefacta atque protrusa. Differentiarum causa ex ipsorum pinguium mineralium differentiis, ut succinum, ambra, oleum petrolei, pix, naphtha, bitumen, &c. petenda est.

Propositio X.

Aquarum amari saporis generationem explicare, & loca Telluris, in quibus reperiuntur, enumerare.

In Coromandelii littoris Indiæ regionibus fontes & putei multi aquam habent amaram, etsi ex petris fluant vel in petris scaturiant. In Ponto sive Asiæ minoris provincia parvulus rivus ad Callipadum oppidum, dictus Exampeus, amarus admodum, reddit Hypanem fluvium, cui influit, amarum. Plura exempla lectores ipsimet colligant.

Oriuntur ab impuro sulphure, bitumine, nitro, atra-

atramento, cupro: sicut aqua in vase cupreo diu relicta acquirit amarum saporem. Quod vero Molina in descriptione Galæciæ tradit, non fit mihi verisimile, nempe in Hibernia lacum esse, cujus aqua per semissem diei sit dulcis, altera semisse sit amara.

Lacus Asphaltites Palæstinæ, quem mare Mortuum vocant, amaram aquam habet propter impurum bitumen, unde ad pingues aquas prioris Propositionis referri debuisset. Tetrum emittit odorem & vaporem: Omnia vitâ carentia trahit in fundum; Animalia autem non sinit fundum petere: neque dulcescit, etsi Jordanum continuo fluentem absorbeat: venenatus est, quia arsenicum continet.

PROPOSITIO XI.

Fontium admodum frigidorum causam explicare & loca Telluris, in quibus reperiuntur, enumerare.

In Delphinatu Galliæ, non procul à Vienna fons est tantæ frigiditatis, ut bibentibus ora intumescant, neque manus in eo contineri queant: non minuitur exhausta aqua, nec augetur ab infusa. In Troglodytica Arabia vel Æthiopia fontes frigidissimi, etsi magnus Solis ibi sit æstus. In Stiria, quatuor milliaribus à Gretz fontes tam frigidi in profundo scaturientes, ut nemo possit ex eis fluentem vel haustam aquam potare.

Primo lapide à Culma fons magno spiritu emittit aquam quasi ferventem, cum tamen sit frigidissima, unde vocant insanam.

Causa horum fontium frigiditatis est, 1. Admixtio nitri & aluminis, item Mercurii, ferri, &c. 2. Profunditas scaturiginis, propter defectum radiorum solarium & sulphurei subterranei caloris.

Sunt etiam fontes quidam, qui alternatim sunt calidi & frigidi. In Catalonia lacus & fons Sal-

sula hyeme tepidus, æstate frigidissimus. Hoc illi cum multis commune est. Cansam esse puto, quod æstate poti Telluris sunt aperti, per quos calidi spiritus erumpunt: hyeme clausi, unde intus coërcentur calidi furni, qui aquam calefaciunt. Ita quidam fontes nocte sunt calidiores, quam die.

Propositio XII.

Earum aquarum, quæ corpora in aliam speciem mutare videntur, generationem explicare, & locæ Telluru, ubi reperiuntur, enumerare.

Quædam aquæ sunt, quæ lignum mutant in durissimum lapidem. In Hibernia supra Armacanum urbem in stagno haud amplo hasta lignea defixa si aliquot mensibus hæreat, pars luto infixa ferrea erit, pars quæ tingitur aquis, versa erit in cotem: reliqua manet lignum. Ita narrant Gyraldus & Maginus: sed Brietius meram esse fabulam dicit nescio quo autore. In boreali Ultoniæ (Hiberniæ provincia est) parte fons est, qui ligna per septennium immersa obdurat in lapidem. Loquiæ aquæ (*à Loches*) in Belsia Galliæ provincia indurant omnia immissa in lapidem. Ad urbem Senonensem Burgundiæ prope lacum fons fluit, cujus aquæ durescunt in lapidem. Vitruvius in Cappadocia inter Mazacam & Tuanam esse dicit lacum amplum, qui immissam arundinem vel lignum mutat in lapidem uno die. In Bohemia prope thermas Caroli fons est, in quo lignum diu jacens mutatur in lapidem. Similes aquæ in plurimis locis reperiri diversi autores referunt. Aliæ aquæ ferrum in cuprum mutare putantur, quod tamen revera non faciunt, sed quia ipsæ aquæ vitrioli & cupri particulas & spiritum vehunt, ideo ferri particulas dissolvunt & paulatim auferunt, quod dum faciunt, cupreæ aquæ particulæ in ablatarum

latarum ferrearum locum reponuntur sive ibi hærent, dum allabuntur cum fluente aqua.

Illarum vero, quæ ligna in lapidem mutant, aquarum ratio hæc est. 1. Quædam non mutant ipsa ligna in lapidem, sed terreæ & lapideæ atque salinæ particulæ in aquis contentæ applicant se ad ligna, atque ita lapideo quasi tegmine obducunt ligna, non vero ea revera immutant. 2. Quædam non in lapidem ligna vertunt, sed lapideam duritiem lignis inducunt, quod quidem facere possunt aquæ quædam minerales. 3. Si vero aquæ quædam ligna vere mutaverint in lapidem, concipio istud hoc modo fieri. Inter lignum & lapidem ea præcipua differentia visu deprehenditur, quod in lignis sunt quasi longæ fibræ, quibus particulæ cohærent, & eæ minus densæ: in lapidibus autem particulæ granorum instar vel atomorum sunt sine certa in longas fibras extensione. Si itaque aqua aliqua particulas in ligno cohærentes secundum oblongam lineam dissolvat & quasi comminuat, ut jam non amplius isto modo cohæreant, sed tamen magis condensentur, non erit amplius magna inter lignum & lapidem differentia ut oculis notari possit: verisimile tamen est; aquas hasce minerales aliquam substantiam ipsis lignis communicare.

Aliæ aquæ sunt, quibus narratur inesse facultas mutandorum colorum in pilis & crinibus hominum & brutorum. In Momonia Hiberniæ provincia fontem esse tradit Gyraldus, cujus aquis si quis abluatur, statim canus efficitur, atque se vidisse, cujus pars barbæ lota cana erat, altera priorem retinebat colorem.

PROPOSITIO XIII.

Aquarum venenatarum & lethiferarum causam expli-

expticare, atque loca Telluris, ubi reperiuntur, enumerare.

Talis est lacus Asphaltites propter arsenicale bitumen. Olim celebris erat Terracinæ fons,, qui Neptunius vocabatur, in Volscorum regione, ex quo qui bibebant, vita privabantur; ideo ab accolis lapidibus injectis obstructus fuit. Apud Cychros in Thracia lacus fuit, ex quo non solum qui biberint, moriuntur, sed etiam qui laverint. In Thessalia fons profluit, ex quo nec pecus ullum gustat, nec bestiarum genus ullum propius accedit. In Macedonia non procul ab Euripidis sepulchro similem fuisse mortiferam aquam tradit Vitruvius. Celeberrima vel infamis est aqua, quam in Arcadiæ regione dicta Nonacris è rupibus saxeis stillasse scribunt veteres frigidissimam, & stygiam vel infernalem appellatam, quam neque argenteum, neque æneum, neque ferreum vas potuerit sustinere, sed dissilire & dissipari: conservare autem eam & continere nihil aliud potuisse, nisi mulinam ungulam, atque ista aqua interfectum ab Iolla filio Antipatri fuisse Alexandrum Magnum non sine Aristotelis infamia scribunt Historici. In Alpibus quoque in Cotri regno aquam fuisse Vitruvius scribit, quam qui gustabant, statim conciderint. Hodie non pauci mortiferi reperiuntur in locis sive regionibus ad Alpes, sed plerique lapidibus obstruuntur, quæ causa est, cur adeo pauci lethiferi fontes noti sint.

Cæterum generatio talium aquarum fit, si aquæ repant vel fluant per arsenicales, mercuriales & antimoniales terras, atque earum fumis impregnentur. Sicut enim fumus arsenici necat viventia, ita aquæ tali fumo impregnatæ idem præstant.

PRO-

PROPOSITIO XIV.

Aquarum Coloratarum generationem explicare & differentias, atque loca Telluris, in quibus reperiuntur, enumerare.

Ad urbem Chinon Belsiæ (Galliæ provinciæ) aqua è specu profluit subflava, & concrescit in lapidem. In Regno Congi Africæ rivus rubri coloris in mare labitur. In valle S. Georgii prope Sultzmat in Elsatia fons aquæ rubicundæ, dictus Rotwasser. Rubicon est in Italia, profluit è summis Alpium fastigiis; hodie *Pisatello* dicitur. Alicubi nigri, viridiusculi, &c. coloris profluunt fontes, sed pauci.

Causa coloris harum aquarum est à terris per quas fluunt vel repunt, antequam ad fontem perveniunt.

PROPOSITIO XV.

Salsarum aquarum generationem explicare, & loca Telluris, in quibus reperiuntur, enumerare.

Earum generatio duplex est. 1. Ex Oceano per subterraneos meatus ad superficiem terræ perveniunt & scaturiunt. 2. Generantur ex sale intra terram contento, qualis in plurimis locis invenitur, per quæ dum aqua repit, salinas particulas & spiritum concipit, antequam ad fontem perveniat. Magna est & cuivis nota salsorum fontium copia. In Germania sunt Hallæ Sueviæ, Hallæ Saxoniæ, Hallæ prope cento-Pontem, Hallopoli in Stiria: item in Saltzburgensi Archiepiscopatu; Salzæ in Magdeburgensi, in Lotharingia ad Saltzburgum, plurimæque aliæ in aliis locis ad centum usque fere. Diximus quoque de illis in præcedenti capite, & facilem habet hæc res cognitionem propter copiam salis ubique fere in terra latentis, cum ipsum sal elementum sit.

Propositio XVI.

Causam fontium ebullientium & cum spiritu multo prorumpentium explicare, atque loca Telluris, in quibus tales reperiuntur, enumerare.

Causa est spiritus partim sulphureus, partim nitrosus, in terra aquæ commixtus: si sulphureus, aquæ sunt calidæ; si nitrosus, frigidæ: neque enim omnes aquæ, quæ ebulliunt fervidarum instar, sunt fervidæ, sed non paucæ frigidæ, ut patet ex illa prope Culmam, insana dicta, de qua in Propos. XII diximus. Fluvius Tamayus in Galæcia oritur ex lacu: in exortu suo per aliquot anni menses edit mugitus ingentes. In Japonia fons ille fervidus mirabilis, de quo Propos. VIII diximus singulis diebus non nisi bis prorumpit per unam plerunque horam. Quando autem aqua profluere incipit, tanto spirituum impetu & vehementia fertur, ut incumbentia puteo ingentia saxa commoveat & ad trium vel quatuor ulnarum altitudinem exsiliat tanto fragore, ut explosionem magni tormenti bellici referat. In Westphalia fons prorumpit dictus Bolderborn, à strepitu.

Acidulæ quoque & thermæ pleræque cum spirituum copia exsiliunt & quasi ferventes bulliunt: in thermis id facit spiritus sulphureus, in acidis spiritus vitrioli, nitri, &c.

Propositio XVII.

Aquarum, quæ alias quasdam mirabiles proprietates habent, species enumerare & singularum causas scrutari.

Ad hanc classem omnes reduci debent, quæ ad priores species non possunt commode referri. Sic fons in Lusitania est ad locum Cadima omnia injecta absorbens: olim quoque ibi in vicinia fuit alius, omnia injecta respuens: sed is obstructus est.

est. In Andalusia non procul ab urbe Guadaiana lacum esse refert Eusebius Nirenbergius, qui indicet tempestatem futuram. Ubi enim hæc imminet, horrendis mugitibus eum perstrepere, qui sæpe ad XVIII milliaria audiantur. In Normanniæ pago Caletensi puteus est, in quem si lapidem projeceris, audies strepitum, quasi tonitrui frementis, diu cieri in putei penetralibus. Ad Alpes putei aquam præbent, ex qua accolæ bibentes strumas ingentes collo dependentes acquirunt. In regno Granadæ ad oppidum Antiquarium fons est tantæ potestatis, ut saxa dissolvat.

Prope *Tours* Galliæ urbem visuntur specus stillantes, vulgo *les Caves gouttieres*, ex quorum fornice dilapsa aqua efformatur in varias figuras, nuces, amygdala, &c.

Fons ille fervidus Japoniæ omnia adurit & exedit, ferrum, carnem, pannum, &c.

In Arcadia fons fuit olim ad urbem Clitori, cujus aqua pota reddebat abstemios.

In insula Chio fons, cujus aqua insipientes faciebat potantes. Susis in Persia fuit fonticulus, ex quo bibentes amittebant dentes. Similia exempla mirabilium fontium studiosi ex autorum lectione colligere & ad classem hanc redigere poterunt, si ad nullam priorum referri commode posse videantur; causæ petendæ sunt ex peculiari singulorum locorum situ & proprietate.

PROPOSITIO XVIII.

Fontes illos enumerare, qui stato tempore, non continuo, prorumpunt; explicare & causam & illos, qui intumescunt, & detumescunt.

Hæc Propositio non quidem ad hoc caput sed ad præcedens pertinet, quia tamen ad aquarum miracula pertinet, & in præcedenti neglecta fuit, hic explicabitur.

In Wallia Angliæ non procul à Castello Dineucer in regione Canterbocan fons est, qui intumescit & detumescit singulis diebus cum maris fluxu & refluxu.

Similiter intumescentia & detumescentia deprehenditur in fonte sito in vertice excelsi montis in Connacia Hiberniæ provincia: aqua tamen dulcis est. *Idem observatur* in fonte Lou-Zara, qui est in montanis Galæciæ dictis Cabreti, viginti leucis à mari: *item* in Aquitaniæ vico Marsaco fons est, qui æstus maris imitatur, & simul intumescit cum Garumnæ incrementis in Burdigala. *Alibi fontes* esse dicuntur, qui contra maris æstum accrescunt & decrescunt, qualem in Gadibus insula fuisse scripsere Strabo & Mela.

In Wallia prope Sabrinæ fluvii ostia stagnum est, vocant Linligunam, quod absorbet marinos æstus, dum hi assurgunt, iis tamen nullo modo repletur. At detumescente æstu, tum magno cum impetu exsurgit & aquas revomit, quibus ripas cooperit.

In Cantabria (Biscaya) fontes Tamarici quatuor sunt, quorum tres diebus singulis ita siccantur duodecies, quasi hic nulla aqua extiterit. Plinius refert. dubito an hodie reperiantur.

In Andegavensi agro Belsiæ supra Salmurium pagus est *Varaus* dictus, ex quo rivulus bis in die fluit, bis immotus stagnat.

In Sabaudia fons eximiæ magnitudinis, dictus Mirabilis, qui qualibet hora bis deficit, bis fluit, & antequam fluat, ingenti murmure prorumpit. Influit in lacum Burgitem.

In montibus de Foix (in *Languedoc* provincia Galliæ), prope pagum Bellestadium oritur fluvius Liria (*Lers*) qui mensibus Junio, Julio, Augusto, quater & vicies quotidie deficit & renascitur. Bertius ex Papyrio refert.

In

In Westphaliæ regione, quæ dicitur Paderborn, fons est, qui singulis diebus bis deficit & bis renascitur, etsi tantum aquæ effundat, ut non procul à fonte aqua circumagat trium molestrinarum rotas: erumpit cum ingenti strepitu: Est ille, quem diximus vocari Bulderborn.

In oppido Villanova Lusitaniæ visitur fons, qui fluit tantum à Kalendis Maii ad Kalendas Novembris: tunc cessat, referente Eusebio Nierembergio.

In Germaniæ provincia Wallis, non procul à thermis, quas vocant Leuckerbad, fons est dictus S. Mariæ (unser Frawen brunne). Ille fluere cessat in autumno ad diem Mariæ sacrum: redit Maio.

In Vindelicia non procul à Labach stagnum invenitur, quod æstate adeo siccum est, ut in eo serant & metant: autumno redit aqua & quidem cum piscibus; in Maio recedit. Non procul inde fons visitur prope Sitich, qui eandem proprietatem habet.

Sic *stagnum seu lacus Maron* in Palæstina inter mare Galilææ & urbem Belena invenitur, quod æstate adeo exsiccatur & altas herbas fruticesque profert, ut leones, lupi & aliæ feræ in eo stabulentur.

In Aquitania prope fanum S. Jean d'Angely fons visitur nullo pene fluente in hyeme, æstate abundanti.

Similis fons in Hispania duobus milliaribus à Vagliadolit, qui cum Maio oritur, cum initio Novembris occidit.

Thermæ omnes sine vicissitudine vel cessatione fluunt, exceptis iis quæ in Rhætia sunt, & piperinæ dicuntur: namque fluunt tantum æstate à die tertio circiter Maii ad XIV Septembris: Tunc cessant.

CAPUT XVIII.

De Mutatione locorum Aquæ & Terræ, sive de mutatione aqueæ superficiei in Terream, & contra.

PROPOSITIO I.

SUperficiem Telluris, quam aqua occupat, cognoscere quanta sit; & illam, quam Terra occupat.

Accurate hoc scire non possumus, propterea quod ignoramus, an superficiem Telluris polaris Septentrionalis & Australis mare occupet an Terra. Præterea quia superficies aquæ, ut etiam Terræ, in Globo terminatur irregulari linearum flexu, ideo difficilis admodum labor foret supputare illam superficierum (aqueæ & Terreæ) quantitatem. Sed quantum ex inspectione terrestris Globi licet colligere crassa Minerva, pares fere & æquales esse videntur aquæ & terræ superficies, ut ita superficies aquæ sit dimidia totius Telluris superficiei, atque ita etiam superficies terræ.

PROPOSITIO II.

Superficies aquæ, ut etiam Terræ, non est omni tempore ejusdem magnitudinis, sed modo major, modo minor; & cum augetur superficies aquæ, immiuuitur superficies Terræ.

Etenim mare modo hic modo illic in terras exundat, vel illas abradit & secum avehit: sic itaque augetur ejus superficies, magis aut minus, prout magnum vel parvum terræ tractum inundaverit, sicut olim Thessaliam, &c. Hæc tamen varietas, quanta quidem hactenus cognita est, exiguam rationem habet ad totam aquæ superficiem: potest autem magna fieri, ut dicemus Proposit. XVIII.

PRO-

PROPOSITIO III.

Quantum aqua Tellus contineat, & quantum Terra, supputare.

Ad accuratam & veram quantitatem aquæ & terræ inveniendam, debent prius cognita esse tam tota aquæ superficies quam profunditas in variis maris partibus: præterea subterraneæ aquarum moles debebant esse exploratæ. Quæ omnia cum nulla methodo possimus investigare, ideo neque accuratam aquæ quantitatem neque Terræ possumus invenire: sed tantum ex certis hypothesibus; nimirum ponamus aquæ superficiem esse dimidiam superficiei totius Telluris; profunditatem quadrantis vel dimidii milliaris, neque habeamus rationem aquarum in subterraneis alveis.

Invenietur quantitas aquæ ita: Auferatur à semidiametro Telluris quadrans vel dimidium milliaris, & inveniatur soliditas sphæræ, cujus semidiameter æqualis est residuo. Hæc soliditas auferatur à soliditate Telluris; residui dimidium est aquæ quantitas. Idem dimidium à totius Telluris soliditate subtractum, relinquit quantitatem Terræ, cui pro montium quantitate addenda est quarta vel quinta molis aqueæ seu dimidii prioris pars. Verum hæc ex incertis suppositis incerta sunt, vel saltem veritati propinqua.

PROPOSITIO IV.

Aqua litus & locum Telluris, quem occupat, desertere potest multas ob causas, ita ut terra arida conspiciatur, ubi aqua vel mare antea fuit, adeoque nova terra videatur generata.

Aquarum tractus septuplices sunt, 1. Oceanus. 2. Sinus Oceani. 3. Freta. 4. Fluvii. 5. Lacus. 6. Stagnum. 7. Paludes.

1. *Paludes exsiccari posse* vel per aquæ subdu-

ctionem vel per exsiccationem sive evaporationem progressu temporis factam; vel per terræ admixtionem, nemini dubium esse potest. Multis enim in regionibus agri fertiles sunt, in locis, ubi paludes ante aliquot sæcula fuere, ut in Westphalia, Geldria, Brabantia, Hollandia, Moscovia. Sic Argivorum regio in Peloponneso Trojanis temporibus pauculos alere poterat, propterea quod palustris esset: at Aristotelis tempore exsiccata erat & admodum fertilis.

2. Eadem est stagnorum ratio, cum non multum differant à paludibus.

Propositio V.

Fluvii alveum vel littus (hoc est, partem alvei) *deserunt & novam terram præbent:*

1. Si multum terrestris materiæ, arenæ & sabuli secum devehant, quæ in fundum subsidentia progressu temporis ita augent alvei altitudinem, ut non sit magis depressus, quam iste locus, unde aqua è vicinia fluit. Quod si in unum locum subsideat illa materia in parte alvei, separabit partem unam, quæ dein exsiccabitur.

2. Si alium alveum fluvius accipiat, sive id fiat per artem, sive per naturam, & violenta causa, ut vento, inundatione.

3. Si ipsi fontes fluviorum obstruantur vel aquam effundere cessent, collapsa nimirum aut condensata terra vel magnà arenæ copia vi ventorum in fontes & vicina loca compulsa.

Exempla fluviorum, quorum alvei hodie exsiccati sunt ex toto vel ex parte, passim occurrunt apud Scriptores, non tamen magnorum fluviorum, sed parvorum, vel partium magni alicujus fluvii. Sic alveus brachii istius Rheni, quod Leydam præterfluens olim in Oceanum Germanicum effluebat, jam ante aliquot secula ab aqua deser-

tus

tus hodie terra est, stagnante Rheno inter Leydam & Cattorum vicum.

Littora ab aquis fluviorum detegi & alveo angustiori decurrere fluvios quosdam, quam olim fecerint, ex plurimis exemplis constat. Ex eo, quod quidam hodie navigabiles non sunt, qui olim fuerunt, colligimus, aquæ altitudinem imminutam, & aliquando omnino nullam in illis alveis futuram, ut in Scaldi fluvio. Ideo rectores Rerumpublicarum fæces illas seu sedimenta curant extrahi ex alveis fluviorum, ut navigabiles maneant, ut multis in locis videre licet.

Magni autem fluvii non nisi multis annorum seculis vel myriadibus potius, exsiccantur vel in terram mutantur, propterea quod & multi minores fluvii ex diversis partibus fluentes illos constituunt, (quorum etsi quidam exsiccentur vel cursum mutent, omnes tamen non nisi longo tempore idem patientur) & alveus profundior est. Sed unus objectus pulvinus efficere quidem potest, ut fluvius alium alveum decurrat, & prior exsiccetur, ipsum tamen fluvium non tollet, nisi vel fontes, vel brachia illius obstruantur. Verum itaque est, nec Nilum, nec Tanaïn, nec Albim, nec Rhenum, nec alios fluvios semper fluxisse vel perpetuo futuros, sed terram & fuisse quondam & futuram olim, ubi ipsi jam fluunt.

PROPOSITIO VI.

Lacus exsiccantur, & in terram mutantur.

1. Si lacus à fluviis influentibus constituatur, fiet illa mutatio per abductionem fluviorum vel cessationem, & simul per evaporationem. 2. Si lacus per subterraneum ductum ab Oceano vel mari aquas accipiat, fiet lacus illius mutatio postquam subterranei ductus fuerint obstructi. Et sic lacus primo mutantur in stagna & paludes, dein-

de in terram aridam. Perſpicuum eſt, inquit Ariſtoteles, quod quia limum aut quippiam ejuſmodi aquarum vis intulit (loquitur de lacubus quos fluvii faciunt), ideo ſtagna facta ſunt & tellus arida, quodque inibi relicta ſtagnanſque aqua, ſucceſſu temporis aſſiccata jam prorſus evanuit. Ita quæ ad Mæoticum lacum pertingunt terræ, amnium convectu in tantum excrevere, ut naves multo minores nunc, quam anno abhinc ſexageſimo, quæſtus gratia ingrediantur. Parvorum lacuum, qui in terram aridam mutati ſunt, plurima exempla reperiuntur; inprimis in Hollandia.

Propositio VII.

Freta exſiccantur atque in iſthmos mutantur, vel regiones continentes.

Accidit illud, poſtquam propter continuam terreſtris materiæ ſubſidentiam longo tempore factam alveus freti ita altus evaſit, ut mari tranſitum neget.

Sic iſthmum inter Africam & Aſiam olim fuiſſe fretum, quo mare rubrum & mediterraneum conjuncta fuerint admodum eſt veriſimile, & ſequenti Propoſitione dicemus. In multis fretis hodie minor maris altitudo & major alvei altitudo deprehenditur ac olim; quod certiſſimo indicio eſt, freta illa aliquando ſine aquis futura eſſe & in iſthmum aridum mutatum iri. Sic fretum, per quod Oceanus Atlanticus efficit ſinum, quem Hollandi vocant Suyder-zee, & fretum Texel, hodie non capit majoris formæ naves onuſtas, & altitudo maris ſingulis annis minor evadit, terra altior. Itaque ubi aqua eſt ad Texeliam, ibi poſt aliquot ſecula erit arida terra. De altero freto quod Vlie vocant, idem aliquando futurum eſt.

PROPOSITIO VIII.

Sinus, quos Oceanus medias inter terras præbet, exsiccantur progressu temporis & fiunt arida vel sicca loca.

Fit illud duplici de causa. 1. Si fretum, quo sinus Oceano conjungitur, isthmus fiat, sive obstruatur ab arena & sabulo; quod progressu temporis fieri, dictum est in præcedenti Propositione. Hac enim ratione sinus Oceani & ipsius pars seu membrum resecabitur à corpore, & fiet lacus, deinde stagnum & palus, atque per exsiccationem fiet terra, & aqua nulla ibi conspicietur. 2. Si ipse alveus sinus propter defluentes in eum fluvios & arenam secum deferentes altior fiat, ut mare deinde non recipiat: sic paulatim Mare recedet à littoribus illius sinus.

Mare itaque mediterraneum, Balthicum, rubrum, Persicum atque alia, quæ sinus Oceani sunt, desinent aliquando maria esse, & in terras mutabuntur, quod sequenti Propositione pluribus probabitur.

PROPOSITIO IX.

Oceanus littora quædam deserit, ita ut terra sit, ubi antehac Oceanus erat.

Fit illud propter hasce causas. 1. Si aquæ allabentis ad littora impetus frangatur ab extantibus hinc inde in littore vel sub mari clivis, pulvinis aut scopulis. Impetu enim illo imminuto, subsident partes terrestres aquæ, & augent illorum pulvinorum altitudinem & magnitudinem, unde fit ut magis magisque frangatur Oceani impetus, atque ideo plus materiæ terrestris subsideat, ut tandem aucti pulvini excludant Oceanum vel alveum minus profundum efficiant. 2. Multum ad hoc augmentum littorum facit, si littora sint arenosa

nosa & petrosa, ut allabens Oceanus parum possit separare vel secum aufetre. Si enim cum nihil auferre possit, semper autem quasdam particulas deponat, progressu temporis altiora fient littora, & Oceanum à consueto loco arcebunt. 3. Si aliud vicinum littus habeat terram minus solidam, levem & cavernosam. Etenim Oceanus terras ab aliquo littore abrasas & abreptas defert ad vicina littora, præterea littus tegens vel inundans deserit vicini littoris partem, atque ita terram hic præbet. 4. Si fluvii magni exonerent se per littus in mare illud. Etenim fluvii hi deferentes secum multam arenæ & sabuli copiam, ubi ad ostium & littus, quo in mare se exonerare nituntur, pervenitur, deponunt illam, partim quia alveus laxior & latior ibi fit, partim quia mare resistit illorum fluxui: & inprimis hoc observatur in regionibus, quas fluvii inundant singulis annis. 5. Si venti frequentes è mari ad littus spirent, & littus sit petrosum vel tenacis terræ, non arenosum. 6. Si affluxus maris celer & vehemens sit ad littus, refluxus autem tardus & lenis. Etenim materiam, quam celer fluxus advexit, lenis refluxus non aufert secum, sed subsidere sinit. 7. Si littus oblique descendat in mare ad longum spatium, non directe & perpendiculariter deorsum vergat. Sic enim impetus allabentis maris decrescit, & deponit saburram.

Multa terræ loca sunt, quæ constat olim fuisse Oceani sedes. Ægyptus ubi est, mare olim fuit antiquorum testimonio, & comprobatione hodiernæ experientiæ. Nilus enim à remotis Æthiopiæ regionibus fluens & singulis annis alveum egrediens, ubi turget, expandit se per totam Ægyptum, ubi cum fluminis impetus cessat, subsidet limus, cœnum & terrestris materia, quam celer fluvii cursus advexerat: atque ita Ægyptus fit altior. Et antequam à Nilo tantum erat advectum mate-

materiæ, tunc mare terram Ægypti tegebat: jam mare non admittitur propter altitudinem. Aristoteles testis præter alios: ejus enim verba hæc sunt: Locus iste totaque regio (Ægypti), quæ fluminis tantum invectu nata est, semper aridior effici videtur. At propterea quod paulatim arescentibus paludibus vicina loca incoli cœpere, temporis longitudo initium obliteravit. Omnia igitur Nili ostia, præter unum Canobicum, manu instituta, non ab amne facta videntur. Quin etiam antiquitus tota Ægyptus urbe, quam Thebas vocant, constabat: id quod & Homerus declarat, qui non adeo multo (ut ita dixerim) post ejusmodi mutationes floruit. Nam loci illius mentionem facit, tanquam necdum existente Memphi aut certe non tanta. Clarius Seneca ita hic explicat: Ægyptus ex limo tota concrevit. Tantum enim (si Homero fides est) aberat à continenti Pharos, quantum navis diurno cursu metiri plenis lata velis potest: Sed continenti admota est. Turbidus enim defluens Nilus, multumque secum limum trahens, & eum subinde apponens prioribus terris, Ægyptum annuo incremento semper ultra tulit. Inde pinguis & limosi soli est, nec ulla intervalla in se habet, sed crevit in solidum arescente limo quo pressa erat & cedens structura.

Ganges & Indus in India celebres fluvii, inundationibus suis idem effecerunt, quod Nilus: in Brasilia quoque fluvius argenteus. Et Chinam hoc modo generatam vel saltem auctam esse, licet conjicere, propterea quod impetuosus fluvius, quem flavum appellant, ex Tartaria in Chinam fluens & sæpissime inundans (etsi non anniversario tempore) tantum arenæ & sabuli habeat, ut tertiam aquæ ipsius partem faciant.

Hæc exempla quarto loco positam causam demonstrant, ubi nempe fluvii faciunt, ut mare deserat

ferat littora: sed ipsum quoque mare secessus sui causa sæpe in plurimis existit regionibus, nempe dum ipsum advehit & deponit materiam, qua alveus & littus majorem altitudinem acquirunt & accedens mare non admittunt. Ita Hollandia, Zelandia & Geldria generatæ sunt; namque olim Oceanum hasce Telluris partes occupasse notum est tam ex vetustis historiarum monumentis, quam ex ipsa terræ qualitate. In clivis Geldriæ non procul à Noviomago repertæ conchæ satis superque id testantur, ut etiam frutices & uliginosa materia in profundo Hollandicæ terræ reperta: adde, quod ipsum mare altius est quam terra harum regionum, atque illam inundaret, & obtegeret, nisi vel arenosis jugis vel aggeribus arceretur. Sunt tamen, qui à Rheno & Mosa advectam esse Hollandiam & Zelandiam existimant, neque est vero absimile.

Ita Borussia, Cassubia, crevere, cum mare hodie littora illa deseruerit, quæ olim observabat.

Propositio X.

Pulvinorum generationem explicare.

Pulvinos appellamus arenosos tumulos seu clivos in aqua, extantes supra alveum fluvii ad eam altitudinem, ut navium transitum impediant. Nautæ Belgæ vocant, *een droogte*, *een banck*, *een riff*; Lusitani, Abrolhos, Baixos. Neque differunt à scopulis, nisi quod eorum partes cohæreant & densatæ sint ac duræ: pulvini vero ex arenæ granis constent non admodum cohærentibus: sed sæpe confunduntur hæc vocabula.

Pulvini vel in alveis fluviorum jacent (ut in Albi, in Wolga plurimi) vel ad ostia (quod frequentissimum, ut in Wolga, Albi) vel ad littora maris, vel in medio mari. Modus generationis idem est, quo in præcedentibus propositionibus dixi-

diximus alveos fluviorum siccari & mare littora deserere. Etenim plerunque ita fit, ut Oceanus, antequam partem Telluris omnino relinquat, prius pulvinos hosce generet non procul à littoribus, atque ita paulatim recedat & pulvini hi fiant pars Continentis. Eodem modo fit in alveis fluviorum antequam omnino arescant & ab aqua deserantur. Frequentissima causa est, quando fluvii augentur ab imbribus vel resoluta nive, atque ideo rapide fluunt. Etenim tunc à littoribus vel ripis quibusdam, ubi motus vehementior, & alveus angustior, abradunt limum, arenam, ipsa quoque fundi materia attollitur & simul defertur à rapido fluvii impetu, donec ad ampliorem vel latiorem alveum pervenitur, atque à fonte vel causa copiæ aquarum remotum. Hic enim remittit motus vehementia, & tunc subsident partes terrestres, & generantur pulvini: quorum plurimi reperiuntur in locis, ubi fluvii lati sunt, in angustiis nulli fere.

Neque est ullum malum, quod vel florentissimis & ditissimis emporiis omnem splendorem & dignitatem citius auferat sine ulla recuperandi spe, vel majorem navibus cladem inferat. Ut antiquas & dudum oblivione obliteratas urbes taceamus, versantur adhuc ob oculos Sturiorum urbs (Stavoren) in Frisia, Arnemuda Zelandiæ (Armuyen), Dordracum Hollandiæ, Antverpia Brabantiæ, Stada Bremensis Episcopatus.

Hisce civitatibus negotiandi potestatem, unde omnis eis splendor & divitiæ, nihil aliud ademit, quam pulvini in fluviis vel mari vicino orti.

Neque ullum emporium fere maritimum est, quod ab hoc metu pulvinorum liberum sit. In Albi qui existunt, multas Hamburgensibus perdiderunt naves quæ grandia Oceani tormenta evaserant. Idem in aliis consideranti manifestum fiet,

præ-

præsertim in portu Texel & Vlie Amstelodamensis emporii.

Conspiciuntur autem magno numero ad littora maris, ut ad Flandriæ littora, & Frisiæ, & recedente æstu maris plurimi ex istis pulvinis sunt pars continentis, quippe alveus intercedens parum aquæ tunc habet, ut navigationem non admittat: Belgæ vocant eos *het Wad*, quasi Vadum. Celebres apud nautas vel potius infames propter naufragia pulvini sunt, qui magno numero reperiuntur in uno maris loco, hi nempe, 1. Pulvini Brasiliæ, Abrolhos de Brasilia, *het riff van Brasilien*, item *de droogte van Brasil*. A littore Brasiliæ in mari jacent tractu septuaginta milliarium, quos nautæ Indiam petentes magna diligentia vitare debent, dum ad vitandam Guineæ malaciam versus Brasiliam navigationem instituunt. Accedunt tamen ad illos pulvinos, quam proxime licet, ut ventis majorum virium utantur: sed ne inter Brasiliam & pulvinos deferantur, cautione opus est. 2. Pulvini S. Annæ, non procul à Guinea Africana, ad elevat. poli Arctici 6 gr. In hosce delatæ naves non sine magno periculo & opere deducuntur, plurimisque diebus detinentur, ubi nautæ existimant se jam evasisse illos. Etenim pulvini hi continui non sunt, sed latis & profundis voraginibus atque euripis sejuncti, ita ut in parva distantia hic sit profunditas aquæ decem ulnarum, mox trium. 3. Pulvini inter Insulam Madagascar & Arabiam atque Africam, dicti Baixos de Judæa, sunt scopuli seu cautes acuti coralliorum varii coloris. 4. Pulvini Chinenses. 5. Pulvini Flandrici, &c. Alios plurimos videre licet in Mappis Geographicis nauticis.

Unum generationis modum, quo pulvini hi existant, per subsidentiam arenosæ materiæ, quam mare secum defert, explicavimus supra. Huic secundus

cundus modus adjungendus est, quo tales pulvini existere possunt, nempe si mare inundet terras & obtegat, in quibus clivi & colles arenosi sunt. Etenim colles hi tunc erunt & dicentur pulvini. Ita ad littora Geldriæ & Hollandiæ multi continui arenosi colles, quos *Dunen* vocant, conspiciuntur longo tractu, ipsa vero terra sive ager humilior est.

Si itaque per irruptionem mare inundet & tegat illas terras, tunc colles illi erunt pulvini. Ita de aliis judicandum.

Ad ostium fluviorum ideo frequentissimi sunt pulvini, quoniam ibi alveus latior est, & propterea impetus effluxus fluviorum ibi imminuitur, atque ideo materia hic subsidet, quam rapidus fluxus secum advexit. Oceani quoque fluxus repellunt effluentem ex ostiis fluviorum aquam, unde impetus omnino cessat.

Et operæ pretium est, distinguere & considerare duos hosce generatorum pulvinorum modos.

PROPOSITIO XI.

An pulvini, qui in mari non procul à continenti jacent, sint futuri pars continentis istius, conjicere.

Diximus in præcedenti propositione, quod duobus modis pulvini generentur, uno vere per subsidentiam arenæ in mari, altero per denominationem, nempe collem aqua circumfluente & inundante terras. Si priori modo generati sint & adhuc magis magisque accrescere deprehendantur, indicium est, illos continenti terræ conjunctum iri, hoc est, alveum maris inter pulvinos istos & vicinam terram exsiccatum iri. Si vero pulvini secundo modo generati sint, neque amplius augeantur, tunc conjicere licet, pulvinos non facile proximæ terræ conjunctum iri, sed mare potius terram hanc latius ingressurum. Hæc tamen conjectura tantum est.

PRO-

Propositio XII.

Insulæ in mari & fluviis eodem modo producuntur, quo pulvini, imo ex pulvinis possunt fieri insulæ: alias tamen etiam modo fiunt.

Etenim si in aliqua maris parte tanta arenæ, sabuli, limi, argillæ copia progressu temporis aggregetur, ut altior evadat, quam mare, erit insula, qui est primus modus. Deinde secundo modo, si mare irrumpens in terras, tantum partes humiliores tegat, non vero altiores & colles, erunt hæ insulæ. Et hoc posteriori modo verisimile est generatas esse vel extitisse insulas illas, quæ in magnam altitudinem assurgunt, ut S. Helena, Ascensio, &c. præsertim quæ saxeæ & petrosæ sunt.

Huc etiam pertinent insulæ, quas mare abscidit à procurrentibus terris. Sic Siciliam ab Italia maris violentia separatam, testantur antiquitatis Scriptores, & noti sunt Poëtæ de hac re versus.

Priori modo, nempe per subsidentiam & congregationem multarum terrestrium particularum extiterunt insulæ Zelandiæ, Danicæ, Japoniæ. Eadem Moluccarum insularum videtur origo fuisse: quippe sodientibus in planitie ad exiguam profunditatem occurrit arenæ & concharum copia.

Ceilanum insulam ab India procurrente separatam narrant Ceilani incolæ, & valde est verisimile. Sic Sumatra insula Malaccæ olim adhæsisse creditur, neque est vero absimile propter frequentes pulvinos & syrtes. Certe olim Chersonesum auream fuisse multi putant, pro Chersoneso habitam fuisse verisimile est, quoniam è remoto loco spectata videtur adhærere Malaccæ.

De Maldivis insulis referunt Indi Malabarici littoris, quod eæ olim adhæserint Indiæ, & continuam continentem fuisse, cum hodie & longe absint ab India & in undecies mille insulas divisæ.

Ne-

Neque dubitandum est, cum inter binas quasque harum Maldivarum angusti transeant euripi, adeo ut quinque vel quatuor ulnas alicubi non superet, quin progressu temporis multæ ex illis in unam coalescent, Euripo imminuto, & demum omnes in unam magnam oblongam insulam. Imo, omnes insulæ Orientales inter continentem Asiæ & Magellanicam sitæ magno numero videntur extitisse Oceani violentia separatis terris. Etenim Oceanus Pacificus in Zona Torrida perpetuo motu & impetu movetur ab Occidente in Orientem, hoc est, ab America ad insulas illas Orientales: præterea ventus perpetuus versus eandem plagam Orientalem auget magnopere Oceani impetum. Non itaque vero absimile est, cum omnes istæ insulæ in Zona Torrida existant, olim continuo terræ tractu adhæsisse Asiam Magellanicæ seu australi Terræ: deinde Oceani violentiam modo hic modo illic abrasisse & divulsisse terram, donec ubique facta via Indico Oceano junctus est, & tot insulas effecit, quot hodie in illa plaga admiramur parvo distantes intervallo, Javas, Celebes, Borneo, Maduram, Amboinam, &c.

De insulis in Mexicano sinu, ut etiam Magellanici freti, idem omnino conjicimus.

Insulæ Ægæi maris utrum per divulsionem à mari factam (mari ex Ponto Euxino fluente & mediterraneo mari contrarios fluctus ciente) extiterint, an priori modo per subsidentiam terrestris materiæ, quam Propontis ex Ponto Euxino advexerit, dubito. Divulsionem factam esse, magis verisimile: & fortassis famosum Deucalionis diluvium hic etiam vires suas exercuit. Certe Euboeam insulam, hodie Negroponte dictam, Græciæ adhæsisse olim, Scriptores non ignobiles tradunt, quippe Euripus tam modicus interfluit, ut ponte jungatur.

Ex

Ex pulvinis insulas fieri multis exemplis docemur. Sic insulæ in fluvio Nilo, in fluvio Laurentii Americæ Septentrionalis olim pulvini fuerunt. Alio modo fluvii insulas faciunt, quando ramum emittunt, quem alio loco in se recipiunt, ut in Tanaï, Wolga, aliisque videre est. Hoc autem non à natura sed hominum industria esse factum, non est dubitandum. Obius idem facit.

Insulam Loanda sitam in littore Africæ procurrentis convexerunt duo fluvii Rengo & Coauza, qui in illo loco se in mare exonerant. Quoniam enim magnam limi & sabuli copiam deferunt secum ex altis & montanis locis cum impetu delatæ, hanc deposuerunt & adhuc deponunt in ostiis suis, atque ita insulam Loanda progressu temporis effecerunt, prius pulvinum factam, jam vero & fertilissimam & incolis abundantem. Atque ita plurimas insulas ad littora sitas olim pulvinos fuisse existimamus, etsi quasdam etiam extitisse per divulsionem à continenti factam vi maris scimus, ut ad Norwegiam: Et in petrosis & rupeis insulis hic posterior modus generationis magis verisimilis est.

Sed in mari Indico tam per divulsionem quam per subsidentiam materiæ possunt existere insulæ, quoniam dum divellit, simul abradit intermediam terram, quam deinde in alio loco deponit. Ad hoc multum faciunt furibundi venti & ecnephias frequens tempore mensium pluvialium à Maio ad Septembrem. Istis enim mirum in modum Oceanus perturbatur, ita ut ex fundo quoque argilla & arena separentur & ab aliis regionibus, quæ materia ad Indiæ littora expellitur. Sic fauces Goani portus impetu ventorum hyemalium (à Maio ad Septembrem) aggestis arenæ cumulis ita obstruuntur, ut vix minoribus navigiis transitum præbeat. Sic Cocini portum cumuli isti are-

næ

næ claudunt instar aggeris seu valli iis mensibus, ita ut neque majoris vel minoris formæ naves possint transire.

Etenim continua in montibus Gatis pluvia, & frequens ecnephias cum exhydria prorumpens è nubibus, quæ in jugo Gatis tanquam suspensæ conspiciuntur, tantam copiam aquæ & tanto impetu effundunt, ut multum arenæ secum ad littora rapiat, ubi reluctante Oceano coacervatur: quæ tamen arena cessante hyeme ab Oceano aufertur & portus aperiuntur.

Sunt terræ quædam littoribus adeo vicinæ, ut affluxus maris eas insulas faciat, in refluxu non insulæ, sed pars Continentis vicinæ dici possint, atque si interpositus alveus altitudinem majorem acquirat progressu temporis, excluditur deinde aquæ affluxus, atque insulæ illæ pars Continentis, sine reciproca mutatione existunt.

Sed & Nilus inundans Ægyptum singulis annis facit, ut urbes, & colles Ægypti tunc insulæ videantur. Sic Wolga fluvius ita crescit in Maio & Junio, ut pulvinos & insulas tegat. Et multæ ex insulis Indiæ adjacentibus proxime fiunt pulvini mensibus pluvialibus, ubi Nilus & Ganges inundant regiones.

PROPOSITIO XIII.

Alius adhuc prater duos commemoratos modos, quo insulæ existant vel oriantur, à quibusdam Scriptoribus traditur, nimirum *Terram cohærentem è fundo maris subito ferri ad superficiem.*

Alii fabulosum hunc modum non immerito judicant à fabulosis Græcis atque Poëtis profectum. Delon enim ita extitisse volunt. Sed Seneca quoque gravis auctor commemorat, insulam Therasiam sua ætate enatam in Ægeo mari, & quidem nautis spectantibus. Etsi itaque pau-

cissima exempla talis productionis insularum reperiantur, impossibilis tamen non debet censeri. Fieri enim potest, ut in fundo maris vel in alveo ejus, terra porosa, spongiosa, pumicosa, sulphurea existat, (ut est varia terrarum levium differentia & mixtura) quæ jam ad insignem altitudinem excreverit, ita tamen ut adhuc infra aquæ superficiem lateat. Si itaque fundo maris minus firmiter adhæreat terra vel pulvinus, poterit maris vi separari, & quia parum levior est, quam aqua, vel ejusdem fere levitatis, ideo ascendet ad superficiem aquæ & subito videbitur enata insula: Vel sine aquæ violentia poterit spiritus sub terra conclusus, & erumpere moliens, insulam illam sursum extrusisse. Magna enim spirituum inclusorum & majus spatium exigentium potentia est, ut probatur ex terræ motibus, quibus aliquando monticulos è terra protrusos esse, aliquando absorptos constat: idem ex bellicis cuniculis manifestum est, ubi spiritus magnas moles turrium & murorum disrumpunt & versus æthera pellunt.

Si itaque talis insula ita subito in mari enata adhæreat adhuc fundo maris, necessario dicendum est, vi spiritus subterranei illam sursum pulsam esse; sicut aliquando montes è terra protrusos esse quidam scribunt: si vero non adhæreat fundo amplius, poterit tam spiritus quam aquæ violentia illam separasse à fundo, ut deinde ipsa sua levitate sursum ad superficiem delata sit.

Propositio XIV.

Unde alia oritur dubitatio, *An insulæ quædam dentur, quæ mari innatent*, sicut Thales dicitur existimasse totam Terram, quam nos habitamus Oceano innatare? Thaletis quidem opinio satis superque refutata est, cum alveus maris nostræ Terræ continuus deprehendatur. Sed natantes insulas

insulas existere posse ratio suadet, nempe si terra sit pumicosa, levis & sulphurea. Seneca addit experientiam. Scribit enim se vidisse ad Cutylias natantem insulam, quæ & arbores habuerit & herbas nutrierit, aqua illam sustineri & in hanc atque illam partem non tantum vento impelli, sed & aura, neque unquam illi per diem & noctem in uno loco stationem esse, quod lenissimo flatu moveatur. Aliam præterea insulam in Vadimonis lacu vehi, aliam in lacu Stationensi. Sic Delon insulam & omnes Cyclades olim innatasse mari narrant veteres. Neque est quod objicias, Cur illæ insulæ hodie quoque non innatent mari? Ad hoc quippe facilis est responsio. Etenim innatatio illa non potest diu durare. Cum enim insulæ illæ fere ad fundum maris pertingant, dum hinc inde agitantur, & ad pulvinos vel alveum magis elevatum deferuntur, præsertim si inter duos pulvinos mediæ veniant, sistitur ille motus & aggesta alia terra uniuntur cum isto pulvino vel alveo, atque ita ex natantibus fiunt firmæ. In provincia Americæ Fonduras hodienum lacus est, in quo multi colles herbis & fruticibus consiti conspiciuntur hinc inde vento agitari.

In lacu maximo Scotiæ, dicto *Loumond*, insulam esse quæ natet & vento circumferatur, etsi pecori pascendo apta sit, tradit Boxthius Scoticarum rerum Scriptor.

Hactenus de generatione Terrarum sive aridæ partis Telluris in superficie extantis egimus: jam quomodo Oceanus atque aquæ loca sua nitutent, & nova occupent, considerabimus.

PROPOSITIO XVI

Fluvii certos terrarum tractus occupant quos antea non occupabant, varias ob causas.

1. Cum primo oriuntur è fontibus suis & vel à

natura vel ab arte alveum accipiunt, de quo diximus capite xv.

2. Si fluvius alium alveum sibi faciat vel ramum de se emittat, quod plerunque ab hominibus fit, nimirum ut fluvii partem ad urbes ducant vel in alium fluvium, cujus exempla attulimus capite citato.

3. Si fluvii ripam magis magisque occupent progressu temporis; quod accidit, 1. Si alveus fiat altior à subsidente terra & arena. 2. Si celeri fluxu abradat latera ripæ. Si alio fluvio augeatur, vel copiosis pluviis aut exhydria.

4. Si inundent terras. Quod si non recedant, sed magis magisque augeant, fiunt lacus, vel si alveum priorem repetant, effusa in campos aqua, si magna sit copia, palus fiet.

Corollarium. Fuisse itaque tempus verisimile est, quo tractus illi Telluris, quos jam Rhenus, Albis, Nilus omnesque alii fluvii tenent, aridi fuerint & à terra occupabantur.

Propositio XVI.

Lacus, paludes, stagna occupant telluris partes, quas antea non occupabant.

1. Quando primum enascuntur & progressu temporis augentur. de quo diximus capite xv.

2. Si copiosa pluvia decidat.

3. Si in lacus fluvii magnam aquæ copiam deferant cum impetu.

4. Si alveus altior evadat.

5. Si crebris & vehementioribus fluctibus agitati lacus paulatim magis magisque abradant ripam & terras aqua tegant. Sic lacus Harlemensis intra triginta vel quadraginta annos vicesimam circiter milliaris partem ultra priorem ripam progressus est.

Corol. Verisimile itaque est, quod tempus fuerit

rit olim, quo tractus illi Telluris, quos jam vel Zaire lacus, vel Lemanus, vel Parima, vel Harlemensis, vel Mæoticus, vel paludes Westphaliæ atque aliæ omnes occupant, aridi fuerint.

PROPOSITIO XVII.

Oceanus occupat Telluris partes, quas olim non occupabat.

Pluribus id modis fit. 1. Cum medias perrumpens terras freta facit & sinus, ut sinum Mediterraneum, Arabicum, Bengalensem, Camboiensem, &c. Ita fretum inter Siciliam & Italiam, inter Ceilanum & Indiam, inter Græciam & Euboeam, Manilienſe, Magellanicum, Danicum, &c. Neque vero est absimile, Oceanum Atlanticum hoc modo generatum esse, & ita Americam à Veteri Orbe, seu sola Europa avulsam esse, quod eo libentius quidam arripiunt, ut inde originem gentium Americanarum deducant ab Adamo. Sane Ægyptii sacerdotes Soloni Athenienſi sexcentis circiter annis ante natum Christum narrarunt (ut videre licet in Dialogo Platonis, qui Timeus inscribitur) insulam fuisse quondam contra fretum Herculeum Hispaniæ Gibraltar, Africa simul & Asia majorem, nomine Atlantidem, postmodum vero immani terræ motu, ingentique unius diei ac noctis illuvione, sub vasto gurgite mersam fuisse (partem scilicet ejus). Ex qua narratione colligere licet, fuisse olim apud Ægyptios, quippe literarum monumentis & annotationibus deditos, quandam adhuc famam de separatione Americæ à nostro Orbe facta ante multa secula. Longe est verisimilius, Septentrionalis Americæ partem, ubi Nova Francia, Anglia, Canada, &c. olim adhæsisse Hiberniæ. Fretum Gibraltar ab Hercule perfossum esse scripsere veteres.

2. Cum vento vehementiori versus terram

compulsus Oceanus eam inundat perruptis aggeribus à natura vel arte factis. Multa inundationum Oceani exempla sunt, ut olim in Thessalia, non ita dudum in Frisia, Holsatia, &c.

3. Cum propter easdem causas multis locis firmam Terram penetrat, atque insulas facit. Hoc modo diximus in præcedentibus quod verisimile sit mare illud extitisse, quod innumerabiles illas Indicas seu Orientales insulas interfluit, & illud quod inter Maldivas & Indiam fluit, atque etiam sinum Bengalensem & Camboiensem.

4. Cum littora paulatim abradit atque ita progressu temporis quasdam littoris & adjacentis terræ partes tegit. Sic mare Balthicum Pomeraniæ littora invasit, perditque celeberrimum emporium Vinetam. Sic à Norwegiæ littore insulas parvas auferens, seipsum inter hasce insulas & Continentem immisit. Sic Oceanus Germanicus Hollandiæ littus prope Cattorum vicum magno tractu occupavit, ita ut rudera arcis Britannicæ (quam vocant *het huyste Britten*), Romanorum olim castellum seu munitio, jam procul à littore in mari jaceant inconspicua & aquis tecta. A Ceilani insulæ parte Septentrionali Oceanus ad viginti milliaria abstulit, ita ut hodie sit multo minor, quam olim. Et sunt plura ejus rei exempla.

Corollarium. Ex hisce colligitur, illa loca Telluris, ubi jam Oceanus est, olim terras fuisse, & quondam terras futuras, nimirum si supponamus, Tellurem multa annorum millia jam extitisse, & adhuc duraturam. De hoc argumento legi potest Aristoteles cap. XII, lib. I, Meteororum; & Stevinus in Geograph. Si quæras, quomodo Oceanus montium loca occupet, respondeo, montes non tegi à mari, sed fieri tunc vel scopulos vel insulas, affluente nimirum vel appulsa alia terra. Confirmatur id exemplo multarum insularum, imo

imo omnium fere, quia experientia testatur, quod insulæ omnes fere habeant montes in medio, ut Ceilanum, Sumatra, Java, &c. Imo quædam sunt nihil nisi montes, ut Helena, Ascensio, Hesperides, &c. Cum itaque loca illa Oceani, in quo insulæ hæ jacent, olim terra erunt vel olim essent, tunc sane montes insularum harum fuerunt montes Continentis.

Propositio XVIII.

An fieri possit, ut tota Telluris superficies sit sicca sive Terra? vel ut tota liquida, sive ut terra omnis aqua tegatur? vel ut partes plures superficiei sint terreæ uno tempore, quam alio, vel plures aquâ tectæ?

Primo, ut modo majorem superficiei Telluris partem occupet Terra, quam alio tempore. item, quod consequens est prioris, ut aqua uno tempore majorem superficiei Telluris occupet, quam alio tempore, id satis ostensum est Propositione secunda hujus capitis.

Secundo, An aqua sive Oceanus possit omnem terram obtegere, ut nulla sit extans vel insula, atque ita universale diluvium efficere? ad hoc respondeo, posse quidem explicari & concipi modum, quo id fieri queat naturaliter, sed tamen propter terrarum compactionem & montium altitudinem tale quid vix unquam futurum esse. Modus, quo id fieri queat, est idem cum eo, qui Propositione secunda est explicatus. Si enim Oceanus continue abradat terras à littoribus, easque in alvei sui loca profundissima deponat, atque hoc perpetuo temporis decursu faciat, tandem omnes terras superficiei sive extantes auferet, & ipse omnem terram teget. Montes vero vel scopuli fient, vel vehementi aquarum impetu ablatis radicibus corruent vel subsidebunt paulatim. Multo

facilius hoc fiet, si illorum opinionem velimus sequi, qui Oceano majorem tribuunt altitudinem, quam terræ: verum nos in præcedentibus satis ostendimus, falsam esse hanc opinionem.

Tertio, An terra possit totam Telluris superficiem occupare, ut ita omnis aqua totusque Oceanus in cavernis terræ vel subterraneo alveo contineatur & à terra tegatur? ad hoc respondeo eadem ratione, non esse impossibile & modum concipi, quo illud fiat, posse; sed tamen vix unquam futurum. Modus autem unicus tantum concipi potest, nimirum si tot cavitates intra terræ profundum vel jam existant vel fiant, in quas Oceanus possit contineri. Neque enim à quoquam hactenus demonstratum est, quod tales cavitates in profundo terræ non existant. Et si non existant, fieri poterunt, 1. ab aquæ ipsius impetu. 2. à spiritibus subterraneis.

Propositio XIX.

Cur in medio Oceano pauca insulæ & nulla insularum agmina reperiuntur, sed plurima ad magnas Continentes sive ad magnas Insulas?

De veritate Propositionis non est quod dubitemus: eam quippe experientia manifeste probat. In vasti Pacifici Oceani medio vix una vel altera parva insula conspicitur: Sic in Oceano vasto inter Africam & Brasiliam præter insulam S. Helenæ, & Ascensionis, paucæ repertæ sunt. At circa littora Continentium vel in Oceano non procul à littoribus Maximarum Continentium omnes existunt insulæ (paucis illis exceptis, quas dixi) inprimis hoc animadvertere licet in numerosis illis, quas Agmina insularum appellamus, quæ omnia Continentibus sunt vicina. Insularum Ægæi maris agmen adjacet Europæ & Asiæ: Hesperides Africæ: Maldivæ Indiæ, ut etiam omnes Indicæ

insulæ

insulæ jacent inter Asiam & terram australem. Solæ Flandricæ sive Azores videntur in medio Oceano inter Veterem Orbem & Americam sitæ esse; etsi illi quam huic sint propiores.

Causa hujusce phænomeni sive situs insularum proculdubio est, quod ipsæ extiterint per Oceani irruptionem in Continentes, quo impetu terræ Continentes separatæ sunt, sed quia non tanta Oceani altitudo, ut potuerit terras omnes interceptas tegere, ideo hinc inde inter Continentes vel ad Continentes, insularum agmina extiterunt. Quasdam etiam alio modo generatas esse, verisimile est, nimirum quia Oceanus terras à littoribus abrasas & avulsas non potest longo à littoribus spatio secum avehere, sed illas paulatim subsidere patitur non magna à littoribus distantia, quæ subsidentia multis annorum seculis continuata tandem insulas efficit. In medio itaque Oceano paucæ insulæ sunt. 1. quia à littoribus remotior est locus ille, quam ut abrasæ partes ad illum devehantur. 2. major ibi est aquæ commotio & impetus, qui alvei terram commovet & potius profunditatem promovet, quam ut insulas generari patiatur. 3. quoniam ibi nullæ Continentes, ideo neque agmina insularum existere possunt juxta primum modum, quo talia agmina generari diximus. Olim tamen, cum nondum hic esset medium vasti Oceani, ubi nunc est, talia agmina quoque hic extitisse & paulatim ab Oceano esse absorptas non est vero absimile.

SECTIO QUINTA

GEOGRAPHIÆ ABSOLUTÆ,

Continens explicationem Atmosphæræ & Ventorum capitibus tribus.

CAPUT XIX.

De Atmosphæra & Aëre.

PROPOSITIO I.

EX *Telluris partibus tam siccis quam humidis, sive terrâ & aquâ, exhalant continue vapores & fumi in spatium, quod circa Tellurem est.*

Causa duplex est. Prima, Calor cælestis stellarum, inprimis Solis & Lunæ. Altera, calor terrestris sive Ignis subterraneus vel potius terrestris, sive qui Telluris partibus admixtus est. Etenim videmus, omnia fere corpora, admoto vel levissimo igne, halitus emittere. Cum itaque tam cælestis calor quam terrestris nihil aliud sit quam ignis aliquis, ideo necessarium quoque est, ut ex partibus Telluris vapores & fumi per illum extollantur. Ita à priori ostenditur veritas Propositionis. Eandem confirmat experientia. Noctuno enim tempore iter facientes præsertim Luna lucente & prope aquas, conspicimus vapores multos circa telluris superficiem oberrare & attolli. Die quoque Solem multos vapores attollere vel vulgo notum est, cum Germani dicunt, die Sonne ziehet das wasser/ item cum nebula sursum ascendit, quod futurarum pluviarum indicium certum est.

PROPOSITIO II.

Atmosphæra dicitur spatium circa totam Tellurem, in quo exhalationes ex Tellure elevatæ versantur. In hoc an aliud quoddam præter exhalationes ipsas corpus contineatur, incertum est.

Sumitur etiam pro ipsis exhalationibus circa totam Tellurem. Est autem non levis controversia inter modernos Philosophos de corpore, quod circa Tellurem consistit. Mathematici enim complures, iique insignes, statuunt, nihil hic esse præter exhalationes elevatas ex Tellure, ideoque atmosphæram & aërem sumunt pro eodem, & post atmosphæram ponunt immediate ætheream substantiam. Alii vero Philosophi existimant, quod præter illas exhalationes in spatio circa Tellurem sit corpus aliquod peculiare & simplex, quod aërem appellant, etsi ultro concedant, exhalationes in aërem posse mutari, & contra aërem in nubes & densiores vapores. Iidem post aërem hunc usque ad Lunarem orbem ponunt aliud subtile corpus diversum ab æthere, quod Ignem appellant quidem, sed minus proprie id fieri, neque cum nostro igne convenire ipsi fatentur. Esse enim substantiam calidam (non comburentem), siccam & admodum subtilem, ut refractiones radiorum Solis & stellarum non efficiat: quam tamen in aëre suo fieri volunt. Hisce bene consideratis, videntur hæ duæ sententiæ seu opiniones Philosophorum in verbis potius discrepare, quam in re ipsa. Etenim quod aërem attinet, quoniam ita crassum concedunt, ut radiorum in eo fiat refractio, & præterea ex exhalationibus generari possit levi mutatione, nihil aliud videtur esse aër, quam subtilior exhalatio, etiamsi ex Tellure non exhalaverit. Quod ad ignem sublunarem attinet, cum eum improprie ita vocari fateantur, esse vero ita subtilem dicant, ut

nullam radiorum refractionem efficiat, nihil is videtur differre ab æthere, vel exigua discrepantia: Dicamus itaque, Atmosphæram & Aërem esse corpus circa Tellurem, in quod incidentes radii refringuntur (seposita controversia, Unde istud corpus ortum sit). Quæ quidem definitio cum priori convenit. Neque enim verisimile est, posse ex Tellure elevari exhalationes adeo subtiles, ut nullam refractionem vel impedimentum radiis luminosis ex æthere venientibus faciant: Si tamen tales dentur, earum altitudinem non possumus scire, & an excludantur ab atmosphæra. Quod tamen si quis acriter urgere velit, existimans, igniculos à Sole in Tellurem projectos, iterum remeare ad solem, ille posteriorem definitionem commodam esse non inficiabitur. Itaque atmosphæra & aër nihil aliud est, quam textura multorum corpusculorum, quæ Telluri adhæret, sicut lanugo pomum cotoneum circumvestit.

Propositio III.

Exhalationes interdum plures, interdum pauciores extolluntur è Tellure, præsertim in diversis locis.

Causa est 1. Diversa Solis supra Horizontem elevatio vel infra eum depressio. 2. Lunæ diversa ætas atque ejusdem supra Horizontem elevatio. 3. Reliquarum stellarum ortus, occasus & supra Horizontem constitutio. 4. Diversitas in ipsis Telluris partibus. Aqua enim & humida loca facilius vapores emittunt quam terrea & sicca.

Propositio IV.

Exhalationes, quæ atmosphæram constituunt, sunt diversi generis (præsertim in diversis regionibus), nimirum aquea, salina, sulphurea, terrea, spirituosa: compositæ exhalationes sive partes atmosphæra

sphæræ sensiles admodum diversæ sunt, mixtæ scilicet ex simplicibus particulis.

Causa est, quoniam in Telluris partibus talia corpora diversi generis existunt, & calore extolluntur, quædam facile, quædam difficilius. De terreis particulis dubitare aliquis posset, quoniam hæ vix sursum elevari aptæ sunt: sed sciendum est, id fieri posse, 1. Ob maximam pulvisculorum parvitatem, quæ levia sunt, cum gravitas compactorum sit affectio. 2. Ob sulphurearum particularum admixtionem, quæ illas terreas secum avehunt violente.

Porro sulphureas partes esse in aëre, probant meteora ignea, fulgura, ignis fatuus, tonitru, &c. imo odor sulphureus post tonittru & fulgura manifeste id arguit.

De aqueis nullum dubium esse potest: spirituosæ & salinæ propter tenuitatem & promptam è Tellure exhalationem concedendæ sunt: arguunt quoque eas animalcula in aëre magno numero & incredibili copia generata.

Aristotelici exhalationes dividunt in duas species, Vapores & fumos. Vapores ex aqua generantur, & in eam facile redeunt. Fumi ex rebus siccis. Sic armoniacum sal totum in fumum abit supposito igne. Hæc quoque causa est, quod in diversis regionibus diversus admodum aër percipitur. Item quod in uno loco pluit, in altero non.

PROPOSITIO V.

Minimæ particulæ aëris & insensiles omnes radios repellunt vel reflectunt tanquam speculum: sed particularum aëris sensilium & compositarum quædam plures radios transmittunt, pauciores reflectunt; aliæ contra, pauciores radios transmittunt, plures reflectunt.

Ideo partes atmosphæræ dividuntur in opacas

& pellucidas: hæ sunt quæ plures radios transmittunt; illæ, quæ pauciores.

Quoniam enim minimæ particulæ (tam aqua quam terra) utpote atomi, sunt solida corpuscula sine ullis poris, ideo radios non transmittent, sed repellent, quoniam admodum verisimile est, perspicuitatem sive radiorum transitum requirere ordinatos in corpore poros & vacua spatiola.

Partes vero aëris seu atmosphæræ ex minimis particulis compositæ, si quidem ordinatos & multos poros habebunt, erunt perspicuæ & radios multos transmittent: sed si confuse admodum illæ particulæ fuerint compositæ vel aggregatæ, sine multis poris paucos radios transmittent.

Inde fit, ut Sol crassum nebulosum aërem opacum discutiens, faciat perspicuum, nimirum facit eum magis porosum.

Quod autem minimæ particulæ reflectant radios, ex eo constat. Aëre serenissimo in cubiculum obscurum per foramen angustum immittatur radius solaris. Videbis manifeste à particulis in aëre volitantibus ingenti numero reflecti radios ad oculum tanquam ex speculo. cumque illæ particulæ adhuc sensiles sint, idem de minimis & quæ sensum fugiunt, particulis concludendum est.

Qui autem exhalationes humidas attenuatas volunt esse perspicuas, non autem siccas & fumos, illi refutantur ab experientia & ratione. Ratione quidem: quod fumi & siccæ exhalationes æque subtiles & porosæ fieri possint ac aqueæ: sed illi existimant perspicuitatem non in pororum ratione, sed peculiari qualitate consistere. Experientia autem, quoniam aër serenus plures siccas quam humidas particulas habet. Hoc ex eo scitur. In novo illo pneumatico sclopetorum genere, quod non pulvere pyrio vel igne, sed spiritus & aëris adminiculo

culo exploditur, aër ita comprimitur & condensatur, ut vix sexagesimam prioris spatii partem occupet: neque tamen ullam humoris speciem creant in sclopeto; quod omnino fieri deberet, si particulæ aëris sereni essent aqueæ.

Propositio VI.

Exhalationes non per se & ex sua natura ascendunt sursum, sed violento motu impulsæ; sive, aër non levis est, sed gravis, absolute loquendo.

Nimirum id omne grave dicendum, quod ad centrum Tellutis movetur, nisi impediatur. Id vero facit aër. Effossa enim terra, descendit in factum spatium aër. Quod autem sursum fertur, fit ideo, 1. Quia calor rarefacit ut majus spatium quærat. 2. Quia ab alio vapore urgetur.

Sic in frigidis locis, ut Nova Zembla, & apud nos tempore nocturno nebula non ascendit, sed accedens Solis calor illam rarefacit, & facit, ut una pars alteram urgeat & trudat. Si autem particulæ minimæ aëris liberæ essent, nec sibi mutuo implicarentur, sic demum levis esset.

Propositio VII.

Partes atmosphæræ supremæ sunt subtiliores quam inferiores. Fieri tamen potest, ut partes mediæ sint densiores & crassiores quam infimæ circa Tellurem.

Quoniam enim leviores partes petunt superiorem locum, sunt autem subtiliores etiam leviores; inde patet prioris Propositionis membri veritas. Posterioris autem membri causa est, quod partes in medio aëre facile coëant rursus, & ita crassiores fiant, quandoquidem calidæ particulæ cum illis evectæ deseruerunt eas, & radii à terra refracti in media illa regione propter distantiam nihil roboris habent.

Inde

Inde fit, ut post pluvias aër medius sit magis serenus, quoniam partes crassiores separatæ sunt.

Propositio VIII.

Atmosphæra sive aër incalescens, majorem locum occupat quam antea: Calore autem quo magis destitutus est, eo magis se contrahit, & minus spatium occupat.

Hoc luculente ostenditur illo instrumento, quod thermometrum vocamus, propterea quod calorem vel temperiem aëris in calore & frigore illo metiamur, in quo videmus aërem densiorem fieri, & minus spatii in vitro occupare, quo aër frigidior est, & contra eo majus spatium, quo aër plus caloris acquirit, uti sequenti Propositione dicemus. Causa autem, sive ratio Propositionis à priori est, quoniam calidæ particulæ sive Solis radiorum sive alterius ignis sunt subtilissimæ omnium particularum totius mundi, & in continuo motu. Illæ itaque atmosphæræ dum sunt admixtæ, separant & divellunt illas particulas magno impetu, atque ita plures poros efficiunt: & his igniculis discedentibus, particulæ aëris sibi relictæ rursus coëunt, vel sibi mutuo implicantur.

Corollarium. Itaque altitudo aëris vel atmosphæræ non est constans, sed decrescit & accrescit. Nimirum in meridie maxima esse debet, in media nocte minima, circa tempus ortus & occasus solis, mediocris. Vide Propos. XIV.

Propositio IX.

Thermometrum sive Thermoscopium conficere, quo aëris mutationes in calore & frigore explorare possimus.

Sumamus vitrum oblongi & cylindracei colli cum sphærico capitulo L H. Hoc alligetur tabulæ M N P Q, capite sursum erecto. Orificio suppo-

natur

natur vas aqua (quam præstat esse coloratam) ita impletum, ut pars tubuli seu colli L F in ea abscondatur. Eligatur autem tempus mediocris aëris constitutionis, sive ad cujus temperiem, reliquorum dierum aëris temperiem comparare vis, atque illo tempore aqua infundatur in vas. Ita fiet, ut aëre facto frigidiore, aqua ultra F sursum ascendat, nimirum quia aër frigore condensatus, qui antea implebat spatium F A, jam minus spatii occupat. Contra aëre facto calidiore, aqua ab F versus L descendet, quia aër F H rarefactus jam plus spatii postulat.

Gradus autem accretionis vel imminutionis caloris & frigoris cognosces, si lineam F A in tabella diviseris in certas numerorum partes.

Vel sine vase supposito, habeat vitrum L H etiam ad extremitatem L, sphærulam cum exiguo foramine à latere, & hæc sphærula impleatur aëre. Nam & sic ostendentur aquæ ascensione vel descensione gradus caloris.

PROPOSITIO X.

Aër serenus vehementissimo ab igne ita potest rarefieri, ut spatium septuagies majus occupet, quam antea. Contra ita condensari, in sclopeto pneumatico, ut tantum sexagesimam partem prioris spatii occupet. Sed neque tantam rarefactionem calor solaris neque tantam condensationem frigus aëri inducit.

Probatur ex eo, quod si æolopila sumatur, & igne candescat, ea tunc capit aquæ uncias tredecim. Sed eadem æolopila frigida, sive ad naturalem statum rediens, capit uncias tredecim & sesquidrachmam. Itaque spatium, quod aër dum calidus erat, occupabat in æolopila, majus est eo spatio, quod occupat idem aër refrigeratus, estque differentia spatiorum ea pars æolopilæ, quæ sesquidrachmam aquæ capit, si tota capit tredecim uncias

cias cum sesquidrachma. Atqui hæc pars æolopilæ est fere septuagesima totius spatii in æolopila. Itaque aër fervidus existens occupavit spatium septuagies majus, quam deinde cum ad naturalem temperiem redit.

Propositio XI.

Cur in locis Zonæ frigidæ, eo tempore, quo Sol illuc omnino non oritur, quibusdam diebus aër est serenus, plerunque autem crassus & nebulosus?

℟. Nebulæ istius crassæ & fere semper durantis causa est exilis calor ipsius Terræ subterraneæ, vel etiam à Sole, ut etiam Luna (quæ tempore delitescentis Solis dies multos & noctes continue supra Horizontem manet) reliquisque stellis derivatus; qui calor quoniam debilis est, ideo nebulam discutere nequit. Quod autem aliqui dies noctesve serenitatem aëris præbent, id fit non ideo quod vapores crassi attenuati sint, sed quod vel ad Tellurem subsederint, vel ventis in alia loca repulsi.

Propositio XII.

Cur sæpe in maximo hyemis frigore aër tamen subtilis est & serenus, cum tamen frigus aërem denset & contrahat?

Frigus duplex est, mediocre & sævum. Mediocre frigus non reddit aërem serenum sed nebulosum, quia ab exili calore, qui illi frigori adjunctus est, vapores elevantur, sed non discutiuntur. Sed sævum & vehemens frigus aërem serenum præbet duplici de causa: 1. Quia crassiores aëris vapores magis crassos facit, & sic efficit ut decidant, aëremque magis subtilem præbeant. 2. Quia pori Telluris clauduntur & constringuntur, & vapores ipsi ita exhalare aëremque turbidum reddere nequeunt. Mare ipsum quidem gelu non constringitur, nihilominus particulæ ita gelu densantur, ut

ad

ad exhalationes non ita promptum sit, etsi plurimas emittat, quandoquidem alia est ejus conditio ac Telluris.

PROPOSITIO XIII.

Cur aër inspectus juxta lineam Horizontalem sive aër Horizontalis apparet crassior & magis nebulosus, quam is in quo versamur.

Causa duplex est. Prima, quia aër circa Horizontem revera est magis nebulosus. Altera est fallacia visus vel judicii ex visu. Etenim particularum aëris Horizontalis distantias oculus apprehendit angulis admodum parvis, sicut distantias columnarum ordine & longa serie positarum, & ideo sicut columnas remotas conjunctas esse judicium autumat, ita quoque particularum aëris Horizontalis distantias non apprehendit, sed conjunctas existimat: particularum autem aëris elevati distantias aspicit oculus sub angulis majoribus, & ideo melius eam apprehendit.

Eadem causa est, cur aër, qui nebulosus nobis ab illo remotis apparet, ubi ad illum accedimus vel in eo versamur, minus nebulosus esse videtur.

PROPOSITIO XIV.

An atmosphæræ sive aëris altitudo supra tellurem sit in omnibus locis eadem ad idem tempus. Et, *an ejus figura sit sphærica?*

Quod non eadem sit, sed admodum diversa altitudo in diversis locis, ex eo videtur sequi, quod Sol uni tantum loco ad unum tempus est verticalis, ad reliqua loca radios mittit obliquos & eo debiliores, quo locus à Sole remotior & polis vicinior. Itaque diversa admodum est potentia radiorum solis ad elevandos vapores, & ideo ad diversas altitudines extollentur, nimirum in loco

cui

cui ſol verticalis eſt, maxima erit altitudo, in oppoſito loco minima, in locis circa polum media, ut ita ovalem figuram aër accipiat.

Contrarium vero magis veriſimile eſt, nimirum quod eadem ſit altitudo atmoſphæræ in omnibus locis. Etſi enim in quibuſdam locis vapores & aër magis elevetur quam in aliis, tamen quia aër fluxilis eſt & ſua gravitate ad Telluris centrum tendit, ideo pars aëris elevatior premet aërem ſub ſe poſitum & hic alium depreſſiorem à latere trudet, donec omnes partes eandem altitudinem acquirant.

Atque ita eodem modo demonſtrabitur aëris figura ſphærica, ſicut capite XIII, de Aqua cum Archimede eandem probavimus, quia valent hic eadem hypotheſes, quas ibi aſſumſimus: nimirum pars aëris minus preſſa expellitur à magis preſſa; premitur autem unaquæque pars aëre ſupra eam exiſtente. Quare aëris figura eſt ſphærica, non ovalis, ut quidam volunt. Sed niſi hypotheſis dicta concedatur, ruit demonſtratio.

Carteſius quoque ovalem facit aëris figuram peculiari ratione. Vide cap. XIV.

PROPOSITIO XV.

Condenſatio vel rarefactio aëris non mutat ejus altitudinem.

Nimirum, quia non tota atmoſphæra condenſatur vel rarefit, ſed quædam partes, atqui in omni tempore quædam partes condenſantur vel rarefiunt, modo hæ, modo illæ: Quare condenſatio vel rarefactio unius temporis non magis mutat altitudinem, quam condenſatio vel rarefactio prioris temporis. Differentia tantum eſſe videtur, quod in uno tempore major poſſit eſſe condenſatio vel rarefactio quam in alio: ſed hæc differentia parum augere poteſt altitudinem.

PROPOSITIO XVI.

Atmosphæræ sive aëris altitudo non tantum eadem est in diversis locis, sed etiam omni tempore tum æstate quam hyeme eadem & constans manet.

Etenim etsi calor in æstate nostri loci, nostrum quoque aërem magis attenuet & elevet, quam in hyeme, tamen quia eodem tempore in alio loco Telluris hyems est, in illo minus attolletur aër. Quare pars aëris nostri movebitur versus aërem locorum illorum, ubi aër minus altus est, nempe ad locum depressiorem, ut Propos. XIV est dictum. Et contra, dum aër nostri loci propter frigus hyemis deprimitur, pars aëris istius loci ubi æstas est vel major calor, movebitur versus nostrum locum, nimirum donec totus aër æqualiter absit à centro Telluris.

Eadem ratio de die ac nocte. Dum enim nobis nocte aër contrahitur & deprimitur, in alio loco rarefit magis, & sic versus aërem nostri loci movetur, donec iterum sphæricam figuram faciat. Et quia ubique omnia paria sunt, manebit eadem ubique altitudo in omni tempore. Quod vero uno tempore & loco magis condensetur vel rarefiat aër, quam in alio loco vel tempore, ea differentia cum admodum parva sit, parum potest altitudinem variare, ut præced. Propos. monuimus.

Eadem est ratio nebularum, vel pluviarum, vel vaporum, quæ fiunt in nostro loco vel alio. Hisce enim videtur altitudo aëris vel major vel minor debere. Sed respondeo, vix ullum tempus esse, quo non in aliquo loco Telluris pluat, nebula cadat, &c. Et propterea dum in uno loco pluit, non ideo minor fit aër, quam antea erat, quoniam antea in alio loco pluebat: Et sic par est ratio, & aëris quantitas nec augetur nec minuitur.

Propositio XVII.

Quo aër frigidior est, eo densior est; & propterea plerunque hyeme densior, quam æstate est (nimirum in aliquo Telluris loco); item nocte, quam die: atque illam densitatem augent aquosi crassi halitus in hyeme & nocte, præsertim matutinis & vespertinis horis.

Veritas Propositionis manifesta est ex præmissis propositionibus. Neque obstat, quod pars calidioris aëris versus frigidiorem tanquam depressiorem locum moveatur, quoniam non ipse sed alius vicinus accedit propter continuam protrusionem, & si vel ipse accedat, tamen in loco frigido & ipse frigidus evadet.

Propositio XVIII.

Aëris tres regiones vulgo constituuntur, quarum media ea ponitur, in qua nix, pluvia, grando generetur: prima ea, in qua nos versamur, extendens se usque ad mediam. Tertia, quæ à media termino supremo incipit & usque ad extimam aëris superficiem se extendit ad Ignem sublunarem usque, ut Aristotelici loquuntur.

Media frigidior est quam prima & tertia, quæ calidiores censentur: Tertia quidem, propterea quod subtiliores, igneas, & sulphureas exhalationum partes continet, quæ ad illam supra aquearum particularum locum evolant, vel protundunt, utpote leviores (Aristotelici calidam esse dicunt, propterea quod igneæ sphæræ vicina sit); prima autem, quoniam radii Solis incidentes vicini ibi sunt reflexis, & sic calorem duplicant: accedit quod particulæ ignis subterranei exhalantes quædam in hac regione versantur. Media vero frigidior est, propterea quod neque reflexi radii incidentibus in Tellurem ibi vicini sunt, neque

que particulas igneas & sulphureas multas continent, sed aqueas: quippe sulphureæ, & igneæ, quæ aqueas evexerunt, altius evolant.

PROPOSITIO XIX.

Quo locus Telluris à loco illo, cui Sol verticalis est, magis recedit ad polos, sive quo locus vicinior est polu, eo minori distantia à Tellure abest locus aëris, in quo pluvia, nix, grando generari incipiunt.

Causa est, quod radii solis obliquius incidunt in loca circa polos, quam in loca circa Æquatorem, & ideo refracti multum abducuntur ab incidentibus, & sic minorem calorem efficiunt & ad minus spatium quam radii sub loco solis sive sub Zona Torrida, atque ideo in loco propiori vapores aquei poterunt coïre ad generanda aquea meteora.

Corollarium. Superficies terminans regionem primam aëris est ovalis, vel potius Elliptica sive sphæroïdica, protuberans in Zona Torrida.

PROPOSITIO XX.

Quo locus Telluris polo vicinior est, eo majori distantia abest à Tellure illa aëris regio quæ incipit tertiam, sive in qua subtiliores & sulphureæ particulæ versantur.

Etenim pauciores sulphureæ & subtiles particulæ in parte atmosphæræ versantur, quo polo vicinior est, propterea quod calor Solis pauciores ex terra eliciat. Quoniam itaque pauciores ex terra eliciat. Quoniam itaque pauciores sunt particulæ tertiæ regionis sub Zona frigida, quam temperata, & in hac pauciores quam in torrida, & tamen terminus extimus regionis illius tertiæ æqualiter abest à centro Telluris juxta Propos. XV I, inde sequitur, quod initium illius regionis sub Zona Frigida longius absit à centro Telluris, quam initium illius in Zona Torrida & Temperata.

Corol.

Corollarium. Superficies terminans secundam aëris regionem, sive eam à tertia distinguens, est sphæroidica, protuberans in Zona Frigida.

Hæc omnia adolescentibus per Diagrammata ostendenda sunt.

PROPOSITIO XXI.

Radius Solis, Lunæ & reliquarum stellarum ex æthere per aërem ad oculos nostros non directe perveniunt, sed ubi ingrediuntur aërem, à directo itinere abducuntur vel deflectunt aliquantum, quod Optici vocant, refringi radios, atque ita radii refracti ad oculos nostros perveniunt, & stellam conspiciendam præbent.

Subtilissima est doctrinæ opticæ pars, quæ de Luminis refractione agit. Experientia siquidem testatur, radios à quovis visibili vel corpore progressos, si ex uno medio incidant in aliud medium, quod vel densius vel subtilius sit priore, illos ubi hoc aliud medium ingressi sunt refringi, sive à directo itinere deflectere ad latera. Facilis est explicatio ex vulgari experimento. Sumatur vas aliquod, & fundo affigatur globus aureus vel cupreus, sive moneta aurea: Dein recede à vase, donec propter laterum vasis obstaculum non amplius videre possis monetam in fundo. Tunc infundatur in vas aqua; quo facto, iterum conspicies in priori distantia monetam. Ex hoc itaque sequitur, cum à moneta nullus radius directe potuisset pervenire ad oculum propter interpositionem laterum vasis, & nihilominus post infusam aquam radii ad oculum perveniant, sequitur, inquam, ex hoc, quod radii à moneta progredientes ubi ex aqua in aërem ingrediuntur, deflectere vel refringi à directa via, & sic refractos ad oculum pervenire. Dicitur refractio, quia ob illam causam contus parte in aquam immersa apparet fractus.

Ita

Ita sit centrum Telluris T, L oculus in superficie : *drfp* superficies atmosphæræ vel aëris. Nullus itaque radius directe ad oculum L pervenire potest, qui sit infra L*fg* : alii enim inferiores



radii incidérent in tumorem terræ L o. Quare nulla stella directo radio apparere potest, antequam in lineam Horizontalem L*fg* perveniat. Atqui stellæ prius apparent, nimirum dum adhuc sunt infra L g, exempli gratia in S, & tamen ab S ad oculum L nullus radius directe potest pervenire, quia incideret prius in terram L o. Itaque ne-

cesse est, ut radius qui à stella S ad L oculum pervenit, non sit directus, sed aliquis refractus, nempe L *f*, qui refractus ab incidente radio S *f* propagatus, nimirum S *f* ex æthere in crassius medium, nempe atmosphæram in *f* incidens, refringitur & fit *f* L, cum directus esset in n. Et sic stella apparet, antequam revera apparere radio directo potest, hoc est, antequam in lineam Horizontalem L *f g* perveniat.

Sic stella in *f* existens non videtur per directum radium *f* L, sed per refractum *r* L, cujus incidens est *f r*, directus *r m*. Et ideo stella *f* apparet altior propter refractionem, quam revera est, & in alio loco nimirum altus apparet arcu *x g*, sive angulo *r* L *g*, quasi esset in *x*, cum sit revera in *f*.

Est enim hæc refractionum natura, ut radii ex rariori medio in densius incidentes ut ex æthere in aërem, refringantur vel declinent versus perpendicularem ductam per punctum incidentiæ ad superficiem incidentiæ sive medii. Ex. gr. S *f* radius incidit ex æthere in aërem: *f* est punctum incidentiæ, T *f* perpendicularis per *f* ducta ad superficiem *d r f p*. Itaque radius S *f n* refringetur versus *f* T, ut ex *f n* fiat *f* L.

Ita ex *r m* fit *r* L. Contrarium fit cum radii ex aqua in aërem egrediuntur. Tunc enim magis recedunt à perpendiculari dicta.

Deinde hæc quoque refractionum est natura, ut radii perpendiculariter incidentes superficiei alterius medii non refringantur, sed tantum illi, qui oblique sive non perpendiculariter incidunt, & quidem eo magis refringuntur, quo minus perpendiculariter incidunt, sive quo magis à perpendiculari abscedunt. Ita radii S T, *f* T, H *d* T non refringuntur, quia sunt perpendiculares in superficiem *d r f p*, sed radii S *f*, *f r*, refringuntur quia oblique incidunt, & quidem S *f* magis quam *f r*.

Ex

Ex quo sequitur id, quod experientia quoque testatur, quo stellæ Horizonti sunt viciniores, eo magis ipsarum radios refringi; quo altiores, eo minus. Et observarunt Astronomi, refractionem insensilem esse, ubi stella altitudinem 20 graduum adepta est, non quod nulla sit refractio, sed quod admodum exigua.

Atque ex observationibus multis Optici & Mathematici recentiores derivarunt regulam refractionis, omnium radiorum oblique incidentium, nimirum quod in omni medio una & constans sit ratio inter sinum anguli incidentiæ & sinum anguli refracti: nempe angulus *n f* T dicitur angulus incidentiæ, L*f* T angulus refractus, *n f* L angulus refractionis: & sic in refractione radii *f r m*. Itaque quæ est ratio sinus anguli T *f n* ad sinum anguli T*f* L, eadem est ratio sinus anguli T *r m* ad sinum anguli T *r* L. Unde sequitur, si ex observatione constet quantitas refractionis ad elevationem unius radii, posse inde cognosci quantitatem refractionis pro omnibus aliis, aliis utcunque elevatis.

PROPOSITIO XXII.

Atmosphæra sive aër facit, ut Sol & stellæ reliquæ prius videantur, quam in Horizonte oriuntur, item ut videantur adhuc aliquantulo temporis, postquam occiderunt, item ut videantur altiores, quam sunt, & in alio cali loco; quamdiu non sunt altiores, quam 20 gradibus.

Causa in præcedenti propositione satis explicata est: Experientias tantum quasdam addemus, sive phænomena naturalia. Cum Belgæ in Nova Zembla hybernarent, Sol illis apparuit sedecim diebus citius, quam revera in Horizonte existeret, hoc est, cum adhuc infra Horizontem depressus esset quatuor circiter gradibus, & quidem aëre

sereno. Atque celebres Astronomi cum Tychone experti sunt, quod in nostris locis aëre matutino serenissimo existente, Solem conspiciamus elevatum supra Horizontem minutis 34, cum totus adhuc infra Horizontem est, ita tamen ut limbus Horizontem stringat. Et videtur Sol oriti, cum totidem circiter minutis 34 adhuc depressus est infra Horizontem, nimirum aëre serenissimo existente nostri loci.

Ita Spica Virginis, splendida stella, videtur nobis oriti, cum adhuc 32 minutis deprimitur infra Horizontem, quod inde colligitur, quia videtur oriri, cum cauda leonis alta est 34 gr. 30 min. & in eadem plaga, in qua hæc stella Leonis tunc est. Atqui cauda Leonis & spica Virginis distant 35 gr. & 2. min.

PROPOSITIO XXIII.

Quo aër seu atmosphæræ pars, in quam radius stellæ incidit, crassior est, eo majorem efficit refractionem, positis cæteris paribus, nempe eadem elevatione stellæ & eadem altitudine aëris.

Ita angulus n f L (qui est & dicitur refractio) eo major est, sive refractus f L eo magis accedit ad f T, quo atmosphæra crassior est. Ita Optici in omnibus mediorum generibus verum esse deprehenderunt.

PROPOSITIO XXIV.

Quo aër crassior est, eo magis stella infra Horizontem depressa est, cum primum apparere incipit.

L f est radius refractus qui primus apparere facit stellam: L f T angulus refractus. Et sit incidens radius S f n, & angulus incidentiæ n f T, erit refactio n f L.

Jam ponamus aërem f n L o esse crassiorem, quam est ubi refractionem n f L radii facit. Si itaque

que crassior est, faciet angulum refractionis majorem, nempe c f L, & radius incidens erit K f c. Itaque stella existente in K, radius K f refringetur, ut refractus f L stellam conspiciendam præbeat. Aëre vero minus crasso existente, stella in S existente primum conspiciebatur.

PROPOSITIO XXV.

Quo aër est humilior, eo stella magis depressa est infra Horizontem, cum primum apparere incipit (cæteris paribus, posita eadem aëris serenitate vel crassitie), *sive eo diutius vel citius ante ortum suum conspicitur.*

Etenim posito aëre humiliore, angulus refractus T f L erit major, ex. gr. si aëris altitudo sit T 4, erit angulus refractus (pro radio refracto primum ad L perveniente) T 4 L. Ducatur 49 parallela cum f n. Quoniam itaque est, ex hypothesi Proposit. XXI, ut sinus unius anguli refracti T f L ad sinum alterius refracti T 4 L (namque tantum altitudine non densitate differre ponuntur); ita sinus anguli incidentiæ n f T ad sinum anguli incidentiæ, 3 4 T pro refracto 4 L & incidente 3 4 6. Atqui sinus anguli T 4 L ad sinum T 4 9 habet majorem rationem, quam sinus T f L ad sinum T f n, ut facile demonstratur descripto ad hoc lemma diagrammate. Quare sinus anguli T 4 L ad sinum T 4 9 habet majorem rationem, quam sinus idem T 4 L ad sinum T 4 3. Et ideo sinus T 4 9 est minor quam sinus T 4 3. Et ideo angulus T 4 3 est major angulo T 4 9, & 3 4 L major quam 9 4 L, hoc est quam n f T refractio: sinus T 4 L est major quam excessus sinus T f n supra sinum T f L. Quare angulus 3 4 L est major quam angulus n f L, & ideo 4 3 protracta, nempe 3 4 6 radius incidens pro refracto 4 L, cadet infra S f, & stella erit in 6, ut faciat refractum radium 4 L, atque

ideo depressa magis, quam cum in S, ubi altitudo aeris erat L f.

Propositio XXVI.

Eadem potest esse stellæ alicujus refractio ad eundem ejus situm, etsi diversa sit aëris altitudo, si modo in densitate aëris sit differentia.

Forma problematis rectius proponitur ita: *Data altitudine aëris & refractione, quam stella facit ad datam altitudinem, & data præterea alia altitudine aëris, invenire hujus aëris densitatem sive proportionem refractionis talem ut ad datam stellæ altitudinem eadem sit refractio, qua in prima altitudine aëris erat.* Ex. gr. in altitudine aëris T f, radius stellæ S f facit angulum refractionis n f L. Si jam sit alia altitudo aëris T 4, & tamen stellæ S in eodem situ radii incidentis 4 5 (qui propter ingentem distantiam quasi parallelus est cum S f) refractio 3 4 L sit æqualis refractioni n f L.

Quæritur an hoc fieri possit, & si possit, utrum densior vel rarior esse debeat hic alter aër, & in qua proportione densitatis vel raritatis?

Respondeo, id fieri posse, & quidem si alteta data altitudo aëris sit major quam prior T f, debet alterius hujus sive secundi aëris major esse densitas vel crassities: si vero altera data altitudo sit minor, ex.gr. T 4, debet hujus alterius crassities esse minor, sive raritas major. Quanta autem ea debeat esse raritas vel densitas, cognoscitur ita.

Invenitur prius angulus T 4 L (ex data T 4 & T L) item T f L. Dein sinus anguli T 4 L, item sinus anguli T 4 3 (qui est angulus incidentiæ radii 3 4 6). Habetur igitur proportio densitatis hujus aëris vel raritatis ad rationem ætheris, ex quo radius incidens venit. Eodem modo sinus anguli T f n & T f L sumantur, sic sinus hi indicabunt prioris aëris raritatis proportionem ad raritatem

ritatem ætheris. Ex comparatione harum rationum innotescet, quanto posterior aër minoris altitudinis debeat esse ratior vel minoris crassitiei quam prioris.

Proprie tamen loquendo non est eadem refractio, quia eadem refractio intelligitur, si radii incidentes æqualiter elevati sint super superficies mediorum.

Propositio XXVII.

Si unius loci aër sit & crassior & humilior, quam alterius loci aër, Sol & reliquæ stellæ magis depressæ erunt infra Horizontem prioris loci, cum primum apparere incipient, quam in secundo loco.

Hujus Propositionis ex præced. xxv & xxvi manifesta est demonstratio. Sequitur quoque ex ea, si in locis Zonæ frigidæ aër sit & crassior & humilior, quam in locis Temperatæ Zonæ & Torridæ, Solem in illis locis longe citius ante ortum & diutius post occasum videri posse, quam in posterioribus locis. Etenim cum magis depressus sit infra Horizontem, & præterea multo obliquius & longiori tempore ascendat ad Horizontem illorum locorum, inde sequitur, quod longe citius ante ortum videatur in Zona frigida quam in Zona Torrida. Sed dubium est, an aër sit humilior in Zona frigida, & licet Sol citius videatur ante ortum, annon sola crassities aëris sufficiat, de quo postea.

Propositio XXVIII.

Si unius loci aër sit crassior & altior, quam alterius loci, potest is esse excessus crassitiei, ut non videant stellas ante ortum tanta in depressione infra Horizontem, quam in altero aëre: potest etiam talis esse excessus crassitiei, ut in eadem depressione stellas incipiant conspicere: denique tan-

tus potest esse excessus crassitiei, ut stellas in multo majori depressione infra Horizontem conspiciant, quam in altero aëre.

Imo crassities longe majorem potest hic inducere depressionem, quam aëris humilitas. Et pro refractionibus in Nova Zembla altitudo insignis aëris, cum crassitie requiritur.

PROPOSITIO XXIX.

Fieri nequit, ut stellæ alicujus in duabus altitudinibus refractiones in uno aëre sint æquales ejusdem stellæ in eisdem altitudinibus existentis refractionibus in alio aëre qui altior sit, vel humilior, sive crassior vel subtilior.

In præcedenti propositione monstravimus, si in altitudine aëris T f, radius incidens S f n faciat refractionem n f L, posse in alia altitudine aëris nempe T 4 radium S 4 (qui parallelus est cum S f propter ingentem distantiam, & sunt radii ab uno puncto) facere eandem refractionem 3 4 L, quæ æqualis sit refractioni n c L, nimirum si aër 4 o L w sit minus crassus, quam f o L d. Jam itaque quæritur, an hoc quoque in duabus stellæ altitudinibus fieri possit, exempli causa, posito, quod in situ stellæ S, aër f o L d, & aër f o L w, ita se habuerint, ut fecerint æqualem refractionem: an in alia altitudine stellæ, ex. gr. in f, in eisdem atmosphæris f r d L o, 4 w L o possit iterum æqualis esse refractio sive eadem m c L. Et dico quod id fieri non possit.

Sit enim centro T intervallo alterius altitudinis aëris T 4 descripta peripheria sive superficies hujus aëris, secans L r in 3. Erit 3 L radius refractus in altero hoc aëre, per quem stella f videtur. Debet enim radius 3 L idem esse cum r L propterea quod eadem ponitur stellæ f apparens altitudo x g, vel angulus r L f. Porro pro hoc refracto incidens

cidens radius per 3 ducatur 7 3 w, quæ quidem parallela erit cum f r m, si refractio L 3 w esset æqualis refractioni L r m. etenim ducatur etiam T 3, erit angulus T 3 w angulus incidentiæ, T r L angulus refractus, w 3 L refractio.

Est itaque ut sinus 3 4 T ad sinum L 4 T, ita sinus w 3 T ad sinum L 3 T.

Et ut sinus n f T ad sinum L f T, ita sinus m r T ad sinum L r T.

Et vero 3 4 L est æquālis n f L. Quare w 3 L non est æqualis m r L: sive w 3 non est parallela cum m r.

Hæc autem consequentia operosiorem & difficiliorem requirit Demonstrationem, quam ut hoc loco proponi possit, cum ad Geometriam potius spectet: Ex sequentis tamen propositionis analysi fiet manifesta.

PROPOSITIO XXX.

Observatis duabus refractionibus stellæ alicujus in duabus altitudinibus, invenire inde & altitudinem aëris & crassitiem aëris respectu ætheris, sive regulam refractionis in isto aëre.

Refractio stellæ est æqualis differentiæ inter observatam ejus altitudinem & veram quæ ex calculo cognoscitur, & ideo facile est observare refractiones stellarum. Jam ad ipsum propositum.

Si Geometrice hoc solvendum sit, reducitur ad problema hoc:

Dentur nimirum stellæ in S existentis & radium S f ejaculantis refractio n f L.

Deinde in altitudine f g ejusdem refractio m r L.

Itaque in circulo d r f p d, cujus centrum T, datur T L (semidiameter terræ) & ductis T r, T f, L f, L r, dentur anguli T L f, T L r (ex altitudine stellæ & 90 min. compositus), & dantur anguli n f L, m r L, & sciemus præterea, quod eadem sit

ratio sinus anguli n f T ad sinum L f T, quæ est ratio sinus m r T ad sinum L r T. Ex hisce invenienda est semidiameter circuli T f vel T r, & præterea ratio sinus n f T ad sinum L f T, sive inveniendus est angulus T f L. sic enim illa ratio sinuûm simul nota erit.

Id quidem inveniri posse, docet analysis, sed difficillima solutione, ita ut Synthesis non possit fieri sine multis propositionibus præmissis instar Lemmatum, quod hoc loco omnino alienum est. Afferamus tamen analysin, tum ut problema hoc determinatum esse ostendamus, tum ut præcedentis Propositionis veritas simul confirmetur.

	TL sit f		
Sinus anguli recti	TLf. s. b		Quæramus angulum L f T, quia hunc postquam nacti sumus, etiam T f & reliqua innotescent.
Sinus	TLr s. c		
Sinus	nfL s. d		
Sinus Complem.		s. g	
Sinus	mrL s. h		
Sinus Complem.		k	
Sinus	LfT s. a		

Est itaque in Triang. f L T.

Ut sinus L f T ad sinum T L f ita T L ad T f.

Ut a ad b ita f ad $\frac{bf}{a}$.

Et quia datur utriusque anguli T f L, L f n sinus, dabitur etiam sinus totius anguli n f T, nimirum si multiplicetur alternatim sinus unius anguli in sinum complementi alterius, & productorum aggregatum dividatur per radium b. Est itaque sinus anguli n f T, $\frac{ha\,rdb - dr\sqrt{(bb-aa)}}{f}$

Dein in Triangulo T L r, nota jam sunt T r, T L, sinus T L r.

Itaque ut T r ad T L ita sinus T L r ad sinum T r L.

Ut

Ut $\frac{bf}{a}$ ad f ita ad $\frac{ca}{b}$ pro sinu TrL.

Atqui datur etiam sinus mrL: itaque invenietur juxta priorem regulam sinus totius mrT, nempe, si, $gf + \frac{kca}{bf} - \left(\frac{ggffbb - gccaa}{bbff}\right)$ sive si $\frac{ka}{b}$ æqualis sit m, & $\frac{ggcc}{bb}$ sit nn. erit sinus illo $g + \frac{ma}{f} - \sqrt{\left(\frac{ggff - nnaa}{ff}\right)}$.

Habemus itaque sinus quatuor angulorum LfT, nfT, LrT, mrT: hosce autem proportionales esse novimus. Itaque erit

Ut sinus TfL ad sinum Tfn, ita sinus TrL ad sinum Trm.

Ut a ad $\frac{ha + db - d\sqrt{(bb-aa)}}{f}$ ita $\frac{ca}{b}$ ad $g + \frac{ma}{f} - \sqrt{\left(\frac{ggff\ nnaa}{ff}\right)}$.

Et ideo ut b ad c ita $ha + db - d\sqrt{(bb-aa)}$ ad $gf + ma - \sqrt{(ggff - nnaa)}$

Et $-bgf + cdb - bma \pm cha + b\sqrt{(ggff\ nnaa)}$ Æqu. $+ d\sqrt{(bb - aa)}$.

Pro $-bgf + cdb$ sume p, & pro $-bma + cha$ pone qqa.

$$\text{Et } -p^6 - qaa^4 - 2pqqa^3$$
$$+ bbggff - bbnnaa$$
$$+ ccddbb - ccddaa$$

æqu. 2. $\sqrt{\left\{ \begin{array}{l} bbggffccddbb - bbggffccddaa \\ - ccddbbnnaa^4 \end{array} \right.}$ $\left. + bbnnccdda^4 \right\}$

Et facta divisione per 2p, & substitutis aliis signis, erit.

$$r^3 - taa + qqa \text{ æqu. } \sqrt{(x^6 - yaa^4 + \vartheta\vartheta a^4)}$$

$$\text{Et } r^6 + tta^4 + qaa^4 \quad + 2.\ rqqa^3 \text{ æq. } x^6 - yaa^4 + \vartheta\vartheta a^4$$
$$- 2.\ tqqa^3 - 2\ rtaa^3$$

Et facta iterum divisione per tt - $\vartheta\vartheta$, & substitutis aliis signis erit $\overset{4}{a} - \beta \overset{3}{a} - 6\theta aa + \infty\infty \overset{4}{a}$ æqu. γ.

Ex hac æquatione patet, problema determinatum esse, & ipsam a, hoc est sinum anguli T f L, posse invenire tam per Geometriam quam Arithmeticam analyticam Vietæ: vel etiam facilius, si divisione possit æquatio ad minorem potestatem redigi: Ex hoc itaque colligitur, duas refractiones sufficere ad inveniendam aëris T f altitudinem & ipsam proportionis regulam: quod ideo moneo, quia Keplerum video in Epitome Astronomiæ, pag. 65, tres requirere refractiones, etsi ipse hanc viam non tentaverit.

Etsi autem ita est ostensum, solutionem problematis haberi posse tam per Geometriam quam Arithmeticam, tamen quia utraque admodum operosa & difficilis est, præsertim Geographiæ studiosis, quorum plerique ista non capiunt, ideo in illorum gratiam monstrabimus aliam methodum, qua problema facilius quidem absolvatur, etsi minus Mathematica sit, nimirum per regulam positionis. Assumatur itaque T f in certa mensura ad T L.

Itaque in Triangulo f L T ex f T, T L, T L f, invenietur angulus T f L. Ita in Triangulo T L r ex T r, T L, T L r, invenietur angulus T r L.

Sumantur deinde sinus angulorum T f L, T f n, T r L, T r m. Item ad sinus T f L, T f n, T r L sumatur quarta proportionalis. Si itaque sinus T r m sit æqualis quartæ huic proportionali: tunc assumta magnitudo seu altitudo aëris T f erit vera & legitima: si vero sinus T r m sit major quam quarta illa proportionalis, erit T f minor assumenda; si minor, tunc major assumenda: atque hoc eousque faciendum erit, donec sinus T r m inventus æqualis sit inventæ quartæ proportionali.

EXEMPLUM.

Spica Virginis & quælibet alia stella, sive Sol, ponatur in Horizonte L f conspici, cum adhuc 40 32 minutis depressa est, nempe in S. Itaque refractio n f L est 32.

Deinde cum eadem stella vel Sol habet altitudinem g x apparentem 1 gr. 22 min. sive veram g f. 1 gr. tunc refractio L r m deprehenditur 22 min.

Semidiameter T L est 860. mill. Germ. ponatur esse 10000, & altitudinem o f ponamus esse talium partium S, nempe $\frac{1}{10000}$ sive $\frac{1}{2000}$ totius semidiametri T L, hoc est, $\frac{1}{8}$ circiter unius milliaris.)

Itaque in Triangulo T L f, assumto sinu toto 10000000.

Ut f T ad T L, ita sinus illi T L f ad sinum T f L.

2001 - 2000 - 10000000 - 9995 992. sinus 88 gr. 22 min. 40 sec.

Itaque T f n est 88 gr. 54. min. 40. sec. cujus sinus 9998 200.

Rursus in Triangulo T r L.

Ut T r ad T L ita sinus anguli T L r ad sinum T r L.

2001 2000 9997 155 9992159. sinus 87 gr. 43 min. 40 sec.

Ergo T r m est 88 gr. 5 gr. 40 min. cujus sinus 9994500.

Inveniatur jam ad sinus T f L, T f n, T r L quarta proportionalis, nempe

T f L T f n T r L.

Ut 9995992 ad 9998200, ita 9992159 ad 9994366.

Cum hoc quarto numero comparetur sinus anguli T r m, qui est 9994500.

Deprehendimus itaque quod hic sinus sit quartæ illi fere æquales, & ideo altitudinem aëris assumtam ($\frac{1}{8}$ unius milliaris) non multum à vera

discrepare. Si tamen accuratius eam habere cupis, assumere potes aliam altitudinem atque eodem modo operari, donec sinus T r m magis æqualis sit quartæ isti proportionali: vel etiam regulam Falsi adhibere, sive ex duarum positionum defectu colligere veram altitudinem, quantum id licet. Nam omnino accuratam non licet invenire, propterea quod sinus in minimis numeris admodum varient, etsi vel dimidii minuti saltem vitium fuerit. Præterea Canon sinuum debet esse accuratissimus.

Concludimus itaque quod altitudo aëris sit bis millesima pars circiter semediametri Telluris: est autem semidiameter hæc perticarum 1633190, itaque altitudo aëris est 816 perticarum, qualium una continet 12 pedes Rhinlandicos: sed rectius assumitur dimidium milliare Germanicum, quia refractio L f n à Tychone observata est major, quam nos sumsimus, & sumi potest 36, imo 42 quo posito, altitudo aëris non minor erit quam unum milliare.

Cognita jam altitudine aëris, simul quoque habetur ratio densitatis vel crassitiei aëris ad crassitiem vel subtilitatem ætheris, sive regula refractionis in isto aëre, qui nempe tales refractiones & fecit ad tales stellæ situs: nimirum ratio sinus T f L ad sinum T f n antea inventa, est quæsita ratio.

Ut, 9995992 ad 9998200. Atque quod refractiones hæ tam parvæ sunt, causa est, quoniam aërem serenissimum sumsimus, qui non adeo multum ab æthere differt in raritate, ut quidam sibi imaginantur.

Porro an inventa altitudo aëris eadem sit ubique & in omni tempore, id cognoscetur, si ex duabus refractionibus ad duas stellæ altitudines in alio aëre & alio tempore observatis calculetur altitudo aëris eodem modo, ut jam fecimus.

Atque

Atque ut horum Naturæ secretum studiosi habeant, in quo calculum exercere & periculum ejus rei (an eadem sit ubique & omni tempore altitudo) facere possint, dabo ipsis hic exempla ex observationibus Tychonis, qui Solis & Lunæ refractiones observavit ad singulos altitudinis eorum gradus. & quia Lansbergii observationes (quia in diverso aëre observavit, si modo observavit) à Tychonianis discrepant, illas quoque addam.

TABULA REFRACTIONUM.

Gradus altitudinis.	Refractio Solis juxta Tychonem.	Refractio Lunæ juxta Tychonē.	Refractio Solis & Lunæ juxta Lansberg.
gradus	*minuta* I.	*minuta* I.	*minuta* I. II.
0	34	33	34.
1	25	25	26.
2	20	20	21.
3	17	17	18.
4	15	15	15. 45.
5	14	14	14. 0.
6	13	14	12. 30.
7	12	13	11. 15.
8	11	12	10. 5.
9	10	11	9. 5.
10	10	11	8. 15.
11	9	10	7. 35.
12	9	10	7. 5.
13	8	9	6. 40.
14	8	8	6. 19.
15	7	8	6. 0.
16	7	7	5. 42.

Gradus

Gradus altitudinis.	Refractio Solis juxta Tychonem.	Refractio Lunæ juxta Tychonē.	Refractio Solis & Lunæ juxta Lansberg.	
gradus	*minuta* I.	*minuta* I.	*minuta* I.	II.
17	6	7	5.	24.
18	6	6	5.	7.
19	5	6	4.	50.
20	4	5	4.	33.
21	4	4	4.	16.
22	3	3	4.	0.
23	3	3	3.	44.
24	3	3	3.	28.
25	2	2	3.	12.
26	2	2	2.	56.
27	2	2	2.	40.
28	2	2.	2.	24.
29	2	2	2.	9.
30	1	1	1.	54.
31	1	1	1.	39.
32	1	1	1.	24.
33	1	1	1.	9.
34	1	1	0.	55.
35	1	1	0.	41.
36	1	1	0.	27.
37	0	1	0.	13.
38	0	1	0.	0.

Lansbergius easdem ponit tam Solis quam Lunæ refractiones: Tycho autem aliquantulum diversas, nimirum circa Horizontem facit Solis refractiones majores quam Lunæ, dein ad gradum

dum altitudinis quintum facit æquales ab hoc, dein Lunæ refractiones facit aliquantulum majores solatibus. Hujus sane causam fateor me ignorare, nisi debilitati Lunaris luminis asscribenda sit. Præterea Tycho omisit secunda minuta, quæ tamen non negligenda sunt, si ad 60 prope accedant, quoniam in calculo altitudinis aëris eorum usus est. Sciendum autem est, omnium stellarum easdem esse refractiones, vel insensilem saltem esse differentiam, nimirum in uno aëre, sed si aër sit crassior, erunt refractiones majores. Cujus exemplum sit hoc (cujus causa à nemine hactenus sufficienter data est). Belgæ in Nova Zembla hybernantes conspexerunt Solem post aliquot mensium noctem, cum adhuc quatuor gradibus infra Horizontem esset ad minimum Solis limbus. Itaque refractio n f L est 4 gr. 30 min.

Dein cum depressus esset adhuc infra Horizontem 3 gr. 45 min. viderunt eum elevatum supra Horizontem 30 gr. (nimirum superior limbus). Itaque refractio m r L (concipiamus m r f infra Horizontem cadere, & r L g esse 30 min.) erit 4 gr. 11 min. & L L T 90 gr. 30 min. Ex hisce invenietur altitudo aëris L f, & ratio densitatis illius aëris Novæ Zemblæ, qui tamen serenus fuit tempore observationis. Invenitur autem altitudo multo major, quam aliæ refractiones patiuntur, nimirum duorum fere milliarium, neque positione majoris crassitiei aëris corrigitur, (ut seq. propos. docebitur) propterea quod angulus T f L non possit esse major quam 85 gr. 30 min. (si n f L est 4 gr. 30 min.): sit autem major si d f ponitur minor quam duorum milliarium. Non immerito itaque dubitare possemus de fide annotationis nautarum, quandoquidem nullum simile exemplum observatum sit: imo contrarium observatum est in eodem loco. Vide xxvi caput Propos.

in

in fine: præterea nulla causa dari potest, ut in illis locis post tam longam solis absentiam aër sit altior, quam eo tempore, quo post tam longam moram Sol discedebat; cum potius contrarium sequitur, nimirum aërem factum & crassiorem, & humiliorem (propter contractionem) si quis velit urgere, aëris altitudinem esse inconstantem. Hæc tamen cum accuratius pensito, tria mihi incidunt, quibus salvari possit apparentia illa & ingens refractio (namque cum nauclerus fuerit peritus rei Astronomicæ & præterea sequentibus diebus quoque Solem viderint elevatum supra Horizontem, quo adhuc depressus erat, ideo non licet ipsam observationem negare. Neque de errore in dierum numeratione propter longam illam noctem suspicari debemus, quandoquidem ad populares suos redeuntes numerabant eundem diem anni quam populares, quod sane non contigisset, si prius dierum falsum numerum adhibuissent). Etenim si tantam altitudinem aëris velimus admittere, qualem refractiones in Zona Temperata & Torrida non patiuntur, dicendum erit, quod aër quidem sit ubique ejusdem altitudinis tam in Torrida & Temperata, quam Frigida, sed in Torrida & Temperata superiorem aëris regionem ita subtilem esse ut non faciat refractionem, sed tantum media regio: unde nil mirum, si refractiones in Zona Torrida & Temperata sint minores; namque etsi humilior sit aër, qui eas facit (ob quam causam debebat major esse refractio), tamen multo magis rariorem esse altero aëre. Sed contra hoc objici posset, Nautarum observationem factam esse aëre sereno, ut ipsi testantur. Ad hoc respondeo, non tamen verisimile videri, ita subtilem fuisse aërem, sicut in Zona Torrida & Temperata cœlo serenissimo existente. Secundo dici potest, aërem illum Zonæ frigidæ, cum Sol

post

post diuturnam absentiam redit ad illum, primo in superiori regione attenuari, mediam adhuc paulo crassiorem esse, & ideo Solem per duas refractiones visum esse, sicut stellas per aërem & vitrum: duplex autem refractio multo magis deprimit stellam infra Horizontem quam simplex, & sic sufficiet aëris altitudo unius miliaris vel $\frac{1}{4}$. Neque hic objicias, cur non idem fiat eo tempore quando Sol discedit ab illo aëre & longæ noctis initium facit. Tunc enim minorem esse differentiam in aëris crassitie propter longam Solis moram est verisimile. Vel dicemus, matutinis temporibus in illa Zona post longam illam absentiam consistere crassiorem exhalationem. Tertio, si non placeat duplicem refractionem admittere, neque etiam concedere velis, partem supremam aëris in Zona Torrida & Frigida non facere refractionem, si, inquam, duæ præmissæ responsiones vel explicationes non placeant, tunc fatendum est, aërem in loco illo Zonæ frigidæ tunc temporis multo altiorem fuisse quam in Zona Temperata nostra, & simul multo crassiorem (sola quippe altitudo minuit refractionem); sed magna crassities si adsit, multo magis augetur ab hac refractio, quam ab altitudine decrescente minuitur. Sed mihi ex tribus hisce causis placet prima, quæ ponit altitudinem aëris duorum milliarium (namque non licet pro refractione Horizontali 4 gr. 30 min. minorem statuere in Nova Zembla): reliquæ duæ pluribus urgentur difficultatibus. Cur autem eadem manente altitudine non tot diebus Solem conspexerint postquam oriri desiit, die 3 Novembr. causam dixi esse differentiam crassitiei aëris. Ita quoque respondendum est, cur Belgæ iidem anno 1596 die 30 Maii non conspexerint Solem media nocte sub elevat. 69 gr. 24 min. cum tamen ne uno quidem gradu sub Horizonte exstaret: cur

hic

hic non effecerit refractionem, causa eadem esse potest. Sed nimis multa de hoc negotio, quam prolixitatem difficultati doctrinæ asscribant lectores. Ad accuratam hujus rei cognitionem requiruntur observationes accuratissimæ. Neque tamen, si observationes institutæ ad diversas ejusdem stellæ in eodem loco elevationes non efficiant eandem altitudinem, ideo asserendum est diversas esse ejus altitudines. Causa quippe esse potest diversitas raritatis aëris, nimirum quo Horizonti propior, eo minus rarus. Hoc si ita sit, observationes eandem altitudinem nequaquam producent, etsi eadem sit; quoniam in calculo supponitur, eandem esse in utraque parte aëris raritatem & ideo eandem regulam refractionis.

PROPOSITIO XXX.

Data depressione stellæ infra Horizontem, cum primo apparere incipit (hoc est, data stellæ refractione Horizontali), invenire minimam, quæ esse possit, altitudinem aëris illius: aëris crassitiem pro tali refractione, & maximum, qui esse potest, excessum densitatis illius aëris super densitatem atheris, hoc est regulam maximam quæ esse potest refractionis. Item generalius: Data stellæ refractione ad datam ejus apparentem altitudinem supra Horizontem, invenire minimam quæ esse potest altitudinem.

Sit data refractio Horizontalis n f L, sive depressio stellæ infra Horizontem g f s vel g L s, cum primo apparere incipit, qualis fuit in Novâ Zembla 4 gr. 30 min. Constat itaque ex opticis, si radius s f tangat aërem in f, hoc est, si angulus S f ☌ vel n f T sit rectus, tunc quidem radium illum non refringi, si vero stella consistat infra tangentem i n, tunc nullum radium ad f accedere potest (immediate). Itaque requiritur, ut stella supra tangentem illam consistat, & angulus S f ☌

vel

vel n f T sit minor recto sive quam 90. Ponatur itaque esse 89 gr. 59 min. (vel ponatur 90) utcunque magnus, modo non major sit quam 90. Porro auferatur ab n f T angulus datus sive refractio Horizontalis 4 gr. 30 min. Relinquitur angulus T f L, 85 gr. 29 min. maximus qui esse potest. Unde si fiat, ut sinus T f L ad sinum totum f L T, ita L T ad T f. Et inventa T f erit minima, quæ esse potest altitudo aëris. Quoniam enim sinus T f L est maximus qui esse potest, erit quarta proportionalis T f, minima quæ esse potest si medii termini, nempe sinus totus T L f & T I. maneant iidem. Si non refractio ad apparentem radium Horizontalem T f detur, sed ad altitudinem stellæ x L g: agemus eodem modo, in Δ, t L r T.

Item ratio sinus anguli n f L 89 gr. 59 min. ad sinum T f L, 85 gr. 29 min. erit maxima, quæ esse potest, ratio densitatis aëris ad densitatem ætheris.

PROPOSITIO XXXI.

Data altitudine aëris & una refractione stellæ in eo ad certam ejus altitudinem, invenire ex eo regulam refractionis, sive proportionem sinuum angulorum incidentiæ ad angulos refractos, sive crassitiem illius aëris pro data refractione ad datam altitudinem.

Debet autem data altitudo aëris esse major ea, quæ juxta præcedentem Propositionem invenitur minima esse. Si enim major non sit, signum est refractionem non recte esse observatam, & problema est impossibile. Sit itaque major illa, T r data. Ex. gr. ad apparentem altitudinem x L g sit cognita refractio m r L. Itaque in Triangulo T L v datur T r, T L, & angulus T L v: ex hisce invenitur angulus T r f, refractus, cui si addatur m r L, habebitur angulus incidentiæ m r T, & ratio si-

nus

nus m r T ad sinum L r T invenietur: hæc erit regula refractionis in isto aëre, sive ratio crassitiei ejus ad densitatem ætheris.

Propositio XXXII.

Data altitudine aëris & refractione ad unam stellæ altitudinem, invenire refractionem in alia stellæ altitudine.

Exempl. gr. detur altitudo aëris T f vel T v, & refractio n f L ad apparentem altitudinem o, nempe radius Horizontalis f L est ipse refractus. Dein detur altitudo stellæ apparens r L g vel x L g. Inveniatur per præced. Propos. regula refractionis, sive ratio sinus n f T, T f L, sive sinus n f T, T f L. Dein in Triangulo T r L ex notis T r, T L, & angulo r L T inveniatur angulus T r L. Et ut sinus T f L ad sinum T f n ita sit T r L ad alium sinum, qui erit ipsius anguli m r T: à quo si auferatur T r f, relinquitur refractio m r L quæsita.

Veteres optici longe alia & intricata magis sed tamen falsa methodo agebant.

Propositio XXXIII.

Data aëris altitudine & regula refractionis, invenire refractionem ad datam stellæ altitudinem apparentem, & inde veram altitudinem.

Hoc idem est cum priori, quia in priori ex data refractione ad datam altitudinem invenienda erat illa regula refractionis. Exempla pro exercitio ex Tabula antea posita desumi possunt.

De Reflexione luminis in Aëre.

Propositio XXXIV.

Radii Solis & Lunæ in aërem seu atmosphæram ingressi non tantum refringuntur, sed etiam à particulis aëris reflectuntur vel reperciuntur tanquam ex speculo

culo aspero propter particularum inordinatum situm.

Etenim nisi à particulis aëris radii solares reflectterent ad oculos nostros, nulla pars aëris nobis lucida apparet, præterquam ea, supra quam Sol consistit; & sic Sole in parte Orientali constituto non esset lucidus aër meridianus neque Occidentalis. Quidam ergo radii refracti transeunt per atmosphæram, quidam reflectuntur hinc inde multis reflexionibus ab una particula ad aliam & sic aërem luminosum efficiunt.

Propositio XXXV.

Reflexio radiorum solarium à particulis aëris est præcipua causa crepusculi, hoc est lucis ante ortum & post occasum solis.

Manifestum est ex præced: Propositione. Sicut enim Sole existente in Oriente radii ejus ad Occidentem ejaculati reflectunt ad oculos nostros, & sic Occidentalem partem conspicuam faciunt, ita Sole infra Horizontem existente radii ejus in aërem nostrum missi reflectuntur ad oculos nostros & ad ipsum Occidentem & ab Occidente ad oculos nostros.

Propositio XXXVI.

Crepusculi matutini initium situs, hoc est, aër Orientalis illuminatus vel albicans conspicitur, cum Sol octodecim circiter gradibus infra Horizontem depressus est: & crepusculi vespertini finis est, (hoc est, nulla amplius in Occidentali aëre apparet illuminatio) *cum Sol octodecim gradibus infra Horizontem Occidentalem depressus est.*

Hæc propositio experientiæ innititur & observationi. Etenim si matutino tempore (hoc est post horam primam à media nocte vel secundam) oculis ad Orientem conversis diligenter observemus,

vemus, quando aliquis albicans color in aëre Orientali circa Horizontem sese ostendat, atque ad id tempus horam & minuta horæ sciamus, possumus inde scire depressionem Solis infra Horizontem.

Intelligimus autem aërem serenum, cujus cum magna sit, vel esse possit differentia, inde factum est, ut alii ad vigesimum gradum depressionis Solis infra Horizontem crepusculum extendant, alii tantum ad decimum sextum. Etenim quò aër crassior est, eo minus sentitur crepusculi lux, contra quam in refractione fieri diximus.

Propositio XXXVII.

Ex crepusculi quantitate non potest inveniri altitudo aëris vel materiæ, quæ crepusculi lucem per reflexionem creat, ut hactenus existimarunt, neque crepusculi initium à simplici, sed ad minimum duplici reflexione oritur.



Sit T L h Tellus, g f o m terminus aëris. L locus telluris in quo apparet crepusculum, sive lux in

in aëre Horizontali f: & ideo f L est radius reflexus ab aëre f, incidens radius Solaris f g s. Volunt itaque Mathematici, qui hactenus de crepusculis scripserunt, radium incidentem in f, qui facit reflexum f L, provenire ab ipso Sole s, & quia nullus radius ad f à Sole provenire potest, quamdiu Sol infra Tangentem f h s consistit, ideo cum Sol accesserit in Tangentem f h s exempl. gr. in S, tunc primum potest ad f pervenire ejus radius, vel quia reflexionem ex f fieri volunt tanquam ex speculo cavo, ideo T s h debet esse æqualis angulo T f L: Quoniam itaque deprehenditur Sol gradibus 18 infra Horizontem depressus, ideo angulus n f s erit 18 gr. & L f h 162, & T f h vel T f L 81 gr. & L T f 9 gr. unde invenitur T f 874 milliar. Germanic. circiter, & altitudo aëris undecim milliar. ut Clavius & Nonius faciunt. Imo Alhacen & Vitellio tredecim milliar. faciunt.

Hæc tanta aëris altitudo nequaquam concedenda est, cum alia phænomena repugnent: quod autem juxta illam methodum tanta invenitur, id fit ex falsa hypothesi, quam assumunt, nimirum radium g h f, qui facit reflexum f L, provenire ab ipso sole: hoc enim falsum est, quia provenit per reflexionem ab alio radio, exempli gratia, à radio g l. Quod autem ad efficiendam lucem exiguam in f non sit necesse ut f g radius ab ipso Sole proveniat, sed quod alius radius reflexus idem præstare possit, id probatur ex eo, quod in aëre Occidentali lucem perspicimus ante ortum Solis, cum tamen certum sit nullum radium directum à sole s, ad aërem Occidentalem m tunc pervenire, sed ab alio aëris puncto, ex. gr. ab f & o, & sic radius L m reflexus provenit ab incidente f m, qui ipse f m est reflexus ab incidente g f, & hic g f ab alio g L, qui fortasse & ipse ab alio

adhuc provenit. Secundo, id quoque animadversione dignum, quod reflexionem ab aëre tanquam à speculo cavo fieri statuerunt, cujus cavitatis centrum sit T, idem nempe, quod Telluris: falsum quippe & hoc est. Etenim radii reflectuntur à particulis aëris nulla habita ratione centri T, sed juxta superficiem illarum particularum: hoc manifestum est ex radio L m, qui ab Occidentali aëre m allabitur ad L; si enim ex m tanquam ex speculo cavo centri T. veniret, deberet ejus incidens à plaga x venisse, jam autem venit ab o vel inter f & o. Itaque radius L m ita reflexus est à particula m, sicut hujus figura postulavit. Et sunt in aëre particulæ diversissimæ figuræ; ideo diversas reflexiones hinc inde in omnes plagas fieri nihil mirum est.

Propositio XXXVIII.

Supposito, quod lux crepusculi non per simplicem, sed duplicem reflexionem generetur, invenire inde aëris altitudinem, quæ magis cum aliis observationibus consentiat.

In priori proposit. dictum est, quod radius is, g h f, qui reflexum primum f L facit in initio crepusculi, non proveniat ab ipso sole, sed quod ipse quoque sit reflexus in g. sit itaque ejus incidens g L (qui tangat terram in p, sic enim L g est primus radius qui ad g pervenire potest): & hunc jam ponamus ab ipso Sole immediate provenire, propter refractionem tamen aliquantum deviasse, nimirum Q L sit ipse radius Solis, l p g refractus, g h x reflexus, f L reflexus secundus. Invenienda est altitudo aëris T x. Quoniam itaque radius g l x est refractus incidentis Q L, ponamus refractionem factam esse 30 min. angulum nimirum Q l x: præterea Solis centrum existere infra Horizontem septendecim gradibus, cum crepusculum incipit;

cipit; ideo limbus Solis Q distabit infra Horizontem 16 gr. 45 min. & propter refractionem ablatis 30 min. erit angulus n K x 16 gr. 15 min. depressio Solis limbi infra Horizontem refracta. Quoniam porro K L, K p sunt æquales, & quoque f L, g p, ideo K g, K f sunt etiam æquales, & angulus K f g æqualis angulo K g f: sunt autem ambo simul sumpti æquales angulo n K g. 16 gr. 15 min. Quare K f g est 8 gr. 7. min. & f T L est 4 gr. & T f L 86 min. Unde invenitur T f 86 $\frac{1}{2}$ milliar. & ideo altitudo aëris invenitur 1 $\frac{1}{2}$ mill. quæ longe minor est, quam antehac Mathematici ex crepusculo deduxerunt: & minor adhuc multo invenietur si triplex reflexio ponatur initium crepusculi facere, quod non est impossibile. Atque hæc duplex vel triplex reflexio rectius admittitur pro causa durationis crepusculi, quam illa quam Keplerus affert de splendida materia in vicinia Solis. Reliqua de crepusculorum tempore & variatione longitudinis vide parte secunda hujus libri.

Propositio XXXIX.

Nubium altitudinem per geodaticam dimensionem invenire.

Aëre sereno & quieto existente eligatur in nube aliquod punctum præ reliquis insigne vel nubecula facile notabilis: Atque hujus altitudinem tanquam fastigii turris dimetire ex duabus stationibus, ita ut eodem tempore unus observator in una statione, alter in altera consistat. Sic invenietur altitudo nubis istius, quæ nunquam deprehensa est excedere quadrantem milliaris.

Propositio XL.

Quantitatem aëris supputare, data ejus altitudine.

Nihil aliud hoc est, quam spatium inter Tellurem & extimam superficiem aëris supputare, quod quidem facile est, modo de altitudine aëris constet. Supputetur enim soliditas Sphæræ, cujus semidiameter composita est ex semidiametro Telluris & altitudine aëris: atque ab inventa soliditate auferatur soliditas Telluris: quod relinquitur, est soliditas seu quantitas aëris.

PROPOSITIO XLI.

Aër in quibusdam locis quædam habet peculiaria.

Ita in Ægypto rarissime pluit, vel nunquam potius: & si quando levis pluvia cecidit, catarrhi, pulmonia, febres atque alii morbi sequuntur. Nili inundatio & quotidiana fere in matutinis horis pruina supplent vices pluviæ. Sic in regno Peru nunquam pluviæ visæ sunt. In multis locis sub Æquatore pluit integra semisse anni, & altera semisse nunquam. Vide parte secunda caput XXVI.

Insula Pulon Timor plerunque tegitur nebula & pruina.

In insula Sumatra gravis aër propter multa stagna. Simile in multis aliis locis: ita in veteri Mexico, item Malacca, &c.

Insula Divi Thomæ, sub Æquatore jacens, censetur pessimum & insaluberrimum omnium regionum aërem habere, etsi omnium fructuum fertilissima sit.

In Provincia Chili aër adeo subtilis, ut ensis vagina reconditus sine absersione, ferrugine tamen non inficiatur.

In insulis Azoribus aër & ventus adeo acris, ut ferreas laminas & lateres in domuum tectis brevi tempore exedat & in pulverem redigat.

Aristoteles narrat, quod in Olympo monte nullus sit aëris motus, (imo ne aër quidem, si verum est, quod sequitur,) & characteres inscriptos pul-

pulveribus post multos annos inventos esse absque ulla perturbatione; & ascendentes in montem illum non posse continuare vitam, nisi spongias humectas secum ferant, quarum beneficio inspirationem trahant.

In America, Hispanis transeuntibus ex Nicaragua in Peruanam provinciam, in summis montium interjectorum jugis multi subito cum ipsis equis animam exhalarunt vel gelu obriguerunt, manentes statuarum instar usque ad cæterorum reditum qui evaserant. Quidam defectum aëris putant fuisse causam: sed non verisimile id est, neque id quod Aristoteles de Olympo retulit, pro vero receperim, quoniam in altioribus montibus contrarium deprehensum est, quorum vertices nive teguntur. Unde firme concluditur, quod non supra aërem extent, sed quod aër supra eos meet. Vide caput de montibus. Busbequius oculatus testis refert, Olympum montem in æstate quoque nive oppletum esse.

Circa Insulas Oceani Indici aër fragrans odore aromatum, præsertim tempore eo, ubi matura sunt aromata. Eum odorem nautæ percipiunt, cum adhuc tribus vel quatuor etiam milliaribus absunt ab istis insulis, nimirum flante vento opposito itineri eorum.

Aër marinus gravior est terrestri, & minus gratus illis, qui non sunt assueti. Ea differentia manifeste percipitur, cum nautæ appropinquant littori. Etenim à distantia integri milliaris ex haustu terrestris aëris cognoscunt, quod non longe absint à Terra, inprimis hoc nautæ de Soffala in Orientali nimirum Africæ littore sita referunt.

Cum hæc à Typothetis essent disposita, incidi forte in observationem quandam à Davide Frœlichio in monte Carpatho Hungariæ institutam, quæ quoniam non parum facere videbatur ad ju-

dicium de aëris altitudine & regionum ejus constitutione ferendum, ideo eam hic adjungendam existimavi, etsi ad Propositionem XVIII debuisset adjungi. E Montibus, inquit (Hungariæ), primas tenet Carpathus; qua vulgata appellatione nominatur omnis tractus Sarmaticorum montium, qui Hungaros à Ruthenis, Polonis, Moravis, Silesiis, & ea Austriæ parte, quæ citra Danubium est, dirimunt. Horridiora & sublimiora illorum juga, nubes transcendentia, existunt in Comitatu Sepusiensi, ad patriam meam dulcissimam, Cæsareopolim, vulgo Kesmarckt dictam, à qua civitate etiam das Kesmarcker Gebürg / item das Schnee Gebürg / quod perpetuis fere nivibus tegantur, à Slavis Tatry, vel Tarczal, quasi calvi & abrasi montes, nuncupantur. Et hæ rupes asperitate & præcipitiis suis Alpes Italicas, Helveticas ac Tirolenses longe superantes, fere imperviæ sunt, & nonnisi à naturæ admiratoribus rarissime petuntur.

Ego (ut incidenter hæc recenseam) mense Junio Anni Christi 1615. tum adolescens, sublimitatem horum montium, cum duobus comitibus scholaribus, experiri volens, ubi, cum in primæ rupis vertice, magno labore, me summum terminum assecutum esse putarem, demum sese obtulit alia multo altior cautes, ubi per vasta, eaque vacillantia saxa (quorum unum, si loco à viatore dimovetur, & versus convallem dejicitur, aut volvitur, aliquot centena, decuplo majora secum rapit, & quidem tanto cum fragore, ut illi metuendum sit, ne totus mons corruat eumque obruat) enixus essem, iterum alia sublimior prodiit: atque ita aliquot minores vertices, quorum posteriores semper anteriores altitudine superarunt, per totidem convalles, summo vitæ periculo emetiri coactus sum, donec ad supremum cacumen

men penetraverim. Ex declivioribus montibus, cum in subjectas valles, vastis arboribus consitas prospexissem, nil nisi obscuram noctem, aut cœruleum quid, instar profundi aëris, quod vulgo cœlum sudum appellatur, observare potui, mihique videbar, si de monte caderem, non in terram, sed recta in cœlum me prolapsurum. Nimia enim declivitate, species visibiles, extenuatæ & hebetatæ fuerunt. Dum vero altiorem montem peterem, quasi intra nebulas densissimas hærebam. His elucatis, post aliquot horarum intervallum, cum jam non procul à summo vertice essem, de sublimi quiescens prospexi atque animadverti iis in locis, ubi mihi antea videbar intra nebulas hæsisse, compactas atque albas sese movere nubes, supra quas, per aliquot milliaria, & ultra terminos Sepusi commodus mihi prospectus patuit. Alias tamen etiam nubes altiores, alias item humiliores, nec non quasdam æqualiter à terra distantes vidi. Atque hinc tria intellexi: 1. me tum transivisse principium mediæ aëris regionis. 2. Distantiam nubium à terra, non esse æqualem, sed pro ratione vaporis, alicubi altiorem, alibi humiliorem. 3. Distantiam nubium, terris proximam, longe minorem esse, quam quidam Physici statuunt, & quidem non 72 mill. Germanica, sed tantum dimidiatum mill. Germ. In summum montis verticem cum pervenissem, adeo tranquillum & subtilem aërem ibi offendi, ut ne pili quidem motum sentirem, cum tamen in depressioribus montibus ventum vehementem expertus sim: Unde collegi summum cacumen istius montis Carpathici ad milliare Germanicum à radicibus suis imis exsurgere, & ad supremam usque aëris regionem, ad quam venti non adscendunt, pertingere. Explosi in ea summitate scloperum, quod non majorem sonitum primo præ se tulit, quam si ligillum vel

bacillum confregissem, post intervallum autem temporis, murmur prolixum invaluit, inferioresque montis partes, convalles & sylvas opplevit. Descendendo per nives annosas intra convalles, cum iterum sclopetum exonerarem, major & horribilior fragor, quam ex tormento capacissimo inde exoriebatur: hinc verebar ne totus mons concussus mecum corrueret: duravitque hic sonus per semiquadrantem horæ usque dum abstrusissimas cavernas penetrasset, ad quas aër undique multiplicatus resiliit. Et talia quidem objecta concava in summitate sese non illico offerebant, idcirco fere insensibiliter primum sonus repercutiebatur, donec descendendo antris & convallibus vicinior factus, ad eas fortius impegit. In his quoque celsis montibus, plerunque vel media æstate ningit grandinatve, quoties nempe in subjecta & vicina planitie pluit, uti hoc ipsum etiam expertus sum. Nives diversorum annorum ex colore & cortice duriore dignosci possunt.

De Ventis in genere, & Plagis mundi.

Caput XX.

Aëris quædam affectio est Ventus, atque ideo ad absolutam telluris contemplationem ejus consideratio pertinet, præsertim cum & in hydrographia & omnium maxime in arte Nautica, quæ Geographiæ pars est, ejus cognitio requiratur: quam etsi magis Physicam esse libenter concedam, tamen quoniam plurima continet ad Geographiam spectantia, ideo paucis de ea hic agendum.

Propositio I.

Ventus est commotio aëris sensilis tactu, sive cum aliquo nisu.

Ita

Ita definiendum censeo cum omnium gentium consensu: neque libet hic argutulos quosdam oppugnare. Si levior sit commotio, dicitur aura & spiritus. Si autem ita parva sit agitatio, ut non feriat per se sensum tactus, non dicitur ventus: & tali agitatione particularum nunquam caret aër, ut probat immissus in conclave per angustum foramen solis radius: ideo vocabulum, *tactu*, addidimus in definitione. Ille enim atomorum motus tantum oculis percipitur.

Propositio II.

Venti plerique ab una plaga ad oppositam tendunt, & corpora impellunt.

Hoc videre est tum ex ventorum in corpora nostra impetu, tum inprimis ex vexillis seu aplustribus in fastigio malorum navis defixis, quæ versus contrariam vento plagam extenduntur.

Non tamen omnino directe & continue id fit, sed cum aliqua vexillorum hinc inde facta agitatione. Sunt qui in definitione addendum esse existimant, Commotionem factam versus unam plagam, vel versus easdem partes, sed nos hæc rectius omittenda esse existimamus, cum & venti quidam circulares deprehendantur, & accurate loquendo, ventus nullus eandem constanter plagam observet.

Propositio III.

Plaga dicitur imaginarium planum, quod concipimus extensum à quovis telluris loco perpendiculariter versus unum punctum ex illis, quæ locum illum circulariter circumstant.

Talis videtur esse vera & vulgaris plagæ notio, in qua invenienda non parum laboravi. Germani vocant, die gegend. Interdum ipsa puncta circumstantia vocantur plagæ.

Explicatio quidem plagarum non pertinet ad hanc Geographiæ sectionem, sed ad tertiam de comparatis affectionibus: Verum quoniam ventorum species ab eis vel hæ à ventis denominantur, ideo hic anticipamus illam tractationem. Is autem plagarum usus est, ut cum variæ res & apparentiæ in vario à nobis situ appareant, id explicare possemus.

Propositio IV.

Plagæ numero infinitæ sunt, cum per singula Horizontis puncta duci possint planæ: sed triginta duæ tantum ex illis peculiares appellationes hodie sortitæ sunt, quæ etiam communes sunt ventis, qui à talibus plagis spirant.

Sunt autem plagæ duplices (sicut & venti); Cardines, sive Cardinales, & collaterales. Cardinales, quæ transeunt per puncta quatuor circumstantia à circumvolutione quotidiana stellarum dependentia, qualia sunt Septentrio, Auster, Oriens, Occidens: quibus nominibus & plagæ & venti quoque designantur. Sed & dicimus plaga & ventus Septentrionalis, Australis, Orientalis, Occidentalis: & venti uno vocabulo appellantur: Aquilo seu Boreas, Auster seu Notus, Eurus, Zephyrus. Collaterales sunt, quæ inter duas cardinales interstant; quarum cum infinitæ sint, numerantur hodie tantum viginti octo, nimirum septem inter binas Cardinales, ut inter Septentrionem & Orientem, Orientem & Austrum, Austrum & Occidentem, Occidentem & Septentrionem. Ex intermediis hisce quatuor sunt primariæ plagæ seu venti, nempe quæ exacte mediæ sunt inter Cardinales, & ab illis distant 45 gradibus, quæ sunt Euro-Boreas, NordOst / Euro-Notus, ZuydOst / Zephyro-Notus, ZuydWest / Zephyro-Boreas, NordWest.

Pro-

PROPOSITIO V.

Plagæ illæ triginta duæ æqualiter à se invicem distant: unaquæque scilicet à vicinis suis; unde efficitur inter duas plagas intercedere gradus Horizontis undecim & unam gradus quartam (11 gr. 15 min.). Cardinales absunt à se invicem gradibus 90.

Etenim cum Horizon, tanquam circulus complectens omnia puncta circa locum aliquem, habeat 360 gr. ut omnes alii circuli; si 360 gr. dividantur inter 32 plagas, accipiet unaquæque gradus 11, & 15 min. sed si inter quatuor cardinales dividatur, accipiet unaquæque cardinalium 90. Itaque plaga à Septentrione prima versus Ortum est, quæ distat à Septentrione versus Ortum, 11 gr. 15 min. secunda, quæ 22 gr. 30 min. tertia, quæ 33 gr. 45 min. quarta, quæ 45 gr. hæc media est, &c. & ita porro in reliquis quadrantibus.

Vocabula hisce triginta & duabus plagis & ventis imposita à Germanis, commodissima, sed quæ aliæ linguæ difficulter possunt imitari: Ea atque ordinem plagarum in adjuncta Tabula videre est, cum gradibus: simul etiam Latinam atque Italicam applicationem addidimus.

PROPOSITIO VI.

Quoniam autem inter duas plagas satis magna adhuc intercedunt intervalla, à quibus venti spirare possunt, & in quibus alia corpora constituta sæpe sunt, quorum situm ad nostrum locum cupimus scire, ideo quidam bisecant unamquamque ex triginta duabus illis plagis & unam interlocant, ita ut sexaginta quatuor plagas, & ventos numerent, quod in longinquis navigationibus quidam nautæ observant.

Sed Mathematici videntes, quod ne hæc quidem ad accuratam designationem sufficiant, illi

tot plagas numerant, quot in Horizonte sunt gradus & minuta, illasque denominant & designant numero graduum & minutorum, quibus à Cardinali aliqua plaga distant, sive quantus est arcus Horizontis interceptus inter Cardinalem plagam & quodvis punctum Horizontis: ita plaga 1 gr. ab Austro versus ortum, &c. Sed in ventorum observatione nautica non requiritur tam subtilis divisio.

Posset tamen excogitari ratio quibus 32 venti commodius appellarentur, ita ut omnium gentium linguæ & sermoni peræque facilis esset; Nimirum si ab ordine denominarentur quo se mutuo insequuntur ab uno Cardinali ad alterum.

Ex. gr. Primus ab Austro ad Eurum, sive primus Euro-Notus, primus Euro-Boreas, secundus, tertius, quartus, &c. Germanice, der erste Suyd-Ost / der ander / der dritte Suyd Ost / &c.

Propositio VII.

Veteres tam Græci quam Latini, pauciores ventos numerarunt, sive, ut rectius dicam, paucioribus ventis peculiaria imposuerunt nomina, neque in hisce consentiunt, sed eundem ventum diversis appellant nominibus quæ non ab ordine sed aliunde desumserunt: unde non levis existit difficultas de ventorum distributione ab illis usurpata.

Olim quidem apud Græcos quatuor tantum venti nomina acceperant, nempe cardinales, Eurus ab ortu spirans, Zephyrus ab occasu, Boreas à Septentrione, Notus ab Austro: neque ab Homero aliorum ventorum fit mentio. Deinde hisce, quatuor alios ventos, vel ventorum nomina addiderunt, nempe illorum, qui spirant à plagis hisce: 1. in qua Sol oritur, cum solstitium hybernum est inter Austrum & Eurum, quæ plaga dicitur ortus solstitialis brumalis: & Ventus dictus est Eurus: nam

nam ipsum Orientalem vocarunt Subsolanum: sed Gellius Vulturnum vocat, & Orientalem appellatum esse Eurum mavult. 2. in qua tunc occidit; qui dictus est Africus & λίψ. 3. in qua oritur tempore solstitii æstivi, inter Eurum & Septentrionem, quæ plaga dicitur ortus solstitialis absolute, & ventus ab illis dictus est Aquilo. 4. in qua occidit illo tempore solstitii, quæ plaga dicitur occasus solis æstivus seu solstitialis: Ventus vero hic appellabatur à Græcis Corus.

Horum ventorum ordinem repræsentat adjunctum diagramma, juxta Senecæ enumerationem in libro v Natur. quæstion.

PROPOSITIO VIII.

Ea Græcorum designatio ad navigationem aliosque usus perincommoda est, quam tamen incommoditatem illi non magnopere senserunt, cum non longo spatio à Græcia recederent in navigationibus.

Etenim in locis diversæ latitudinis sive diversæ à polo distantiæ, diversa quoque est distantia ortus solstitialis & brumalis à Cardinibus, Septentrione, Austro, &c. Græci tamen eam retinuerunt, sed auctam aliis intermediorum quatuor ventorum appellationibus, ita ut duodecim venti essent, quos propriis singulos vocibus designarent; etsi quosdam alii aliter. Latini præter illos duodecim addiderunt aliorum duodecim ventorum nomenclaturam, qui inter binos priorum duodecim spirarent. Appellationes & ordinem exhibet sequens diagramma, in quo Græcorum venti literis majusculis designantur; illi, quos Romani inter binos quosque interposuerunt, minoribus. Seneca tamen monet, jam olim à Varrone illam incommoditatem animadversam esse, atque ideo hunc duodecim ventos ordinasse, ita ut æqualibus distantiis binæ quæque distarent,

non habita ratione ortus solaris plagæ. Quod autem idem Seneca affirmat non esse plures ventos, quam duodecim, id falsum & ridiculum est. Sunt enim infiniti.

Propositio IX.

Hactenus ventorum distributionem à plagis desumtam explicavimus, & veterum tam Græcorum quam Romanorum divisionem minus aptam esse usibus rei Nauticæ & Geographiæ simul ostendimus.

Itaque recentiorem, quæ 32 ventos, ab æqualiter distantibus plagis spirantes constituit, merito retinemus. *Venti* autem *oppositi*, dicuntur & contrarii, qui spirant à plagis per diametrum oppositis. Ventos quippe concipimus, tanquam ex alio loco ad nostrum accedentes: plagam vero à nostro loco ad alium extendi cogitamus.

Propositio X.

Causæ ventorum variæ sunt. Etenim cum ventus nihil aliud sit, quam continua aëris protrusio, omnia illa, quæ talem protrusionem efficere possunt, erunt causæ ventorum. Sunt autem hæc:

1. Præcipua & generalis causa est ipse Sol, qui igneo suo jubare aerem rarefacit & attenuat, inprimis illum in quem perpendiculares radios mittit, sive supra quem hæret. Aër enim rarefactus multo majorem locum postulat. Inde fit, ut aër à sole impulsus alium vicinum aërem magno impetu protrudat, cumque Sol ab Oriente in Occidentem circumrotetur, præcipuus ab eo aëris impulsus fiet versus Occidentem. Atque ejus indicium esse potest, quod in Zonæ Torridæ plerisque locis, & ubique in mari, continuus spirat ventus Orientalis, nimirum, aërem Sol protrudit ab Oriente versus Occidentem, & non excedit Zonam Torridam.

dam. Protruditur quidem aër rarefactus circulariter versus omnes plagas, Septentrionem, Austrum, Orientem, Occidentem, atque ad intermedias plagas, sed non admittitur in omnibus plagis: vehementior autem fit protrusio versus Occidentem, quia Sol versus eam plagam movetur, itaque versus hanc plagam magis sensilis est ventus in Zona Torrida fere continue, in nostra autem Zona plerisque diebus, horis matutinis ante Solis ortum & post eum, ubi plerunque alii venti cessant. Ex aliis plagis aliæ aliis interdum sunt magis dispositæ ad recipiendum hunc impetum. Itaque ubi major fit protrusio versus Septentrionem, ventus austrinus spirare dicitur; cum versus Orientem protruditur, ventus Occidentalis; cum versus Austrum, ventus Septentrionalis, & sic de aliis plagis. Et notandum est, cum hæc protrusio fit ad plagam aliquam extra quatuor illas Cardinales, tunc in diversis regionibus diversum videri ventum. Etsi enim plaga illa una sit respectu loci, cui sol verticalis est, tamen respectu aliorum locorum diversa est. Et sic eadem causa eundem ventum facit diversis nominibus appellari in diversis regionibus. Hæc autem causa vel adjuvatur vel impeditur ab aliis causis; si adjuvatur, vehementem ventum facit; si impeditur, minus vehementem ab illa plaga, & sæpe alius ventus tunc spirat, qui potius ab illa generali causa juvatur.

2. Secundam causam ventorum pono, eamque frequentissimam, exhalationes ex mari & terra copiose & cum impetu quodam elevatas: sed vix ventos efficiunt, nisi cum rarefieri incipiunt.

3. Nubium & nubecularum attenuationem & rarefactionem, sive illa à sole & aliis stellis fiat, sive ab inclusis & adjunctis igniculis & sulphureis particulis.

4. Nivium & glaciei resolutio præsertim ejus,

quæ

quæ in montanis jacet. Neque enim in aquam integræ solvuntur.

5. Lunæ & reliquarum stellarum ortus & varius situs.

6. Condensatio & rarefactio aëris atque vaporum à quovis frigore vel calore.

7. Nubium descensus, quo subjectus aër premitur.

Ad causas hasce facilius intelligendas multum facit consideratio æolopilarum, in quas inclusa aqua admoto igne per angustum orificium magno impetu ventum emittit, donec omnis aqua exhalaverit. Angusti autem orificii vicem in aëre præstant, 1. Aër circumstans densior. 2. Si idem aër vicinis urgeatur vel cedere prohibeatur ab aliis vaporibus vel nubeculis. 3. Si aër versus unam plagam magis condensetur, atque ita viam præbeat flatibus.

PROPOSITIO XI.

Cur venti ita spirent, ut perpendicularem lineam supra Horizontem faciant? sive, *cur incessus ventorum sit perpendicularis ad Horizontem?*

Causa est, quod aër sphærica figura Tellurem ambit, & Protrusio aëris fit plerunque per circulum sphæræ maximum, qui per centrum Telluris transit. Etsi enim quoque cogitare possimus aërem secundum transversam lineam impelli, tamen quoniam à lateribus minor est impetus, & major resistentia, inde fit, ut in medium iter venti incumbant.

Commodius autem concipimus hunc modum, si consideremus primam ventorum causam. Protrudit enim Sol aërem versus omnes plagas illius loci, cui verticalis est, sed non in omnibus ille impetus recipitur, ut dictum. Si jam consideremus ab illo loco ductos circulos maximos & inter hosce

hosce ilos, in quibus aër protruditur, vel impetus recipitur, omnia loca Telluris sita in hoc circulo vel semicirculo ventum experientur perpendiculariter allabentem, propterea quod omnis circulus maximus Telluris transiens per aliquem ejus locum, est perpendicularis ad Horizontem ejus loci. Eadem ratio est, si quando ex nubecula vel nubibus resolutis ventus erumpit. Illa vero loca, quæ extra hosce circulos sita sunt, non experientur ventum, etsi aër movetur supra eorum Horizontem, quia ad illum Horizontem non perpendicularis est sed obliquus.

Generaliter tamen non est verum, quod ventus perpendiculari via ad Horizontem incedat, quia sæpiuscule in ipso aëre transversæ spirationes deprehenduntur.

Sic fumum è camino egredientem videmus non à vento auferri versus unam plagam, sed partem ejus in alias plagas ferri.

PROPOSITIO XII.

Cur venti interciso quasi vel interrupto impetu spirant, ut modo cessent, mox resumti quasi viribus cum importunitate vel cumulo redeant? Et, cur in mari magis continui videntur spirare, ut minus illa quies sentiatur?

Causam esse puto, quod causa ventos excitans non continue duret, sed ad copiam & collectionem ejus quantitatis, quæ tali impetu aërem perrumpat, requiratur tempus. Et ideo, quia in mari exhalationes magis continuæ sunt, & minus impeditur motus, ideo illa quies in mari minus sentitur, etsi non omnino tollatur.

PROPOSITIO XIII.

Cur ventus nullus perpendiculariter ex aëre in loca Telluris spirat?

De

De hac quæstione Aristoteles, lib. 2. Meteor. cap. 9. admodum obscure agit, ita ut Peripatetici de illius sententia non sint concordes: neque libet hic eorum placita recensere. Causa facilis explicatu esse videtur, nimirum quod aër deorsum protrusus versus centrum Telluris non possit petrumpere hac via, propterea, quod alii vapores continue sursum expellantur vel ferantur, & ideo nimia resistentia aëris, qui directe situs est sub moto aëre, facit ut protrusio fiat ad latera illius loci, in quo impetus incipit. Quod eo magis verisimile fit, cum venti materia plerunque levior sit aëre illo, & ille magis rarefactus, quam qui Telluri vicinior est.

Propositio XIV.

Cur venti Occidentales minus frequentes, quam Orientales.

Hujus causa manifesta est ex Propos. x. ubi ventorum primam causam fecimus Solem qui aërem rarefacit ab Oriente ad Occidentem progrediens, & ideo magis truditur aër versus Occidentem. Itaque ut hæc generalis causa impediatur, oportet copiosos admodum halitus vel nubes in occidentalibus plagis consistere, quod minus frequenter contingit.

Propositio XV.

Cur venti Septentrionales & Orientales magis rigidi & impetuosi sunt; contra, Austrini & Occidentales, laxiores, & debiliores?

Causa est, quia Septentrionalis aër propter frigus densior est, austrinus (in nostra Zona) propter majorem à Sole & calore factam dissipationem rarior. Quo autem rarior est aër, eo minus impetuoso fertur motu. Sciendum tamen est, Australes ventos frigidos esse & siccos & impetuosos

in

in Temperata Zona nostræ opposita sive Arctica, non minus ac nobis Septentrionales. Orientalis autem rigidus est, sive magis intensus propter aliam causam, nimirum quia plerunque ab aëris per Solem rarefactione oritur, qui cum continue feratur ab Oriente in Occidentem, majori quoque impetu protruditur aër ab Oriente in Occidentem.

Sed alias accedere causas, quæ vel juvent vel impediant impetum illum, verisimile est. Nautæ Lusitani vocant *Brysas*, ventos Boreales & Orientales: sed *Vendavales* appellant Austrinos & Occidentales.

PROPOSITIO XVI.

Cur venti Austrini & Occidentales deprehenduntur calidiores, quam Orientales & Septentrionales, qui insignem præ illis frigefaciendi potestatem obtinent.

Ita solet hæc quæstio vulgo proponi: verum sciendum est, non generaliter de omnibus locis esse intelligendam, sed tantum de nostræ Zonæ locis. Etenim in altera Zona Temperata versus Austrum ab Æquatore sita contrarium est verum, quia hisce locis Septentrionales venti tepidi sunt, australes vero magis frigidi deprehenduntur. Atque ita postulabat rei natura & causæ conditio. Etenim, quod nobis auster magis tepidus sentitur, & Septentrionalis frigidior est, inde fit, quod austrini venti veniunt ex plaga, & locis quæ viciniora sunt Zonæ Torridæ sive viæ Solis, Septentrionales autem à locis remotioribus ab ea via solari, hoc est, à locis frigidis. Contrarium autem obtinet in locis ab Æquatore versus Antarcticum polum sitis, quia Septentrionales venti illis accedunt à via solari, Austrini à locis polo viciniori-bus.

De Orientalibus vero & Occidentalibus aliter respon-

respondendum est, neque hic locum habet illa diversitas locorum nostræ Zonæ & alterius oppositæ. Primo itaque dictum est in præced. Propos. quod venti Occidentales minus frequentes sint in omnibus locis, cujus causa eadem est cum illa, propter quam Occidentales tepidiores sentiuntur, nimirum, quoniam plerunque spirant de nocte & post Solis occasum, ubi aër qui protruditur versus nostrum locum est calidior vel minus frigidus quam aër nostri loci, quippe qui ab Occidente Sole est remotior, quam ille, qui inter Solem & nostrum locum jacet. Accedit altera causa (quæ etiam in differentia inter Septentrionales & austrinos valet), quod venti Occidentales minus impetuosi & intensi spirant, sed cum quadam laxitate. Notum autem est, auram quamlibet vel ventulum eo magis frigidum sentiri, quo majori vel magis intenso impetu spirat, etsi revera calidior vel frigidior non sit, quod vel expiratio nostra testatur, quam frigidam & calidam exhalare possumus.

Propositio XVII.

Cur nautæ ex conspecta nubecula, præsertim qua pallidi vel submigri coloris est, ventum ab ea plaga sibi promittunt. Simul alia ventorum futurorum signa exponere.

Duplex potest reddi ratio. Vel enim nubes ejus coloris indicant, quod mox in flatus resolvendæ & dissipandæ sint: Vel ipsæ nubes sua gravitate subsidentes & ab aliis nubibus segregatæ aërem suppositum premunt atque ita spirare faciunt. De peculiari nubecula, quam Belgæ vocant oculum bovis, vide cap. seq.

Sol in ortu suo maculosus apparens & sub nube pallida latens vel atra, vel imbres vel ventos futuros prænunciat. 2. Si Sol exoriens concavus videatur,

deatur, ita ut è medio fulgeat & radios jaciat, humidam & ventosam significat tempestatem. 3. Si Sol in occasu palleat: sed si rubeat, serenus & quietus erit sequenti die aër. 4. Si pallidus Sol in nigras nubes occidat, aquilonem ventum significat. 5. Luna rubens instar auri censetur certum futuri venti signum, juxta versiculum: Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba serenat. 6. Corona circa Lunam. 7. Si Lunæ cornua tetra fuerint. 8. Si aquilonium cornu Lunæ apparet porrectius, aquilonius ventus imminet; si australe sit erectius, imminet Notus. 9. Lunæ & stellarum illustrium ortus, ut Arcturi, Orionis, hœdorum præsertim cum sole. 10. Si parvæ stellæ in Cancro, quas aselos vocant, tegantur nubecula, & quidem si Septentrionalis ex illis duabus tegatur, ventus erit australis; si australis, Septentrionalis. 11. Pluviis cessantibus plerunque venti flare incipiunt. 12. Strepitus & murmur quoddam, tanquam ebullitio fieret, in mari auditum. 13. Veteres etiam ab animalibus, ut ave cornice, pisce Delphino signa desumserunt. 14. Ab ignitis meteoris, fulgure, Chasmate, Capris, stellis cadentibus: sed non ex ignibus fatuis.

PROPOSITIO XVIII.

Cur in Vere & Autumno venti frequentiores & majori nisu spirant, quam in fervida æstate vel gelida hyeme?

In Vere id fieri existimandum partim propter nivium resolutionem, præsertim in montanis locis, partim quia pori Telluris tunc aperiuntur & plures halitus emittunt: partim quia aër & vapor magis rarus tunc fit, cum hyeme densatus esset. Adde quod plerunque mense ante initium Veris & in ipso Vere multæ cadant pluviæ, propterea quod humidæ constellationes jam eas Zodiaci

diaci domos occupaverint, in quas ingresso Sole, Veris initium numeramus. In Autumno autem pluviæ frequentes & exhalationes ventorum causæ censendæ sunt, non minus ac in Vere, propterea quod calor mediocris à Sole profectus extollat quidem vapores & exhalationes, sed crassiores nec satis attenuatos. In æstate autem fervida ideo nulli venti sunt plerunque eandem ob causam, ob quam pluviæ raræ sunt eo tempore, nimirum quia Sol nimis attenuat exhalationes, neque permittit eas coire in eam copiam, quæ requiritur ad ventorum generationem. Quæ causa generalis quidem non est, nec semper vera: at neque generaliter verum est, in fervida æstate nullos ventos esse: hoc enim tantum de eo, quod sæpius fit, est intelligendum. In hyeme sæva venti sunt rariores, ideo quod & pauciores vapores è terra eleventur, & qui elevati sunt vel in nives condensentur vel certe præ gelu non ita dissipentur vel rarefiant, ut ventum faciant.

Propositio XIX.

In quanta aëris altitudine sive in quanam aëris regione venti flare incipiant?

Sunt qui ventos non transcendere infimam regionem aëris existiment, propterea quod fastigia altorum montium, ut Olympi, nullos flatus sentire deprehendantur. Ego de observatione dubito, cum fumus ex summi montis Ætnæ apice ejectus vento agitari hinc inde cernatur. Ideo in suprema quoque regione aëris talem commotionem ventosam fieri posse arbitror.

Propositio XX.

Ad quantum spatium unus idemque Ventus se extendat?

℟. Admodum magna in hoc est diversitas. Etenim

enim venti ab Oriente in Occidentem flantes sub Zona Torrida, videntur totam circumire Tellurem. Illi quoque, qui vel à Septentrione vel ab Austro spirant, per multos dies & longa spatia solent sequi nautas vel comitari. De collateralibus ventis idem videtur esse verum, sed hæc diversitas adest, quod idem ventus in diversis locis diversus est, ut Propos. x. in fine explicationis primæ causæ diximus.

CAPUT XXI.

De Ventis in specie, & Tempestatibus.

PRæcedenti capite Ventorum distributionem, differentias, vel potius denominationes attulimus, quas à plaga unde spirant vel spirare nobis videntur, accipiunt; quæ proinde divisio accidentalis est, quoniam respectu certi loci Telluris (ad quem plagæ illæ referuntur) sumuntur. Hoc capite alias ventorum divisiones & phænomena quæ vel certo tempore anni, vel certis tractibus Telluris propria sunt, afferemus, etsi plures cuperemus habere & accuratiores de hisce observationes. Sed adducemus, quæ ex nautarum diariis multo labore collegimus.

PROPOSITIO I.

Ventus alius constans est, alius inconstans.

Constans est, qui ad minimum una vel altera hora spirat ab eadem plaga; Belgæ nautæ vocant, *een door-gaende wind*.

Inconstans, qui modo spirat, modo in alios ventos ab aliis plagis spirantes mutatur: Belgæ vocant, *variable wind*, item *de wind loopt rondsom het compas*.

Causæ majoris vel minoris durationis ejusdem venti,

venti, itemque celeris immutationis esse videntur. 1. Si sit à generali causa, vel magis aut minus diuturna & constante.

Ita venti à motu aëris cum motu Solis in Zona Torrida sunt constantes: ita illi, qui à nivium resolutione, in montibus præsertim, spirant. 2. Si forte in aliis plagis non consistant tales vapores, qui ad ventos generandos apti sunt. 3. Si aër circumstans illam nubeculam, è qua venti generantur, sit densior, neque concedat viam illis halitibus. Sed si aër sit minus densus vel laxior sit, & vapores pauci hinc inde in diversis locis seu plagis; si denique causæ generales cessent, tunc quidem venti variabiles deprehendentur, qui plerunque lenes sunt.

Propositio II.

Ventus alius est generalis, alius particularis.

Generalis ventus dicitur à nautis (*den generalen wind*, vel *passaet-wind* appellant) qui in multis simul locis longo Telluris tractu per totum fere annum spirat in mari. Particularis contra, qui non simul pluribus locis per totum annum spirat.

Generalis autem impeditur, 1. In partibus maris Terræ vicinis: hic enim ex aliis plagis vapores interpellant: & ideo generalis ventus præcipue consideratur in medio mari à terris remotissimo. 2. Potest tamen etiam in medio mari alius flare ventus, nempe si in alia plaga nubecula vel alia causa ventum generans satis valida extiterit. Ex hisce duabus causis fit, ut generalis ventus magis & minus constans vel continuus sit in diversis locis.

Reperiuntur autem generales venti tantum in mari Zonæ Torridæ, sive quod inter Tropicos jacet, circa totam Tellurem: alicubi tamen extra Tropicos se extendit ad septem gradus, & sunt omnes

omnes Orientales, hoc est, Eurus vel Euri collaterales, ut Euro auster, Euro-boreas; nimirum ab Oriente versus Occidentem, qui per totum annum spirant. Non autem pari constantia consistunt in omnibus illius maris partibus, sed in quibusdam magis, in quibusdam minus impediuntur. Constantissimi sunt in Pacifico mari (ea nempe illius parte, quæ inter Tropicos jacet) ita ut naves, quæ à Novæ Hispaniæ (in America) portu, Aquapulco solvunt versus Philippinas, hoc est, quæ ab ortu in occasum tendunt, sæpe sexaginta diebus navigent continue sine ulla velorum mutatione vel collectione cum constanti vento Euro vel Euro-borea, neque in hunc usque diem ulla navis in vastissimo illo itinere (milliar. 1650) periit. Unde nautæ dicunt, licere sibi in hac navigatione secure dormire, neque ulla gubernandæ navis cura opus esse, cum generalis ille ventus deducat navem ad optatum portum, hoc est, Philippinarum insularum conspectum. Hic enim alii venti interpellant generalem. Eadem constantia hujus generalis venti Orientalis deprehenditur in mari à capite sive promontorio Bonæ spei in termino Africæ, vel potius ab Africæ procurrentis parte ea, quæ in Torrida Zona jacet usque ad ipsam Americam Brasiliensem, in cujus itineris medio jacet insula S. Helenæ, ad quam cursum dirigere solent nautæ ex India redeuntes in Europam. Abest insula S. Helenæ à promontorio Bonæ spei milliar. 350, & sæpe diebus sedecim absolvitur vel etiam duodecim (prout generalis ventus vehemens est vel debilis, namque in hoc non est perpetua similitudo) eadem securitate utentibus nautis (quando primum ad parallelum illius insulæ navigarunt, namque promontorium Bonæ spei jacet extra Tropicos), qua diximus uti eos qui in mari Pacifico ab Aquapulco ad Philippinas na-

vigant: imo, superato promontorio Bonæ spei, omni fere ventorum periculo & variatione defunctos se esse judicant, & secure dormiunt, vento constanter implente vela versus insulam illam & Brasiliam: hæc tantum illis maxima cura est & sollicitudo, ne insulam prætervehantur, cum admodum parva sit. Etenim si vel octava milliaris parte eam prætervecti sint, non possunt eam repetere, vento nimirum Orientali impellente navem versus Occidentem: ideo tunc æquationis causa vel ipsa Brasiliæ littora cum magno itineris dispendio, vel aliam Insulam dictam Ascensio, adire coguntur. Si quæras, quanam itaque ratione navigent, ubi contrarium iter faciunt naves in hoc mari, nempe dum à Philippinis ad Novam sive Americanam Hispaniam tendunt, vel dum à Brasilia & Insula S. Helenæ ad promontorium Bonæ spei, dum Indiam petunt. In hisce navigationibus sciant Lectores, quod triplici utantur nautæ modo sive artificio. Vel enim navigant mare extra Tropicos situm (ideo non adeunt Insulam Helenæ dum ex Europa in Indiam navigant), vel ubi necessario ipsis hoc superandum est, non directe ab Occidente in Orientem cursum instituunt, sed oblique à Septentrione, ut collaterali ejus plaga, ad Austrum aut hujus collateralem: vel denique illa tempora navigationis eligunt, in quibus norunt generalem illum ventum ab aliis crebro impediri: sed hoc postremum quia raro fit, ideo potius prioribus duobus modis utuntur, de quo pluribus dicemus in Capite de Navigatione.

Duo itaque maria sunt Zonæ Torridæ, in quibus generalis ille Orientalis ventus cum suis collateralibus per totum annum dominatur, nimirum id, quod inter Africam procurrentem & Brasiliam interjacet: alterum id, quod inter Novam Hispaniam sive rectius inter Americam & Insulas

Orien-

Orientales, quarum pars Philippinæ sunt, extenditur. Tertia autem pars hujus maris sub Zona Torrida existentis, nempe inter Africam procurrentem & Philippinas seu Orientis insulas, non quidem destituitur hoc generali vento, sed sæpius in hocce mari interpellatur propter frequentes insulas, quæ tamen interpellatio in quibusdam locis crebrior est, quam in aliis. Inter Mozambique Africæ & Indiam ventus ille Generalis maxime viget mense Januario, Februario, Martio, Aprili; reliquis mensibus alii venti spirant, de quibus sequenti Propositione dicemus. Magis impeditur ventus hic generalis in mari Insularum Indicarum. Ad Insulam Bandam cum Maio mense Orientales vigere primum incipiunt vehementes & cum pluviis: ad Malaccam in Septembri & aliis locis aliter, ut sequenti Propositione dicetur.

Illud tamen sciendum est, ventum hunc generalem in maribus hisce non æqualiter se ad Tropicos usque extendere in omnibus partibus, sed magnam esse in hoc differentiam.

Etenim Tropici distant ab Æquatore utrinque gradibus $23\frac{1}{2}$: ventus autem generalis in uno meridiano sentitur ad latitudinem 20 graduum, in alio ad 15, in alio ad 12, &c.

Ita in Indico Oceano cum mense Februario & Januario ventus Orientalis (vel Euro-auster) spirat, non deprehenditur is, antequam ad decimum quintum gradum latitudinis pervenias.

Sic à Goa ad promontorium Bonæ spei navigantibus ventus hic generalis occurrit ad 12 gr. latit. Australis, & ad 28 gr. latitud. ejusdem comitatur illos.

Item inter 4 gr. latitudinis Septentrionalis usque ad 10 vel 11 gr. in mari inter Africam & Americam nullum generalem ventum spirare nautæ annotarunt, quippe ubi à S. Helena ultra Æquato-

rem navigarunt eo vento usque ad quartum gradum latitudinis Arcticæ, tunc destituuntur eo vento usque dum ad 10 gr. latitudinis perveniant. Ab eo enim gradu usque ad tricesimum spirare rursus manifeste & continue deprehenditur Euro-boreas, etsi tricesimus hic gradus septem gradibus absit à Zona Torrida. Nihilominus in parallelorum latitudinis 6 gr. 7 gr. 8 gr. &c. nonnullis locis quoque spirat, sed in decimi gradus parallelo omnibus locis fere usque ad 30 gr. borealem. Eodem modo ultra Tropicum Capricorni in mari inter Promontoriorum Bonæ spei & Brasiliam ventus Euro-auster spirat usque ad 30 gr. latitudinis, hoc est, septem gradibus extra Torridam Zonam versus Austrum, idque per totum annum.

Et licet, ut diximus, in omnibus littoribus, multo minus in locis mediterraneis hic generalis ventus non ita sentiatur, tamen in quibusdam satis notabilis est. Ita ad littora Brasiliæ Orientalis ad littora regni Lowango in Africa, Austro-eurus quotidianus est, etsi alii venti se admisceant.

Causa hujus generalis continui venti triplex affertur à Physicis recentioribus (namque veteribus omnino ignotus fuit cum ipsa Torrida Zona, qui ne verbo quidem ejus meminerunt). Quidam statuunt, Solem hujus venti ab Oriente ad Occidentem spirantis causam esse, quoniam is ingenti sua facultate rarefaciat aërem in Zona Torrida & ita protrudat ab Oriente in Occidentem, cum ipse incedat hac via.

Alii vero, & quidem ex illis, qui cum Pythagoreis cælum stare, Tellurem circumrotari statuunt, illorum, inquam, quidam existimant, ventum hunc generalem ex eo provenire, quod, dum Tellus circumrotatur atque aër cum eo, hic minus sequatur motum Telluris, sed aliquantum tardior

sit

sit ad motum, atque ideo dum nos cum Tellure ferimur ab Occidente in Orientem, aër vero minori celeritate in eandem plagam movetur, videtur nobis occursare & ab Oriente in Occidentem moveri, cum tamen nos illi potius occurramus.

Tertiam causam, eamque omnino novam affert Cartesius Propositione 222 in suis Principiis, ubi Lunam efficere hunc motum conatur ostendere non minus ac motum maris ab Oriente in Occidentem. Sed quia sententia ejus non potest intelligi, nisi omnes ejus hypotheses Physicæ explicentur, ideo nihil hic de ea dicemus, præsertim cum causam illam non esse veram alio loco ostensuri simus. Nobis prima causa placet; secunda autem ideo non videtur recipienda, quod & Copernicani plurimi eam non concedent, & ratio dari non possit, cur tantum intra Tropicos vel ad 30 gr. latitudinis, & non in Temperatis totis Zonis is ventus deprehendatur spirare.

Propositio III.

Ventorum quidam sunt periodici & stati, alii vagi seu erratici.

Stati dicuntur & periodici, qui certis anni diebus spirant & deinde certo dierum numero cessant, donec iterum spirare incipiant. Horum quidam sunt anniversarii, quidam semissis anni intervallo redeunt, quidam menstrui qui unius vel alterius mensis intervallo redeunt, quidam diarii, qui singulis diebus spirant. Aliter quoque subdividuntur stati venti, nempe quidam ubi incipiunt spirare, durant per aliquot menses, alii per semissem anni, alii uno mense, alii paucis diebus.

Inter hosce præcipue illi observantur à nautis, qui per aliquot menses spirant in certis maris partibus, atque illos (ut etiam ipsa tempora quo tales venti spirant) vocant Motiones, Belgæ, *Moussons.*

Atque tales motiones inprimis in Oceano Indico ab Africa ad usque Philippinas Insulas notabiles sunt, etsi neque aliis locis desint. Magnum momentum in observatione harum motionum situm est, quippe tempus illarum nautæ eligere debent ad navigationem quam instituunt versus eandem (vel collateralem) plagam, ad quam ventus ille spirat, neque suscipere navigationem in plagam motionis istius, sed exspectare motionem contrariam. Etenim in Indici Oceani partibus ubi unus ventus per aliquot menses spirans cessat, succedit alius ventus priori contrarius, atque eadem constantia durat, donec suum tempus absolverit, atque ideo hasce motiones vocant contrarias. Tempus autem commutationis motionum (*verandering van Mousson*) appellant illos dies, qui intercedunt inter finem unius motionis & principium contrariæ. Neque enim cessante una motione statim altera incipit spirare, sed dies aliquot intercedunt, interdum plures, interdum pauciores; item, in quibusdam locis plurès, in quibusdam pauciores. Atque hisce diebus intermediis, quibus nulla certa motio spirat, ventus est variabilis, insidiosa malacia, & plerunque incertis fluctibus agitatur mare, atque tempestates crebræ ingruunt. Quædam ex motionibus bis in anno redeunt, sed non eadem vehementia, unde nautæ unam vocant, *de groote Mousson*; alteram, *de kleine Mousson*.

1. In Oceani Atlantici parte ea, quæ in Zona Torrida jacet, ut etiam ea, quæ in Temperata, Boreas spirat frequens mensibus Octobri, Novembri & Januario. Et ideo hi menses maxime idonei sunt capessendæ navigationi ex Europa in Indiam, ut Æquatorem superent ope illorum ventorum. Etenim experientia constat, quasdam naves, quæ mense Martio ex Europa solverant, non citius

citius pervenisse ad Brasiliam, quam illas, quæ mense Octobri solverant, nimirum utræque pervenerunt illuc mense Februario, adjutæ Borea. Quia tamen non est ita continuus & certus hic ventus, ideo nautæ non consueverunt eum appellare Motionem. Neque facile est causam reddere hujus venti in istis mensibus, nisi ad copiosos & densos vapores, vel ad continuam pressuram à nubibus gravibus factam eum velis referre. Sed & qui in Nova Zembla hybernarunt, testantur frequentissimum ibi fuisse ventum Septentrionalem toto hyemis tempore, ubi Soli rarefacienti aërem nequit ascribi hic effectus, cum infra Horizontem delitesceret. Id tamen in genere existimo posse suos defendere, quod motionum harum pleræque proveniant à resolutione nivium vel crassarum nubium per hyemem in Septentrionalibus & Australibus locis, præsertim montibus collectarum. Ad quod credendum inductus sum eo potissimum argumento, quod motiones hæ maxima ex parte spirant à Boreali vel Australi plaga, vel harum collateralibus. Quoniam itaque nix & crassiores nubes in Septentrionalibus locis resolvuntur à Sole, ea potissimum semisse anni quo Septentrionalem Eclipticæ peragrat, ideo motiones tunc erunt Septentrionales. Eodem modo in australibus vel Antarcticis locis altera semisse anni Sol resolvit nivem & crassiores nubes, ideo tunc motio Australis sentietur.

Quod autem motiones hæ in mari magis spirant à collateralibus plagis, nempe Austro-euro, Euro-borea, vel vicinioribus plagis ad Boream & Austrum, ejus causa videtur referenda vel in diversum locorum situm, in quibus nix & nubes crassiores collectæ sunt, vel potius in generalem ventum, qui admodum motiones illas in aliam plagam trahere potest. Etenim cum generalis ven-

tus per se & ex sua natura tendat directe ab Oriente ad Occidentem, motiones autem istæ ab uno polo ad alterum tendant, inde oritur mutuum impedimentum, atque inde fieri potest, ut plagam intermediam inter Eurum & Austrum, vel inter Eurum & Boream ventus sortiatur. Motiones vero Austro-zephyrinæ & Borea-zephyrinæ inconstantes, raræ & debiles sunt, ideoque vix inter motiones numerantur, cum Boreas & Auster per accidens videantur interdum ad Zephyrum declinare, ad Eurum vero trahantur à vento generali. Ad reddendas autem causas de magna illa diversitate harum motionum in diversis locis requiruntur observationes magis accuratæ, & quidem non unius anni, sed plurium, cum annotatione temporum hyemalium, pluvialium, nivalium, montium illorum locorum, ex quorum plagis venti hi stati spirant, Lunæ quoque motum & phasin, quidque ea varietatis hic inducat, scire debemus.

2. Mense Julio & aliquot vicinis spirant australes venti ad promontorium viride Africæ (Ibi tunc hyems est pluviæ nempe.) Atque hoc non aliam ob causam fieri videtur, quam ob eam, qua in nostra Zona Septentrionales spirant hyeme.

3. Ad promontorium Bonæ spei in Septembri Euro-boreas flat.

4. Ad Patanen (regnum est & urbs ejusdem nominis in India trans Gatem) mensibus Novembri, Decembri & Januario continuæ pluviæ & ventus Euro-boreas, sed reliquis mensibus ventus Orientalis perflat, & æstas est.

5. Circa Sumatram motionum mutatio fit Novembri & Decembri.

6. In insula *del Mayo*, una ex Azoribus sive silinis, in fine Augusti aspirat ventus vehemens ab Austro, & multas pluvias affert, quæ terram aliàs aridam

atidam humectant, & tunc primum gramen progerminat, quo hirci plurimi impinguantur ad finem Decembris.

7. In regno Congi Africæ, medio Martio ad Septembrem (quo tempore hyems ibi est) spirant venti Boreas, Zephyrus & Borea-zephyrus, vel alii intermedii, qui cogunt nubes in fastigia montium, & obscurum aërem cum pluviis generant. (Vide Propos. sequ.) Sed à Septembri ad Martium venti sunt prioribus contrarii Auster, Eurus & Euro-auster aliique intermedii. Hasce statorum & anniversariorum ventorum differentias desumsimus ex observationibus nautarum, qui illos vocant Motiones, *Moussons*, si in maris longo tractu spirent. Jam de causis illorum agendum esset, sed omnium regionum montes, nivium & colliquationis earum tempora, aliaque multa ignoramus: præterea observationes illæ nautarum non satis accuratæ sunt, ut sollicitam inquisitionem de causis videantur mereri.

Motiones celebriores sunt hæ:

1. In Oceano Indico inter Africam & Indiam, & ad ipsas Moluccas motio Orientalis versus Occidentem incipit cum Januario & spirat per sex menses usque ad Junii initium: Mense Septembri & Augusto incipit motio contraria, nempe venti Occidentales. Mense Junio, Julio & Augusto motionum est mutatio, & sævæ tempestates à Septentrione. Quando autem dicimus, Orientales vel Occidentales venti, intelligimus non tantum Eurum & Zephyrum, sed etiam collaterales, Euro-austrum, Zephyro-boream.

2. Ad littora vero variat admodum motio Orientalis, ita ut tantum à Januario usque ad finem Martii vel medium Maium naves ex India cis Gatem vel Malabarico littore solvant petentes Persiam, Arabiam, Mecham, Africamque; namque

cum fine Maii, & toto Junio, Julio & Augusto crebræ & vehementissimæ tempestates sæviunt, immiscente se frequenter vento boreali vel furente Euro-borea: itaque hisce mensibus nullæ naves abeunt ex India cis Gatem: sed in littore Indiæ trans Gatem; hoc est Orientali vel Coromandelio littore ignorant tales tempestates. A Ceilano insula, Java aliisque ad Moluccas instituitur navigatio mense Septembri, quia tunc incipit motio Occidentalis, impediens ventum generalem. Ubi tamen ad 15 gr. latitudinis Australis ab Æquatore receditur, non ita animadvertitur Occidentalis motio in Oceano Indico, sed generalis ventus Euro-auster vela inflat.

3. A Cocino ad Malaccam, hoc est ab Occidente in Orientem, instituunt navigationem in Martio, quia motio Occidentalis tunc ibi incipit, vel potius Zephyro-boreas frequenter spirat.

4. In regno Guzaratensi, hoc est, in India cis Gatem & littore hujus semisse anni spirant venti Septentrionales à Martio ad Septembrem: altera semisse Australes, & quidem sine crebra interpellatione ab aliis ventis facta.

5. Belgæ ex Java solvunt plerunque mense Januario & Februario, ubi Europam repetere volunt: navigant tunc vento Orientali usque ad 18 gr. latitud. Australis: hic incipit spirare Auster vel Austro-eurus, quo navigant usque ad S. Helenam.

6. Etsi in Oceano Indico à Januario usque ad Junium sit motio Orientalis, & dein ab Augusto ad Januarium motio Occidentis, nihilominus in diversis ejus partibus quando ab uno loco ad alium est navigandum, diversa tempora censentur magis vel minus commoda, propterea quod venti collaterales magis vel minus spirant, vel minus aut magis vehemens est motio illis temporibus, vel alii venti crebro aut raro se immiscent illo tem-

tempore. Ideo aliam motionem observant navigaturi à Cocino ad malaccam; aliam à Malacca ad Maccou Chinæ emporium, aliam à Maccou ad Japoniam.

7. Ad Bandam Insulam cessant Occidentales cum fine Martii: atque ad finem Aprilis venti variabiles & malaciæ: Cum Maio incipiunt venti Orientales vehementes & cum pluvia.

8. Ad Ceilanum Insulam circa promontorium dictum Puncto Gallo, die XIV Martii primus ventus Occidentalis, nempe *West-zuyd-west*, dein Zephyro-auster in fine Martii constans & continuus usque ad 1 Octobris. Tunc Euro-boreas & Ost-nord-ost incipit, qui ad Martium usque medium spirat ibi. Sed interdum diebus decem vel etiam pluribus, venti hi stati sive motiones serius vel citius adsunt.

9. In itinere à Mozambique Africæ ad Goam Indiæ mense Maio, Junio, Euro-austri dominantur usque ad Æquatorem, sed ab Æquatore ad Goam Zephyro-austri & Austri mensibus quoque Julio & Augusto, & sequentibus.

10. In gradu 35 Elevationis Meridiani, qui per Insulam Tristan de conha transit, mense Maio in novilunio furit Zephyrus.

11. Ad $2\frac{1}{2}$ latitudinis borealis, in mari septuaginta milliaribus à Guinea, ventus Euro-auster dominatur à XX Aprilis ad V Maii (sed non in littore vel ipsa Guinea): post quintum Maii sentitur etiam idem ventus ad 3 gr. & $3\frac{1}{2}$ latitudinis.

12. Ad insulam Madagascar, à XV Aprilis ad ultimum Maii ventus Boreas & Zephyro-boreas: sed in Februario & Martio ab Oriente & Austro spirant venti.

13. Mense Martio & Aprili in tractu Telluris

& maris ab insula Madagascar ad promontorium Bonæ spei ventus Boreas & Boreæ collateralis ad Eurum spirat continue, ita ut pro miraculo habeatur, si duobus diebus spiret Auster vel Euro-auster.

14. Post xx Aprilis in mari de Bengala ventus Auster vehemens est: ante illum diem vigent Zephyro-austri & Zephyro-boreas, illique impetuosi.

15. Motio pro navigatione à Malacca ad Maccou mense Julio, Octobri, Novembri, Decembri, nempe Austrini venti, & Austro-zephyrus, sæpe quoque Euro-auster. In Junio vero & Julio initio sæviunt Zephyri circa Malaccam & in mari Chinensi.

16. Motio, qua à Java ad Chinam navigant, (ab Occidente in Orientem) incipit cum Maio mense.

17. Motio, qua à China in Japonem navigatur (ab Occidente in Orientem) viget mense Junio, Julio, nempe Zephyro-auster; interpellant autem crebro Boreas & Boreæ collateralis ad Eurum, idque inprimis de die: de nocte vero interpellant Euro-auster & Austri primus collateralis ad Eurum.

18. Contraria motio, nempe à Japone ad Maccou ab Oriente in Occidentem est in Februario & Martio, nempe Eurus & Euro-boreas, sed hi in mari non dominantur, sed ad littora Chinæ, quæ navigantes in itinere suo à Japonia observant: vocant eos, *windt over land.*

19. Motio, qua navigatur à Philippinis vel China ad Americanæ Hispaniæ portum Aquapulco, nempe venti Occidentalis flatus, mense Junio, Julio & Augusto observantur, sed admodum debiles, nisi in plenilunio: sunt autem Zephyro-austri: vitant autem Zonam Torridam, sed Americæ Septentrionalis littora legunt ad vitandum

ventum

ventum generalem ab Oriente, qui tamen tunc minus vehemens est. Id enim in genere sciendum est, Motiones Occidentales sive Zephyri flatus esse debiliores motionibus Orientalibus: quia hæ juvantur à vento generali, illi imminuuntur ab hocce.

20. In mari Chinensi motio Austrina & Austro-zephyrina Julio, Augusto, Octobri, &c. Si hi venti in Orientalem commutentur, nunquam statim ad Austrum redeunt, sed primo ad Boream, hinc ubi aliquot dies spirarint, redeunt ad Orientem, & denique ad Austrum: interdum tamen Euroboreas immediate mutatur in Zephyro-austrum, interdum à Borea statim ad Austrum, idque satis hic frequens est.

Sic in mari se habent anniversarii venti constantiores, quibus addo illos, qui minus sunt constantes, & illos qui in littoribus vel etiam maritimis locis observantur anniversarii.

PROPOSITIO IV.

Etesiæ, venti anniversarii in Græcia, oriuntur à nivibus & pluviis resolutis in montibus.

Duplices Græci observarunt in singulis annis statos ventos, quos Etesias appellavere, nempe 1. æstivos, sive caniculares, quos generali vocabulo appellaverunt Etesias, quia validiores sunt & magis sensibiles. 2. hybernos, quos vocarunt Chelidonios, sive Ornithias.

Etesiæ caniculares, sunt aquilones seu boreales, in quorum initio ad diem certum constituendo Scriptores dissentiunt. Aristoteles cum post solstitium æstivum eos spirare dixisset, nihil addidit de vero tempore, magna certe negligentia, quam auxit deinde, ubi ornithiarum mentionem faciens tam tempus quam ventorum horum plagam omisit: Cæterum, qui annotarunt Etesiarum tempus,

illi prodromos illorum vel ad sextum Julii mensis diem, vel ad xv Julii, initium spirandi facere cum Caniculæ ortu annotarunt, flare autem illos per quadraginta dies caniculares, atque ideo cum Augusto desinere illos, sed alii ad medium Septembrem extendunt: spirant autem tantum de die, nocte cessant, neque matutine surgunt, ideo nautæ olim illos vocarunt somniculosos & delicatos.

Causa horum ventorum proculdubio est resolutio nivium in montibus Septentrionalibus facta à Solis magno æstu, qui tunc temporis maximus est, propterea quod jam per aliquot menses continue fere illos montes sine occasu illustravit. Atque cum hac causa apte consentit, quod Etesiæ nocte cessant, nempe quia tunc cessat nivium resolutio, vel minor saltem est, quàm generatio venti requirit, propterea quod Sol tunc Horizonti nimis vicinus sit vel etiam omnino occidat.

Idem hic canicularis Boreas non tantum in Græcia, sed etiam in Thracia, Macedonia, mari Ægeo, ejusque insulis (quas omnes regiones sub Græciæ nomine aliquando comprehendi non ignoro), imo in Ægypto quoque & Africa, atque verisimile est, eum quem in regno Congi (ultra Æquatorem sito) spirare diximus priori propos. à Borea inter Martium & Septembrem, eum, inquam eundem esse cum hisce Græcorum Etesiis, vel saltem ab eadem causa foveri: sicut etiam illum Boream, quem eisdem mensibus diximus spirare in regno Guzaratensi à Martio ad Septembrem, nimirum hunc à resolutis nivibus montium Asiæ, quos Sarmaticos appellaverunt & orbis cingulum, provenire statuendum, & ideo inter motiones recensuimus illum.

Secundus anniversarius ventus Græcorum est Chelidonius, vel avicularis, quem incipere post bru-

brumam scripserunt, sed initii diem non annotarunt. Sunt autem hi australes (canicularibus contrarii) & admodum debiles, sine omni nisu: præterea inconstantes & minus continui. Unde mare placidum reddunt, & avibus hybernis, quas Chelidones vocant. Aristoteles eos per vices spirare refert usque in mediam æstatem, donec Etesiæ caniculares, aquilones nimirum, incipiant, sed minus sensiles esse.

Horum ventorum causa itidem est resolutio nivis in montibus Lunæ Monomotapæ, quos nivosos appellant Lusitani, quas nives Sol liquefacit & rarefacit, quoniam in nostra & Græciæ hyeme ibi æstas, Sole australem Zodiaci partem permeante. Atque hic etiam ventus in regno Congi, Ægypto, mari Ægeo, similisque in regno Guzaratensi deprehenditur, sed per multo plures menses, cum in regno Congi & Guzaratensi incipiat cum Septembri, & spiret usque ad Martium.

Græcorum anniversarius est, quem ornithias vel avicularem vocarunt, emque post æquinoctium vernum Sole ascendente ad Europæorum verticem spirare dixerunt.

PROPOSITIO V.

Cur in Italia, Gallia, Germania, Persia, aliisque regnis Etesiæ non spirant? præsertim cum viciniora sint montibus Septentrionalibus, a quibus Etesiæ Græcorum, Congi, Guzaratæ, &c. oriri & spirare asseveravimus?

Dubium non leve habet hæc quæstio: & sane optarem magis accuratas habere de hoc negotio observationes, nempe annotationes ventorum qui eo tempore in singulis regnis observantur, an singulis annis nunquam iidem redeant, namque in Galliæ parte Aquitaniæ anniversarium esse aliquem ventum memini me legisse aliquando.

Si

Si quid tamen dicendum est ad quæstionem, hæc videntur mihi esse commoda: Primo, in canicularibus nostris Boream sæpe flare non est negandum. Secundo, quod minus continue neque singulis annis sentiatur, causa fortassis est aliorum ventorum crebri flatus, qui illius perceptionem impediunt. Tertio dici posset, montem à quo prima incipit nivium resolutio, situm esse directe è Græcia, atque ideo primum ventum canicularem huc ferri, vapores vero è reliquorum montium nive huc ferri, propterea quod hic jam liberam viam factam reperiant. Sed hasce meas extemporaneas cogitationes libenter rejiciam, ubi meliorem causam & accuratiores observationes videro.

Propositio VI.

Venti quidam proprii sunt & fere perpetui alicui loco vel tractui Telluris, alii cessantes.

Paucissima loca Telluris sunt, quæ ventum aliquem perpetuo tempore experiuntur, hæc nimirum.

1. Loca Zonæ Torridæ, præsertim maris Pacifici & Æthiopici partes in Zona ea sitæ fruuntur perpetuo vento, Orientali nempe vel ejus collaterali, quem generalem vocari, diximus Propositione 11, ubi prolixe egimus de illo. Imo hic ventus non tam inter proprios est numerandus, quam omnibus locis communis statuendus; quandoquidem per accidens fit, quod in omnibus locis non sentitur, nimirum quia alii venti spirant fortius. Causa ejus loco citato allata est.

2. In littoribus Peru regni & partis Chili, atque adjacenti vicino mari ventus perpetuus fere est Auster, & collateralis ejus ad Zephyrum. Incipit ad 46 gradum latitudinis atque perflat ultra Panamam Isthmi Americani, atque efficit, ut paucis

diebus

diebus naves è Lima ad Panamam argento atque auro onustæ perveniant: sed à Panama ad Limam multorum dierum navigatione opus sit. In mari autem à littoribus Peru remoto non spirat hic ventus. Causam hujus venti reddere difficile est, propterea quod Terra Australis, ex qua spirare videtur, nondum cognita nobis est. Verisimile tamen esse puto, quod in ea quidem perpetuis tecti nivibus montes reperiantur, ex quarum continua resolutione venti hi generentur. Sed nolo hic suspicionibus vel conjecturis meis lectorum inficere animos. Fortasse enim nives, quæ in excelsis montibus ad fretum Magellanicum toto anno reperiuntur, causa sunt horum ventorum, sed id obstat, quod montes illi ab Austro versus ortum jacent, venti autem hi spirant à plaga versus Zephyrum ab Austro declinante: relinquamus itaque hæc diligentiori inquisitioni vel majori cognitioni Terræ australis.

3. Ad littora Terræ Magellanicæ sive *del fuego* circa fretum *le Maire*, continui fere, vel saltem admodum frequentes, spirant venti Occidentales, & quidem cum impetu, ita ut arbores quoque inclinent versus ortum à perpendiculari rectitudine. Neque est ulla pars Telluris in qua toties illi Occidentales spirent, sed ab altera parte freti *le Maire* ad littora terræ Australis spirat Auster. Occidentalium illorum causam aliam reddere nequeo, nisi quod existimem eos excitari à nivibus & nubibus in Terra Australi, quæ à latere Occidentali illius freti, ab Austro versus Septentrionem se extendit. Dubia hæc sunt & diligentius inquirenda.

4. In littoribus Malabaricis Indiæ toto fere anno Boreas & Zephyroboreas spirant. Causa à solutione nivium in montibus Sarmatiæ Asiaticæ, Imao, Caucaso, vel à nubibus in montibus aliis

Asiæ

Asiæ congregatis & suppositum aërem prementibus petenda est.

5. In mari prope Guineam frequens est Zephyro-boreas, in remoto Euro-boreas.

6. Medio itinere inter Japoniam & Liampo, urbem maritimam Chinæ, usque ad hæc semper reperiuntur venti Occidentales, qui in Japonia spirant mense Novembri & Decembri.

7. Ad insulam Guoton non procul ab insula *dos Cavallos* in mari Chinensi ventus australis frequens est, cum in vicino mari Borealis dominatur.

Propositio VII.

Ad periodicos seu stato s ventos pertinent illi quoque quos diales appellavimus, qui in quibusdam regionibus & certo anni tempore, singulorum dierum quibusdam horis spirant.

Sunt autem illi duplices deprehensi, & quidem tantum in locis quibusdam maritimis. Quidam enim spirant è locis mediterraneis ad littora versus mare: alii contra à mari ad littora. Illos vocant Lusitani *Terreinhos*, item, *vento di terra*, Belgæ *Landwindt*: hosce *viracoins*, *windt uyt de Zee*.

1. In Malabarico littore tempore æstatis, nimirum à Septembri ad Aprilem spirant venti terrestres sive *Terreinhos* ab hora duodecima noctis ad duodecimam diei, nimirum Orientales venti, neque sentiuntur in mari ultra decem milliaria. Sed à duodecima diei ad duodecimam noctis spirat marinus ventus sive Viraconus, nempe Zephyrus, verum hic admodum debilis est, ut vix ejus beneficio naves possint littora attingere. Illorum Orientalium à XII noctis ad XII diei causam esse puto partim generalem ventum, partim nubes in montibus Gatis: Occidentalium vero à XII diei ad XII noctis spirantium è mari causa est nubium

bium resolutio per occidentem Solem facta, quæ nubes antea per ventum Orientalem versus Occidentem erant coactæ. Hæ sunt meæ conjecturæ. Extra vero dictos illos menses dominatur ibi Boreas, Eurus & Euro-boreas. Neque propter tempestates crebras sentiuntur lenes hi terrestres & marini venti.

2. In Coromandelii littoris urbe Masulipatan incipiunt spirare *Terreinhos* cum primo die Junii, durant tantum quatuordecim dies, & tunc abeunt inde naves. Sed hi potius ad Motiones referendi sunt, quia quantum ex verbis nauticæ descriptionis conjicere possum, illi terrestres per illos dies ibi sunt continui, neque marini succedunt.

3. In littore Americanæ seu Novæ Hispaniæ ad Pacificum mare spirant venti terrestres media nocte: sed marini de die.

4. In regno Congi & in provinciis ad Lopo Consalvo spirant terrestres à vespere per noctem: marini mane incipiunt, atque ita calorem diei minuunt.

5. Subsolani quoque venti qui ante Solem & cum Sole Oriente spirate deprehenduntur singulis diebus in omnibus locis præsertim mari, nimirum quando ab aliis ventis quies est, præsertim in Brasilia, ubi singulis diebus matutino tempore. Causam explicare non est difficile. Vel enim generalis venti particulam esse dicemus, vel Solem crassiores aëris per noctem densatas particulas discutere & tarefacere.

6. Pertinent etiam ad diarios ventos Etesiæ Græcorum, & Chelidonii.

7. In littore Camboiensi à Varella ad Pulo Catte, à vicesimo octavo Julii ad quartum Augusti sæpe spirant terrestres & marini venti successive singulis diebus, quia tunc motiones ibi cessant,

&

& malaciam faciunt. Terrestres sunt Zephyrus & Zephyroboreas: marini autem collaterales Euri, qui in Boream transeunt, statim ad Austrum reflectuntur, tunc malacia succedit, donec terrestres iterum spirare incipiant, qui tamen in mari non vltra duo milliaria à littore sentiuntur.

8. Reperiuntur quoque terrestres illi & marini venti ad Havanam nocte spirantes in America.

Propositio VIII.

Quo propius ad æquatorem ab Arctico polo accedit, eo venti Septentrionales minus vigere deprehenduntur, & superato Æquatore in parte Terræ Australi vigent venti Australes, qui in hisce locis frigidi sunt & sicci, præsertim in Chili & Peru.

Causa utriusque est eadem, quia à locis polaribus veniunt. Reperiuntur tamen in Septentrionali Tellure venti australes, & in australi Septentrionales.

Propositio IX.

Ex dictis hactenus constat, *Ventorum differentiæ esse quatuor.*

1. Communes, qui omni tempore & omni loco spirant, nisi impediantur ab aliis; qualis est unicus, nempe Generalis.

2. Proprios, qui omni tempore, sed tantum in certo loco vel tractu Telluris, non in omni.

3. Qui multis locis, sed non continue sive omni tempore; ut sunt motiones, anniversarii & diurni venti quidam.

4. Qui nec omni tempore nec plurimis locis.

Propositio X.

Venti quidam subitanei sunt & impetuosi, non diu durantes.

Ta-

Tales sunt Prester, Typhon, Turbo, Exhydrias, Ecnephias. Hi venti quibusdam locis sunt anniversarii, quidam locis quibusdam in mari magis frequentes.

Prester dicitur impetuosus ventus cum fulgure seu flamma erumpens. Raro tales observantur, & vix solitarius sine ecnephia. Seneca autem presterem dicit esse typhonem seu turbonem cum incenso aëre.

Ecnephias dicitur subitaneus & impetuosus ventus prorumpens ex aliqua nube vel nebecula; Tales ecnephiæ crebri sunt in mari Æthiopico inter Brasiliam & Africæ procurrentem, inprimis ad promontorium Bonæ spei, & ab altero Africæ latere ad Terram de Natal, item ad Guineam sub Æquatore. Nautæ eos vocant *Travados* vocabulo Lusitanico, Latinis dicitur procella: sed græcum vocabulum est aptissimum. Quibusdam etiam anni mensibus in quibusdam maribus magis frequentes.

Nubecula illa, & interdum plures nubeculæ atræ & subnigræ manifesto à nautis conspiciuntur, coire paulatim & augeri, & quidem cælo serenissimo, antequam prorumpat ventus: atque ideo cum eas vident, illico vela colligere & navem contra mox affuturam sævitiam munire debent. Sed antequam nubecularum harum naturam & prognosticon didicerant nautæ pelagus istud ingressi, pluribus navibus exitio fuit, quod primi experti sunt Lusitani, quandoquidem hi primi ex Europeis Oceanum Æthiopicum navigaverunt. Etenim cum patefacta per Gammam India, Rex Lusitanus novam classem, & quidem majorem, nimirum tredecim ingentis alvei & majoris formæ navium sub Prætore Caprali illuc ablegasset anno millesimo & quingentesimo, hæc prima omnium ex Europeis delata est ad Brasiliam ingenti Lusitanorum gaudio.

Hic

Hic cum aliquo tempore nempe per Aprilem mensem hæsissent, solverunt inde mense Maio versus Promontorium Bonæ spei: sed sævissimam ab ecnephia, cujus signum etsi videbant, tamen ignorabant, tempestatem experti sunt, quam Maffeus ita descripsit: A Brasilia ad Bonæ Spei promontorium immani trajectu leucas numerant fere mille ducentas (mille circiter Germanica milliaria); Oceani sævientis, ventorumque furentium ea præcipue regna sunt. In id spacium audacius quam felicius ingressis Maio mense Lusitanis, flammeus Cometes horribili specie in decimum usque diem continenter apparuit. Jamque variante sæpius cælo, pelagoque, atræ ac sordidæ nubes ad Septentrionem conglobatæ, omnem in se flatum quasi reciprocando collegerant: mare languidum erat, insidiosa tranquillitas. Nautæ locorum atque tempestatum ignari, ad auram undique captandam totos velorum expanderant sinus: Cum ex iis, quas dixi, nubibus, universo repente impetu sese effundens Aquilo transversas quatuor naves, quarum ad contrahendum minus apte fuerant armamenta disposita, inspectantibus cæteris, momento ita evertit, obruitque, ut è tanto hominum numero nemo prorsus evaserit. Saluti reliquis fuere vel demissæ raptim antennæ, vel ubi id non licuit, vela ipsa vento disrupta. Deinde, Borea pertinaciter flante pelagus ideutidem intumescere, fluctus modo ad astra ferri, modo ad tartara pene ima subsidere: salum ipsum interdiu piceo, noctu igneo colore terrebat. Viginti ipsos dies tempestas atrocissima tenuit, &c.

Hactenus Maffeus. Inprimis autem tali ecnephia (*Travados*) infame est Promontorium Bonæ Spei.

Est non procul ab eo littore excelsus mons non in apicem desinens, sed planitiem in fastigio habens

bens instar mensæ, unde Belgæ illum vocant, *den Tafel-bergh.* Ab illo fastigio ecnephias frequentissime prorumpit ingenti cum impetu & mirabili prognostico. Etenim cælo serenissimo existente & mari placido nubecula conspicitur super illam montis mensam consistere, quæ adeo parva est, ut vix granum hordei: deinde juglandem nucem æquare videatur, unde Belgæ vocant Oculum bovis, Lusitani *Olho de Boy*, quoniam huic similis esse dicitur illa nubecula. Deinde mox augetur, atque extendit se super totam planitiem montis, quod Belgæ vocant, *de tafel word gedeckt*, quia narrant, quod non aliter hæc appareant ac si mensa sterneretur & cibi varii in patinis apponerentur. Tum vero illico ecnephias prorumpit è montis illo fastigio, tanto quidem impetu, ut naves imparatas & non munitas, præsertim si vela expansa sint, obruat & in tartara præcipitet. Sed nautæ jam cautiores facti, ubi oculum illum bovis viderunt, statim recedunt à littore, quantum possunt, & vela dein colligunt, aliisque utuntur ad tuendas naves artificiis. Neque enim unquam fallit hoc prognosticon: ideo ferale convivium fugiunt. Eodem modo ad terram de Natal ecnephias furit, præcedente oculo bovis, quo multæ naves perierunt: Et toto tractu inter illam terram & promontorium Bonæ Spei. In Delphinatu quoque Galliæ non procul à Vienna mons altus est, in cujus vertice stagnum, unde tempestas omnis in his locis oriti videtur. In ejus vertice procreatur nebulosa exhalatio, quæ statim futura tonitrua aut imbres prænotat.

In mari sub Æquatore inter Americam & Africam, atque in vicinia Æquatoris frequentes sunt tales ecnephiæ & *Travados*, præsertim illis mensibus, quibus nulli venti ibi continue & constantes spirant vel admodum rari, nempe fere per totum

tum annum, inprimis mense Aprili, Maio, & Junio (in aliis mensibus rarior est) atque admodum insignes sunt ad littora Guineæ: Lusitani, ut dixi, vocant *Travados*, quam vocem Belgæ quoque retinent: incolæ Guineæ vocant *Agremonte*. Illi frequenter ingruunt, ter vel quater in uno die, mox cessant, nimirum sesquialteram plerunque horam dominantur, sed primus impetus est vehementissimus. Erumpunt ex atris & sordidis nubeculis cælo serenissimo & mari quieto existente, unde nautæ eos affuturos conjiciunt. Eorum adminiculo nautæ plerunque superant Æquatorem, quia alii venti continui ibi sæpiuscule desunt, præsertim tribus illis mensibus; neque navibus adimunt navigandi potestatem excepto primo impetu.

Sed in mari, quod vicinum est ei parti Africæ, in qua regnum Lowango situm est, ecnephias frequens est mense Januario, Februario, Martio, Aprili. Atque in aliis locis Africæ alios observat menses. Sic ad promontorium Africæ veteribus dictum Aromata, hodie *Guardafu*: non procul à faucibus maris rubri, mense Maio singulis annis sævit boreas & vehementissimus ecnephias.

Namque sciendum est, quod sicut venti quidam minus impetuosi sunt anniversarii, ita quoque tempestates & ecnephiæ anniversarii sunt certis locis. Tali ecnephia non procul ab illo promontorio periit Prætor Lusitanus Sodreus, anno clɔ lɔv circiter, qui præmonitus ab Africanis noluit optimis consiliis obtemperare.

Sed in faucibus hisce Arabici maris, ut etiam in Arabia & Æthiopia, peculiaris & mirabilis interdum ecnephias accidit: nimirum densa & atra nubes mixta cum flammeis nubeculis instar candentis & resplendentis camini (horrendum visu) tenebras inducit diei, mox erumpit procella, cujus

tamen

tamen sævitia mox sedatur, sed rubram arenam ingenti copia ejicit in terram atque mare, ita ut Arabes afferant, aliquoties contigisse, ut arenales tales procellæ obruerint annuos illos mercatorum & peregrinantium cœtus vel comitatus cum ipsis Camelis (*Caravanen* vocant, vel *Caffilam*; nimirum singulis annis bis vel semel mercatores ex variis Asiæ partibus in Syria congregati, ex Alepo proficiscuntur in Arabiam, ad 6000 personæ, quia propter crebra Arabum latrocinia & viæ molestias non audent solitarii iter capessere: quod itidem ex India in Chinam & Tartariam faciunt); atque inde volunt existere Mumiam Arabum & Ægyptiorum, nimirum corpora illa arenis obtecta magno Solis æstu exsiccantur. Oritur autem ille ecnephias à plaga Septentrionali, in qua Rubrum mare extenditur, atque ideo verisimile est, cum in littore illius maris magna copia reperiatur talis arena, quod vi venti in sublime rapiatur atque inde rubicundum illum colorem in nubibus existere, atque deinde arenam è nubibus ejici.

Talem etiam arenalem ecnephiam oriri in Lybia propter copiosos illius arenæ cumulos non est vero absimile, & jam antiquis innotuit de hac re, qui ideo difficilem accessum ad templum celeberrimum Jovis Ammonis in Libya esse scripserunt, neque Mumiæ generationis modus illis omnino ignotus fuit. In Indiæ regno Guzarath nubes arenosas vel pulvisculorum ingentem copiam continentes (qui propter fervorem solis elevati sunt) sæpe viatores opprimere autor est Twistius Belga, qui ibi diu vixit.

Jam de causis hujus venti procellosi, nempe unde ecnephias existit, dicendum est. Ex nube eum erumpere manifestum est. Duo autem modi sunt, quibus à nube talis ventus videtur posse generari. Primus si nubes sua gravitate deorsum ver-

gens aërem magno impetu elidat, sicut experimur, si vela passa decidant, commoveri inde cum impetu aërem. Atque inde fit, ut quo minor apparuerit nubecula sive oculus bovis, eo major sequatur tempestas, nimirum, quia nubes altior est, & ideo parva apparet: demittens autem se ab altiori loco vehementius elidit aërem. Alter generationis modus est, si spiritus in nube inclusus repente erumpat, vel propter aliquem ignem sive sulphuream materiam ex nubibus angustiâ factâ viâ & aliis effugiis prohibitis vapor elidatur, sicut ex vase angusti orificii aquam continente, si calefiat, prorumpit ventus. Sed prima causa videtur verisimilior.

Propositio XI.

Exhydrias dicitur ventus ex nube prorumpens cum magna aquæ copia.

Germani vocant ein Wolckenbruch. Parum differt ab ecnephia, nisi quod nubes illa, ex qua prorumpere videtur, in aquam jam densata sit & ab aliis circumstantibus nubibus tamdiu sustentata & forte à ventis in unum coacta, donec gravitate sua deorsum ruat, aëremque elidat, unde magnus ventus existit. Sed rari sunt exhydriæ: ipse tamen ecnephias plerunque habet comites pluvias & imbres sive potius nimbos: ideoque ab exhydria tantum differt secundum magis & minus. Nimbus enim nihil aliud est, nisi ventus cum impetuosa pluvia, ideo generalior est quam Ecnephias. Exhydrias autem plerunque perpendiculariter à vertice decidit.

Propositio XII.

Typhon dicitur impetuosus ventus cum celeritate per omnes plagas circumcirca locum aliquem vagans, ac plerunque desuper à vertice irruens.

Sarû-

Saraceni vocant Olifant, Indi Oranean. Frequens est in Orientali Oceano, inprimis in mari Sionis, Chinensi & Japoniæ (inter Malaccam & Japoniam). Is ex Occidentali ferme plaga violentus erumpens, & rapida vertigine circa Hotizontem rotatus, assiduis incrementis horarum circiter viginti spatio circulum conficit; impetu horribili, sævisque turbinibus vasta illa æquora vehementissime commovens, decumanis undique fluctibus insurgentibus, qui inter sese velut arietantes atque collisi omnem salutis spem navigantibus adimunt. Et tum propter typhones hosce, tum propter procellas alias, navigatio ex India in Japoniam periculosissima est, ita ut faustum censeatur iter, si ex tribus navibus una cursum tenuerit. Autumni maxime tempore furiosissimus typhon dominatur sæpe tanto impetu & rabie, quantam qui oculis non subjecerint, animo concipere non possint, ita ut mirum non sit, quasvis ingentes ac validas naves immensis fluctibus verberatas laxatis compagibus labefactari: dicas, cælum & terram chaos velle repetere.

Nec tantum in mari, sed in littoribus quoque furit, multasque domos prosternit, ingentes arbores radicitus evellit, magnas naves ex mari in Terram ad quadrantem milliaris propellit.

Nautæ vocant, *de windt drayt rond-om het compas.* In Indico Oceano raro ultra sex horas dominatur. Mare autem primo ita planum sternit, ac si dolabra lævigatum esset, sed mox horribiles sequuntur fluctus. Ita circa urbem Ardebil in Persia, mensibus Junio, Julio, singulis diebus Sole meridiem occupante turbo oritur durans ad unam horam, quo pulvis ingens excitatur.

Causa typhonis proculdubio est, quod ventus magno impetu ex aliqua plaga erumpens versus aliam, in hac reperit impedimentum, atque ideo

in seipsum contorquetur & circumagitur, sicut videmus aquam celeriter motam, si obstaculum ei objiciatur, ibi in gyrum quasi celeriter & cum impetu circumagi. Potest etiam esse ut ab oppositis ventis simul impetuose spirantibus oriatur typhon, qui supetficiem maris ita planam reddant & naves medias comprehendant. Si desuper irruat, dicitur Cætegis: & tunc mare primo planum redditur ac si scopis purgatum esset, sed mox decumani insurgunt fluctus.

Propositio XIII.

An venti quidam ex ipsa Tellure, Terra nimirum vel aqua, erumpant?

Id quidem fieri posse facile comprehendimus. Etenim cum in Terra & fundo aquæ hinc inde sint cavitates, sint quoque spiritus, substantia sulphurea & humor, nihil obstat, quin flatus ibi satis vehemens generetur, nempe si prohibeatur paulatim ut genitus est, exire vel si statim magna copia, quantam venti requirunt, generetur.

Si autem exitus prohibeatur, generatur terræ motus, vel spiritus violento impetu sibi viam facit & Terram protrudit. Sic in Mauricis insulis sæpe è terra erumpit fumus: sic è specubus quibusdam. In Japonia fons est ingenti cum strepitu certis diei horis erumpens.

E mari erupisse ventum, non memini me legisse.

Propositio XIV.

An ventus quidam oriatur à fluxu maris & fluviorum?

Testatur experientia, quod in illis locis, ubi fluxus & refluxus maris sentitur, si quando aër ab aliis ventis liber est, plerunque cum affluente aqua ex mari etiam ventus ex mari spiret. Verisimile

ſimile itaque videtur, aërem propter contiguitatem moveri vel rapi cum aqua in eandem plagam. Sed diligentius hoc obſervandum eſt, an aëre quieto cum affluxu maris perpetuo ſentiatur is ventus. Futo tamen aliam quoque ejus venti poſſe dari cauſam, nimirum quod aër pellitur è loco ab affluente aqua: movetur autem aër multum ad levem impreſſionem. Sic volunt aërem moveri cum fluviis celeriter currentibus, ut Zaire, Rheno, &c.

PROPOSITIO XV.

Cur ignes fatui, Caſtor, Pollux, Helena exiſtant inter tempeſtates?

Luſitani vocant, *Corpo Santo*; Hiſpani, *Sant Elmo*: Belgæ, *Vrede-vyer*. Non autem una tantum, ſed ſæpe plurimæ hinc inde in navibus ad malos conſpiciuntur, vagantes incerto motu, ut alii ignes fatui, etſi aliquando velis & malis inſidere videantur: ſed plerunque ſaltantes ſurſum & deorſum ſine ulla intermiſſione ſimilem præbent flammam, ac obſcure ardens candela. Si quinque tales candelæ vicinæ conſpiciantur, vocantur à Luſitanis, *Cora de noſtra Senhora*, Corona Dominæ noſtræ, hoc eſt, Mariæ, atque haſce pro certiſſimo ſigno habent ceſſaturæ mox tempeſtatis. Cauſa illorum ignium eſt pars ſulphurea & bituminoſa per magnum illum aëris motum deorſum pulſa & in unum coacta atque incenſa per agitationem vel congregationem. Ita videmus per agitationem lactis butyrum ſeparari. Ex hoc phænomeno quoque colligitur, quod tempeſtates illæ ſævæ plerunque fiant à ſulphureo ſpiritu nubes rarefaciente & commovente.

PROPOSITIO XVI.

Cur tam frequens malacia eſt in mari prope Gui-

neam & sub Æquatore in mari Atlantico inter Americam & Africam?

Est hoc unum ex phænomenis circa ventos non parvæ difficultatis, quod ad Guineam, quæ duobus gradibus abest ab Æquatore, & sub ipso Æquatore perpetua fere sit malacia, inprimis mense Aprili, Maio, Junio, ubi motiones nullæ ibi reperiuntur, cum tale quid in aliis Oceani partibus sub Æquatore sitis non sit observatum. Ecnephias quidem quibusdam temporibus satis frequens ibi est, sed interdum hic quoque desideratur à nautis, quoniam frequentium ecnephiarum impetu solent conari Æquatoris transnavigationem. Accidit non raro, ut naves Indiam ex Europa petentes integrum mensem detineantur ad Æquatorem, antequam transire eum possint. Inprimis autem Guineæ littora fugiunt, & maliciam, atqùe ideo cum dispendio itineris Brasiliam versus navigant. Imo quædam naves per tres menses hic detentæ sunt, antequam in medium Oceanum à littore recedere possint. Causam phænomeni nondum inveni, nisi fortassis hæc sit, quod in Africæ inter Guineam & Barbariam interceptæ nullis montibus nives reperiantur, quæ flatus continuos generent.

PROPOSITIO XVII.

Quibusdam regionibus tempestates anniversaria sunt.

Hujus exempla jam dedimus in prioribus propositionibus quædam, nempe 1. de mutatione motionum. 2. de ecnephia. 3. de typhone. 4. ad promontorium Bonæ Spei mense Junio, Julio. 5. in insula *del Maio* cum fine Augusti Austrina. Hisce adde 6. tempestatem ad Tercera mense Augusto. 7. In 35 gr. meridiani Tristan de Cunha, mense Maio in novilunio ventus Zephyrus furit

&

& absorbet naves. Sed in 33 gr. ejusdem meridiani Boreas & Euro-boreas. 8. In Junio & Julio in mari Chinensi ad Pulon Timor venti Zephyri impetuosi & periculosi. 9. Inter Chinam & Japonem multæ procellæ à novilunio Julii ad XII diem Lunæ. 10. Ibidem si in mense Julio alii venti præter motionem spirent, modo ab hac, modo ab alia plaga, donec constiterint in Euro-boreali plaga, certo ingruit tempestas.

GENERALIS GEOGRAPHIÆ LIBER SECUNDUS.

DE *Affectionibus locorum Telluris à motu stellarum apparente dependentibus.*

CAPUT XXII.

De præcognitis hujus doctrinæ.

HActenus in absoluta Telluris contemplatione occupati fuimus, jam accedimus ad secundam hujus doctrinæ partem, in qua proprietates seu affectiones illas considerabimus, quæ Telluri à motu Solis atque stellarum apparente accidunt, neque essent, nisi motus ille appareret, quarum explicatio majori jure ad Geographiam pertinebit, si ipsi Telluri motus ille tribuendus sit, de quo cap. VI. diximus. Ad illas recte intelligendas requiritur cognitio sequentium Definitionum & hypothesium.

Definitiones.

1. *Globus terrestris* artificialis dicitur globus factitius, ex cujus superficie partes Telluris, earumque situs ita repræsentantur, sicut in ipsa Tellure existunt, juxta proportionem hujus superficiei ad superficiem Telluris.

Mappa sive *Tabula Geographica* dicitur figura plana, in qua partium superficiei terrestris situs repræ-

repræsentatur. Estque universalis vel particularis. Illa quæ totam superficiem Telluris exhibet, hæc quæ unam vel alteram regionem.

Præterea quædam mappæ sunt rectilineæ, aliæ curvilineæ. illæ, in quibus circulorum terrestrium peripheriæ repræsentantur lineis rectis. Hæ, in quibus per curvas lineas eædem peripheriæ exhibentur. Cæterum de compositione tam globi terrestris quam mapparum Geographicarum docebimus in fine libri, quia ea intelligi nequit, antequam doctrina, quam trademus, intellecta sit.

2. *Poli Telluris* dicuntur duo puncta in superficie ejus per diametrum opposita, quæ in diurna circumrotatione immobilia manent, vel quæ polis apparentis syderum quotidiani motus subjacent. Axis autem Telluris dicitur diameter polos connectens. Vel ita: *Axis Telluris* dicitur ea Telluris diameter, circa quam diurnus motus stellarum vel ipsius Telluris perficitur. Poli autem Telluris dicuntur puncta extrema axis in superficie globi terrestris.

Et ille polus, qui sideri ursæ subjacet, dicitur Arcticus & Septentrionalis: alter dicitur Antarcticus & Australis. Hæc multo facilius per globum artificialem terrestrem, quam per verba, explicantur. Si ille circumrotetur, conspicientur duo illa puncta immota, quæ poli sunt, & diameter, per imaginationem ab uno polo ad alterum per centrum Telluris ducta, erit axis.

3. *Æquator* dicitur peripheria circuli maximi in globo terrestri ab utroque polo æqualiter distans, sive medio loco inter polos sita, sive cujus poli sunt iidem, qui poli Telluris: Dicitur etiam Linea æquinoctialis. Nautæ vocant, lineam, *de linee*, per excellentiam; unde phrasis, *de linie passeren*, quando æquatorem transeunt. Omnes stellæ motu diurno describunt peripherias æqui-

distantes seu parallelas Æquatori; ideo Æquator est regula motus diurni.

4. *Paralleli Æquatoris* dicuntur peripheriæ minores, quæ Æquatori parallelæ sunt. In globo artificiali Æquator magnitudine præ reliquis conspicuus est, & ipsum nomen ascriptum, divisusque est in 360 gradus. Paralleli quoque conspicui sunt, qui etiam dicuntur circuli latitudinis locorum, ut sequenti capite docebimus.

In Mappis quoque Geographicis Universalibus hæc ostendi possunt. In rectilineis quidem, poli non repræsentantur, sed cujusvis meridiani extremitates poli sunt: in curvilineis autem Mappis poli sunt illa puncta, in quibus concurrunt curvæ lineæ. Æquator in utrisque Mappis transversus per medias transit & latitudinem majorem præ reliquis habet, estque linea recta (ersi in particularibus Asiæ atque Europæ curva fiat). Paralleli Æquatoris in rectilineis Mappis sunt lineæ rectæ, in curvilineis curvæ.

5. *Ecliptica* dicitur circulus cæli maximus, quem Sol annuo motu describit, sive in cælo designat. In Tellure quidem non existit, sed propter insignem usum in globo artificiali, ut etiam Mappis Geographicis, denotatur.

6. *Tropici* dicuntur duo Æquatoris paralleli, qui tanto intervallo ab Æquatore distant, quantus est maximus Solis recessus ab Æquatore versus polos, sive quanta est maxima Solis declinatio vel Eclipticæ obliquitas.

Tropicus Cancri is, qui inter Æquatorem & Polum Arcticum jacet; Tropicus Capricorni, qui inter Æquatorem & polum Australem.

In Globo & Mappis notari solent duplici peripheria, & ipsa appellatio ascripta est. Polares circuli dicuntur duo paralleli, quorum unus à polo Arctico, alter ab Antarctico distat tot gradibus,

dibus, quot Sol in maximo recessu ab Æquatore.

Et prior dicitur circulus Arcticus, alter Antarcticus.

Circuli hactenus explicati non dependent à certis locis, quales sunt sequentes, qui in diversis locis alii atque alii sunt.

7. *Meridianus loci* alicujus in superficie Telluris dicitur linea per locum illum transiens, in quam cum sol venit, meridies illo in loco est. Meridies autem dicitur momentum diei, quod à tempore ortus atque occasus solis æqualiter abest, sive diem bisecat in æquales partes.

Theorema. Meridianus cujusvis loci transit per utrunque polum Telluris.

In globo per denos quosque gradus Æquatoris ducti sunt Meridiani, qui sunt omnium illorum locorum meridiani, per quæ transeunt. Sed pro omnium locorum meridianis inservit is, qui æneus est, in quo globus pendet, nimirum si locus quicunque in globi superficie adducatur ad æneum meridianum, erit hic illius loci meridianus.

In mappis rectilineis, meridiani sunt rectæ lineæ à summo ad imum ductæ. In curvilineis sunt illæ lineæ curvæ, quæ in polis coeunt.

8. *Horizon loci* alicujus in superficie Telluris dicitur, circulus maximus in cælo conceptus qui partem cæli visibilem in illo loco terminat. Dicitur etiam rationalis Horizon, ut à visibili Horizonte distinguatur, qui improprie ita appellatur. In globo artificiali non habet locum, sed ligneus circulus, in quo globus cum æneo meridiano sustinetur, inservit pro cujusvis loci Horizonte, ut sequ. capite docebitur, ideoque dicitur ligneus Horizon, & simpliciter Horizon.

Hæ sunt Definitiones, quarum cognitio necessaria est ad sequentem doctrinam: præter illas

quoque *ex Astronomia scire oportet modum motus solaris & stellarum.*

1. *Motus primus & communis* dicitur is, quo Sol, Luna atque omnes stellæ spatio vigintiquatuor horarum circumvolvi circa Tellurem, nobisque oriri, meridiem agere atque occidere videntur. Singulæ stellæ atque Sol singulis diebus hoc suo communi motu videntur describere circulos parallelos Æquatori: quia motus hic fit super axem Telluris & polos ejusdem, & ideo Æquator est circulus maximus hujus motus, & regula atque norma, per quam reliquorum parallelorum motus metimur. Singulis horis quindecim gradus tam Æquatoris quam cujusvis paralleli transeunt per meridianum, quia 360 gradus divisi inter horas 24 dant singulis horis quindecim. Itaque hora una & quindecim gradus Æquatoris faciunt paria. Horas indicat cyclus horarius, qui in globo artificiali affixus cernitur æneo Meridiano, ubi index extremitati axis Telluris adhæret & in cyclo horario circumducitur ad indicandas horas.

2. *Motus Solis proprius & secundus, item annuus*, dicitur is: quo Sol movetur (sive id Tellus faciat) ab Occidente in Orientem, sive contra primum motum. Tempus sive numerus dierum, quibus Sol redit ad punctum unde digressus fuit, sive quibus integram periodum seu circuitum perficit, dicitur annus. Sunt autem dies 365 & una quarta diei circiter. Via hujus secundi solaris motus dicitur Ecliptica, ut antea diximus, quæ dividitur in duodecim partes, quæ signa dicuntur. Etenim Astronomi observarunt illa sydera seu constellationes cæli, per quas via ista solaris transiret, & ab istis constellationibus denominarunt duodecim Eclipticæ partes, & quia constellationes hæ sunt omnes animalium, ideo ipsam illam viam seu Eclipticam vocarunt veteres Zodiacum. Sed qui distinctius

ſtinctius loquuntur, Zodiacum vocant faſciam ſeu Zonam in cælo, cujus medium quidem ſit ipſa Ecliptica ſeu orbita ſolis, at extremitates ab utraque Eclipticæ parte octo gradibus ab ea diſtent, propterea quod reliqui etiam planetæ motum quendam proprium ab Occidente in Orientem habeant, quo quidem motu non ipſam Eclipticam deſcribunt, ſed orbitas aliquantum ab Ecliptica declinantes, quæ declinatio quia non ſuperat octo gradus, ideo Zodiaco attribuunt ſedecim gradus latitudinis, nimirum octo ab utraque Eclipticæ parte, ut ita Zodiacus ſit illud cæli ſpatium, in quo omnes planetæ ſemper verſantur, neque unquam extra illud: Ecliptica vero linea media Zodiaci, quam Sol annuo motu deſcribit, & in qua ſemper hæret. Porro ſigna illa cæli ſeu conſtellationes, per quas Ecliptica & Zodiacus tranſit, ſunt hæ, quas duo verſiculi comprehendunt: Sunt

♈ 21 Mart. ♉ ♊ ♋ 21 Jun. ♌ ♍

Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,

♎ 21 Sept. ♏ ♐ ♑ 21 Decem.

Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Am-

♒ ♓

phora, Piſces.

Arcitenens dicitur alias Sagittarius: Caper, Capricornus: Amphora, Aquarius. Porro Ecliptica oblique ſecat Æquatorem, ita ut maxima ejus diſtantia ſive puncti remotiſſimi diſtantia ſit 23 gr. & 30 min. circiter. Ubi itaque Ecliptica ſecat Æquatorem, quod fit in duobus punctis, in illorum uno ſtatuitur Eclipticæ initium & numerationis principium ſignorum. In illis punctis Sol exiſtens facit diem nocti æqualem in omnibus locis, atque veris & autumni initium. Fit autem numerationis initium ab eo puncto, in quo Sol

nobis (hoc est ab Æquatore versus polum Arctictum sitis) veris facit principum, & primum signum sive prima pars duodecima Ecliptiæ dicitur Aries; secunda, Taurus; tertia Gemini, &c. juxta ordinem, quo in versiculo sequuntur, quoniam olim, ante viginti secula circiter, signa illa cæli erant in hisce Ecliptiæ partibus, à quibus jam excesserunt: appellatio tamen manet, nullâ habitâ stellarum illarum ratione.

Singula ex duodecim hisce partibus seu signis dividuntur in triginta gradus. Etenim tota Ecliptica habet 360 gradus, qui si dividantur inter 12, accipient singuli triginta.

Præterea cum Sol totam Eclipticam (hoc est 360 gradus) percurrat diebus 365 $\frac{1}{4}$, inde colligitur, quod singulis diebus progrediatur 59 min. 8 sec. hoc est paulo minori via, quam uniusgradus, pro quibus tamen assumimus integrum gradum, ubi numerus dierum non est magnus, neque accuratâ inquisitione opus est, ut plerunque facimus, quando animi tantum causa ista tractamus.

Quemadmodum autem Sol toto anno, hoc est duodecim mensibus, percurrit totam Eclipticam, hoc est omnes duodecim partes seu signa Zodiaci, ita singulis mensibus unam absolvit circiter partem seu unum signum, sed ingressus ejus in signa non incidit in mensium initium, sed in vicesimum primum circiter diem mensis cujusvis juxta Calendarium Gregorianum, vel undecimum diem juxta Calendarium vetus Julianum, nempe die XXI Martii, Arietis signum vel ipsam sectionem Ecliptiæ cum Æquatore ingreditur, dein XXI Aprilis Taurum, & sic porro. Non quidem in singulis mensibus incidit ingressus iste in vicesimum primum diem, sed in quibusdam ante hunc, in quibusdam post. Ideo ubi accuratum locum solis scire desideramus, petendus is erit vel ex ephemeridi-

ridibus, vel calculo, vel Tabulis vulgaribus. In Horizonte quoque ligneo globi artificialis reperitur locus Solis ad singulos anni dies, ubi inquiri potest, quando globus in promptu habetur. Qui vero contenti sunt cognitione, quæ facilis sit memoriæ, absque libris, etsi aliquantum à vero abludat, illi ex vigesimo primo diei cujusvis mensis poterunt ex tempore deducere locum Solis pro quovis alio die. Nimirum firmiter memoriæ infigere debent signorum ordinem, ut antea posuimus, sunt Aries &c. Deinde mensium ordinem, Martius, Aprilis, Maius, Junius, Julius, Augustus, September, October, November, December, Januarius, Februarius.

Hisce memoriæ infixis & præterea illo signo, quod Sol ingreditur vigesimo primo die unius mensis, cognoscere poterunt locum Solis ad quemcunque anni diem. Etenim si sciant, quod die XXI Martii Sol ingrediatur arietem, inde juxta ordinem signorum & mensium concludent, quod XXI Aprilis ingrediatur Taurum, XXI Maii Geminos, XXI Junii cancrum, &c. Pro diebus itaque intermediis inter vigesimum primum unius mensis & vicini numerandi erunt tot gradus in signo illo, quot in vigesimo primo diem propositum proxime antecedente Sol ingressus est, quotus dies est propositus ab illo vigesimo primo. Ita invenietur locus, qui à vero non multum aberit. Exercitium facillimam ostendet hanc esse methodum; ideoque adolescentes oportet crebro usu hæc memoriæ infigere. Turpe enim est, literatum & doctum hominem ignorare Solis motum, cum ab eo omnes anni tempestates, dies noctesque atque alia multa dependeant, quorum in vita humana maximus est usus.

CAPUT XXIII.

De locorum latitudine & elevatione poli.

PROPOSITIO I.

LAtitudo loci in superficie Telluris dicitur distantia ejus ab Æquatore.

Hanc autem distantiam metitur perpendicularis linea vel arcus à dato loco ductus ad Æquatorem. Et quoniam meridianus cujusvis loci est perpendicularis ad Æquatorem, ideo latitudo loci est arcus meridiani ejus loci interceptus inter eum locum & Æquatorem.

Latitudo autem *Telluris* dicitur extensio ejus in superficie ab uno polo ad alterum: sicut *Longitudo Telluris* dicitur extensio ab Occidente per Orientem ad Occidentem rediens, quæ est ipsa æquinoctialis linea. Sed nullus harum definitionum usus est, & præstaret illam homonymiam tollere è Geographia. Alia est significatio horum vocabulorum, cum alicui regioni attribuuntur. Circulus latitudinis loci alicujus dicitur parallelus per locum illum transiens.

PROPOSITIO II.

Elevatio poli loci alicujus, sive supra Horizontem loci alicujus, dicitur arcus meridiani cælestis illius loci, interceptus inter polum cælestem alterutrum & inter Horizontem illius loci.

Potest etiam dici, quod sit arcus meridiani terrestris interceptus inter polum alterutrum Telluris & Horizontem. Etenim hoc modo majori jure definietur, si Terra primum motum efficiat: sed Astronomi ad cælestem polum imaginarium definitionem plerunque accommodant.

PRO-

PROPOSITIO III.

Latitudinem loci in superficie globi dati invenire in gradibus & minutis (si magnus sit globus) *eandem latitudinem in Mappis Geographicis.*

In Globo. Adducatur datus locus ad Meridianum, & numerentur gradus ab Æquatore ad illum locum. Illi erunt quæsita loci istius latitudo.

In Mappis Geographicis. Si Mappa sit rectilinea, ducatur per datum locum linea recta æquatori parallela, nisi jam in Mappa sit ducta: vel applicetur tantum regula loco, ita ut æquatori parallela sit. Sic terminus hujus lineæ in lateralibus Mappæ lineis indicabunt loci latitudinem.

Si vero Mappa sit curvilinea, neque parallelus aliquis per datum locum transeat, erit unus pes circini constituendus in polo Mappæ, & alter pes in datum locum; atque hoc intervallo parallelus loci describendus qui in laterali linea iterum indicabit latitudinem loci, si paralleli ex isto polo sint descripti.

Simul invenietur distantia loci à polo.

PROPOSITIO IV.

Dato loco in superficie globi, ita constituere globum, ut Horizon ligneus sit illius loci Horizon.

Datus locus ad meridianum adducatur, & ab eo numerentur nonaginta gradus versus polum vicinum in Meridiano. Terminus numerationis constituatur in crena Horizontis. Sic erit Horizon ligneus loci propositi Horizon. Id tamen in Corollario sequentis Propositionis facilius expedire docebimus.

PROPOSITIO V.

Latitudo loci æqualis est altitudini sive elevationi poli supra Horizontem illius loci.

Osten-

Oſtenditur per globum ita: Aſſumatur locus pro libitu in ſuperficie globi: dein conſtituatur globus ita ut Horizon ligneus fiat Horizon iſtius loci. Numerentur jam gradus latitudinis iſtius loci & elevationis poli. Æquales deprehendentur.

Per Mathematicam vero Demonſtrationem ita oſtenditur theorema: Sit C centrum telluris, L locus in ſuperficie quicunque. P polus, erit H P L Z Meridianus, & H Z Horizontis diameter: P H elevatio poli. Q T ſit diameter Æquatoris, ſive ſectio Meridiani & Æquatoris. Erit itaque P Q quadrans Meridiani, ſive 90 graduum, quia P eſt polus Æquatoris. Eandem ob cauſam L H arcus erit 90 graduum, quia L eſt polus Horizontis. Igitur L H arcus eſt æqualis arcui P Q, & ablata parte communi L P, erunt reſidui arcus P H, L Q æquales.

Corollarium. Cognita itaque latitudine loci alicujus, habetur quoque elevatio poli pro eodem. Diſtantia autem loci à polo & diſtantia ab Æquatore ſimul junctæ faciunt 90 gradus. Itaque unâ cognita innoteſcit quoque reliqua.

Corollarium II. Dato loco in ſuperficie globi, elevare polum ita ut hujus loci elevatio poli poſtulat. Hoc idem eſt cum eo, quod in Propoſit. præced. proponebatur, facere ut Horizon ligneus fiat dati loci Horizon. Inveniatur primo latitudo loci, & hæc à polo numeretur in Meridiano deorſum verſus Horizontem. Terminus numerationis conſtituatur in crena Horizontis. Ita polus elevatus erit, prout dati loci ſitus poſtulat.

PROPOSITIO VI.

Dato loco in ſuperficie globi, vel data loci alicujus latitudine, exhibere omnia Telluris loca, quæ eandem latitudinem vel diſtantiam ab Æquatore, ſive elevationem poli habeant. Vel: Invenire omnia

Tellu-

Telluris loca, quæ datam distantiam ab Æquatore habeant.

In Globo. Locus datus adducatur ad Meridianum æneum, vel numeretur ab Æquatore in Meridiano versus polum data latitudo. Deinde creta acuminata applicetur termino numerationis, & globus circumvolvatur. Ita creta describet peripheriam, quæ omnia illa loca continebit, quorum eadem est cum dato loco latitudo.

In Mappis rectilineis ducatur per datum locum linea recta Æquatori parallela. Omnia loca, per quæ illa linea transit, habebunt eandem cum dato loco latitudinem. In curvilineis Mappis describatur ex polo Mappæ tanquam centro peripheria transiens per datum locum. Sic eodem modo, quo antea, quæsita loca invenientur. Si vero non certus locus, sed latitudo detur, unus per circini in polo Mappæ collocandus, alter in lateralem lineam ad datam latitudinis gradum, & tunc parallelus describendus.

Propositio VII.

Invenire lineam meridianam, sive plagam Septentrionis & Austri, in dato loco Telluris, sive in dato plano.

Varii sunt modi, quibus quæsita linea inveniri potest.

1. Facillimus est modus, qui acu magnetica utitur. Etenim cum acus magnetica unâ extremitate Septentrionem, alterâ Austrum respiciat, indicabit illius extensio lineam meridianam. Quoniam autem in paucis locis ipsam Septentrionalem & Australem plagam respicit, in plurimis vero locis declinat ab eis, ut cap. xxxviii docebimus, ideo non accurate invenitur per illam linea meridiana, sed tantum vicina, quæ etsi sufficiat, ubi non magni momenti est negotium, ad

quod

quod illam habere cupimus, tamen in majoris momenti operibus magno errori causam præbere potest. Si tamen declinatio acus magneticæ à vero meridiano, nota sit per aliorum observationes (est autem in plurimis locis nota, præsertim illustrioribus), designabitur in dato plano linea meridiana satis accurate. Ducatur enim primo linea, quam acus magnetica monstrat: dein assumto quovis puncto in hac linea, describatur ex eo tanquam centro peripheria circuli, in qua numerentur gradus declinationis acus incipiendo à ducta falsa linea meridiana, idque versus Orientem si data declinatio sit versus Occidentem; & contra, versus Occidentem, si data declinatio sit versus Orientem. Denique per terminum numerationis vel resectionis & centrum peripheriæ ducatur linea recta. Hæc erit vera linea meridiana.

Non opus erit hac opera, si pyxis nautica in promtu sit, in qua jam correcta sit declinatio acus magneticæ ad locum propositum: Solent enim qui instrumenta hæcce parant, signum Septentrionis, quod est lilium, non pingere supra locum ipsius acus magneticæ (quæ infra papyrum latet) sed tot gradibus ab ea removere, quantam cognoverunt esse declinationem acus in loco illo.

II. Beneficio stellarum accuratius invenitur linea meridiana. Primo, lucente Sole observetur hora duodecima, erectoque stylo umbra denotabit lineam meridianam. Sed quia horologiis non satis tutum est credere, ideo neque hic modus omnino accuratus est, veramque lineam monstrat, parum tamen à vera distantem.

III. Ducta peripheria in dato plano, erigatur stylus è centro ejus, & notetur terminus umbræ ante meridiem: vel notata primum umbræ extremitate describatur ex loco styli peripheria per umbræ extremitatem. Deinde tamdiu exspectandum donec

donec post meridiem umbræ extremitas attingat eandem peripheriam. Arcus inter duo notata loca bifariam secandus est per lineam è centro ductam. Hæc erit ipsa linea Meridiana.

IV. Si nota sit elevatio poli sive latitudo in loco observationis, poterimus beneficio globi invenire lineam meridianam, hoc pacto. inveniatur primo per observationem altitudo Solis supra Horizontem: & ducatur in plano linea recta, in qua Sol tunc existere videtur, & sumto in ea quovis puncto tanquam centro describitur peripheria circuli: Deinde polus in globo elevetur pro data loci elevatione; locus Solis in Ecliptica pro dato die notetur; quadrans applicetur vertici, & in eo notetur observata altitudo Solis. Tunc globus atque quadrans simul moveantur donec punctum quadrantis, notatusque Solis locus conveniant. Globo ita manente, numerentur in Horizonte ligneo gradus intercepti inter Meridianum & quadrantem verticalis. Tot gradus abscindantur in peripheria antea descripta incipiendo à linea plagæ solis, versus ortum vel occasum, prout tempus observationis fuerit, & per terminum resectionis atque centrum circuli ducatur linea recta. Hæc erit vera linea meridiana.

Facilior multo erit inventio & sine usu quadrantis verticalis, si observetur plaga, vel linea in plano ducatur, in qua Sol Oriens vel Occidens conspicitur. Descripto enim iterum circulo adducatur locus Solis ad Horizontem, & numerentur gradus intercepti inter locum Solis & Septentrionem vel Austrum. Totidem gradus abscindantur in peripheria descripta à ducta linea. Et per terminum resectionis & centrum ducatur linea recta. Hæc erit vera linea Meridiana.

PRO-

Propositio VIII.

Globum constituere, ut cardines ejus respiciant cardines Telluris, hoc est, ut meridianus æneus in vero loci meridiano situs sit.

Inveniatur linea meridiana in plano illo, cui globus insistit, & globus ita constituatur, ut æneus meridianus lineæ meridianæ exacte superimmineat. Sic erit globus constitutus secundum plagas mundi. Vel, pyxis nautica imponatur pedimento globi, & globus cum pede tamdiu moveatur in plano, donec meridianus æneus & linea meridiana pyxidis in eodem plano existere deprehendantur. Sic iterum erit globus constitutus juxta plagas Telluris, hoc est ita ut Septentrio globi respiciat Septentrionem Telluris, Auster Austrum, Oriens Orientem, Occidens Occidentem.

Potest etiam de Mappis Geographicis problema proponi (& in arte Nautica usus ejus est), nimirum illas in plano ita ponere, ut loca Septentrionalia Septentrionem Telluris, Australia Austrum, &c. respiciant. Solutio facilis est, si inventa sit linea meridiana in plano illo, vel si pyxis nautica accurata habeatur. Etenim linea Mappæ lateralis ponenda erit supra lineam meridianam plani. Sic Mappa habebit postulatum situm.

Propositio IX.

Latitudinem loci de cælo observare, sive Elevationem poli supra Horizontem loci alicujus invenire, beneficio stellarum.

Etsi latitudo loci in superficie Telluris existat, nempe distantia ejus ab Æquatore, tamen inveniri nequit sine stellis. Modi varii sunt.

I. Observetur altitudo Solis supra Horizontem, quando is in meridianam lineam venit, ejus-

ejusque complementum sive distantia Solis à vertice sumatur. Ab hac auferatur Solis declinatio ad diem observationis, si quidem Sol in Australi Zodiaci parte hæreat, sed addatur, si in Septentrionali. Residuus vel aggregatus numerus erit latitudo loci vel elevatio poli. Declinatio autem Solis (distantia ab Æquatore) in die observationis invenitur ex loco Solis, idque vel ex Tabula Declinationis partium Eclipticæ, vel ex globo. Etenim in Globo locus Solis ad diem observationis notetur & ad meridianum adducatur. Gradus meridiani inter æquatorem & locum Solis intercepti exhibent Declinationem Solis ad datum diem.

II. Oriente vel occidente Sole; beneficio globi ita invenietur latitudo loci. Observetur plaga in qua Sol oritur vel occidit, quod nautæ per pyxidem suam vel compassum facere consueverunt. (requiritur autem ad id vera linea meridiana.) Eadem plaga vel gradus notetur in Horizonte ligneo globi. Locus etiam solis in Ecliptica pro die observationis notetur. Dein meridianus æneus in trena Horizontis eousque moveatur, polo magis minusve elevato, donec notatus locus Solis conveniat cum notato Horizontis puncto. Sic elevatio poli in globo erit ea, quam locus habet, ubi observatio instituta est. Calculo accuratior erit solutio. Sed quia Sphæricorum Triangulorum solutionem pauci Geographiæ studiosi callent, ideo eam omitto, quod in sequentibus quoque observabitur.

Nota. Tempore æquinoctiorum, ubi Sol in Arietis vel Libræ initio versatur, non habet locum hæc methodus, quia tunc omnibus locis Sol in una & eadem plaga oritur & occidit, nempe in plaga veri Orientis vel Occidentis, vel in plaga ortûs æquinoctialis & occasus.

III. Lu-

III. Lucente Sole in meridie, erigatur ſtylus A B perpendicularis ſuper planum Horizontale, & longitudo umbræ A C atque ipſius ſtyli A B in diviſa aliqua linea ſumatur. In Triangulo itaque rectangulo A B C erunt nota ambo crura A B, A C, unde invenietur diſtantia Solis à vertice angulus A B C nimirum ſi fiat, ut A B ad A C ita ſinus totus ad tangentem anguli A B C. Ex hac invenietur latitudo loci, ut in primo modo dictum eſt. Si vero obſervatio ſit inſtituta die æquinoctii, tunc ipſa inventa Solis à vertice diſtantia eſt latitudo loci.

Ita Plinius cap. 72. lib. 2. ſcribit, in urbe Roma nonam partem gnomonis deeſſe umbræ. unde elevatio poli colligitur 41 gr. 25 min. Carthagine gnomon ad umbram habet rationem, ſicut 11 ad 7. Unde elevatio poli colligitur 32 gr. 13 min.

IV. Nocturno tempore, ubi ſtellarum adſpectus conceditur, ſi inſtrumento capiamus altitudinem ſtellæ alicujus in meridiano exiſtentis, & ex Tabula Declinationem ſtellarum cognoverimus, inde haud difficili opera inveniemus latitudinem loci ſeu Elevationem poli.

Etenim ſi ſtella illa ſita ſit inter verticem noſtrum & æquatoris ſemicirculum nobis extantem vel elevatum, addemus.

Si declinatio ſtellæ fuerit Septentrionalis, & ſtella ſita ſit inter verticem noſtrum & ſtellam polarem, ſubtrahemus à declinatione illa diſtantiam ſtellæ à vertice noſtro: reſiduus numerus erit loci latitudo.

Si declinatio fuerit Septentrionalis & ſtella ſita ſit inter ſtellam polarem & proximam Horizontis partem, complementum declinationis addendum erit inventæ altitudini ſtellæ. Aggregatus numerus dabit latitudinem loci ſeu elevationem poli.

Si declinatio fuerit Septentrionalis, & ſtella verſe-

versetur inter verticem nostrum & partem Horizontis à polari stella remotam, addenda erit declinatio illa ad distantiam stellæ à vertice, sive ad complementum altitudinis. Aggregatus numerus erit latitudo loci.

Denique si declinatio stellæ sit australis, auferenda erit hæc à complemento altitudinis observatæ. Residuus enim numerus indicabit latitudinem loci. Neque in hoc casu varietas occurrit, sicut in stella Septentrionalis declinationis: quod quidem de locis inter Æquatorem & polum Septentrionalem sitis intelligendum est: nam de illis, quæ inter Æquatorem & polum Australem jacent, contrario modo se res habet.

V. Si observetur plaga, in qua stella aliqua oritur vel occidit, invenietur latitudo loci illius beneficio globi cælestis, non aliter ac modo tertio dictum est.

VI. Si tabula declinationis stellarum non sit in promptu, poterimus quæsitum obtinere, si stellam aliquam non occidentem observemus, nimirum quæ in tota circumrotatione supra Horizontem manet. Etenim illæ stellæ bis accedunt ad meridianum, & ideo altitudo meridiana earum duplex est, una major, altera minor. Utraque hæc observanda erit, & dimidia differentia addenda minori altitudini vel à majore auferenda. Sic nanciscemur quæsitam latitudinem loci vel elevationem poli.

VII. Si non accuratam quæramus latitudinem loci, sed contenti velimus esse tali, quæ non multum à vera recedat, sumemus stellæ polaris altitudinem, quando ea è meridiano longissime recessit. Ea enim fere æqualis est latitudini loci.

PROPOSITIO X.

Loca Telluris in æquatore sita nullam habent latitu-

titudinem vel elevationem poli, sed ambo poli in illorum Horizonte jacent. Locus sub polo habet latitudinem nonaginta graduum, nempe polum in vertice, Æquatorem in Horizonte. Loca inter polum & Æquatorem habent latitudinem minorem, quam nonaginta gradibus.

Manifesta est veritas hujus Propositionis: ideo probatione vel explicatione non eget.

Propositio XI.

Si in mari vel terra versemur, ignorantes locum in quo versamur, inventa autem sit latitudo loci: exhibere in globo illum parallelum, in cujus uno puncto constituti esse certi esse possimus.

Fit eodem modo, quo in Propositione VI usi sumus, nimirum parallelus describendus erit ad datam vel observatam latitudinem. Hic parallelus est is, qui quæritur. Idem in mappis facile est.

Caput XXIV.

De Divisione Telluris in Zonas, & apparentiis cælestibus in diversis Zonis.

Propositio I.

A motu Solis proprio sive annuo oritur divisio quædam superficiei Telluris in quinque partes, quas Zonas vocamus.

Etenim cum Sol non perpetuo permaneat in Æquatore, sed ab eo declinans describat motu suo Orbitam quæ Æquatorem secat, ita ut maxima declinatio sit 23 graduum cum dimidio tam versus Septentrionem ab Æquatore, quam versus Austrum, in qua declinatione describit Tropicum Cancri & Capricorni, inde fit ut non perpetuo verticalis sit locis in Æquatore jacentibus, neque ab aliis locis unam distantiam perpetuo servet, sed modo

modo vicinior modo remotior sit à certo loco, atque calorem, frigus, pluvias atque alias tempestatum conditiones varie mutet. Hæc quæ jam diximus, adolescentibus tam in globo, quam in Mappis monstrari possunt.

Zona itaque dicitur pars Telluris inclusa Tropicis atque circulis polaribus. Quoniam autem duo sunt Tropici, & duo polares, inde efficitur ut Zonæ quinque sint, quæ dicuntur Torridæ, Temperatæ duæ, Frigidæ duæ.

Zona Torrida dicitur pars Telluris quæ inter Tropicum Cancri & Tropicum Capricorni jacet. Temperatæ, quæ inter Tropicum unum & vicinum polarem jacent: & Temperata Septentrionalis, quæ inter Tropicum Cancri & circulum Arcticum: Temperata Australis, quæ inter Tropicum Capricorni & circulum Antarcticum.

Zonæ frigidæ dicuntur illæ Telluris partes, quæ circa polos jacent usque ad circulos polares, suntque Zona frigida Septentrionalis & Zona Frigida Australis.

PROPOSITIO II.

Loca Telluris, quorum latitudo vel elevatio poli minor est quam 23 gr. 30 min. illa jacent in Zona Torrida. Quorum latitudo est 23 gr. 30 min. illa jacent in Tropicis, nempe in Torrida Zonæ extremitate.

Quorum latitudo major est, quam 23 grad. 30 min. minor vero quam 66 gr. 30 min. illa jacent in Zona Temperata. Quorum latitudo est 66 gr. 30 min. illa jacent in circulis polaribus, nempe in Temperatarum termino. Quorum latitudo est major, quam 66 gr. 30 min. illa jacent in Zonis frigidis.

Hæc manifesta sunt ex Definitionibus circulorum Tropicorum & Polarium, quas capite XXIII tradidimus.

Propositio III.

Æquator *Telluris transit per loca hæc : Per insulam S. Thomæ in magno sinu Africæ*, qui Oceanus Æthiopicus appellatur: per Æthiopiam Africæ procurrentis partem: per Oceanum Indicum, per mediam Sumatram sive Taprobanen; per Chersonesum auream sive Malaccensem, aliasque insulas Oceani Indici, perque ipsas Moluccas: per Oceanum Pacificum: per Peruanæ provinciæ initium, per lacum Parimam, per Oceanum Atlanticum usque ad insulam S. Thomæ.

Æquator *dividit Zonam Torridam in duas æquales partes*, ut non immerito duæ Zonæ Torridæ dici possent, una Septentrionalis, altera Australis. Res clara est ex Definitione Zonæ Torridæ, Æquatoris, & Tropicorum.

In Zona Torrida *jacent hæc loca:* Maxima Africæ pars, Abassia, Oceanus Indicus, Arabiæ portio, Cambaia, India, insulæ Oceani Indici, Java, Ceilanum, &c. Peruvia, Mexicana Hispania, Oceani Atlantici magna pars, insula S. Helenæ, Brasilia, Nova Guinea.

Tropicus Cancri *transit per loca hæc:* Paulo ultra Atlantem montem in Occidentali Africæ littore, per confinia Libyæ aliaque Africæ interioris loca, per Syenen Æthiopiæ. Inde trajecto mari Rubro ultra montem Sinaï & Meccam Mahometis patriam, Arabiam felicem transit: hinc ingreditur Oceanum Indicum, Persiæ extrema tangit, & pervadit Cambaiam, Indiam, Camboiam vel Sinensis regni terminos, donec perveniat in mare Pacificum, quo superato infra Americæ Chersonesum Caleforniam in Mexicanum regnum incidit, iterumque in Oceanum Atlanticum ingressus per sinum Mexicanum radit littora Cubæ insulæ, atque inde ad Occidentale Africæ littus redit.

Tro-

TROPICUS CAPRICORNI *transit per loca admodum pauca in Terra*, sed maxima ejus pars in mari jacet: nempe transit per Asicam procurrentem sive Asiicæ linguam, Monomotapam, per Madagascar, per Oceanum Indicum, Novam Guineam, Oceanum Pacificum, Americam Peruvianam & Brasiliam, Oceanum Atlanticum.

IN TEMPERATA ZONA SEPTENTRIONALI *jacent plurima Terræ loca*, eaque omnia fere nota & habitata, nempe tota Europa, Asia (exceptâ Indiâ, Chersoneso aureâ atque insulis Oceani Indici), Americæ Septentrionalis magna pars, Oceani Atlantici atque Pacifici pars.

IN TEMPERATA ZONA AUSTRALI *jacent pauca Terræ loca, eaque non omnia cognita, plurima vero maris pars*: nempe pars procurrentis Africæ, Monomotapæ, promontorium Bonæ Spei, Terræ Magellanicæ seu Australis magna portio, Brasiliæ portio, Chili, Magellanicum fretum, portio magna Oceani Atlantici, Indici, Pacifici.

POLARIS CIRCULUS ARCTICUS transit per mediam fere Islandiam, per supremam Norwegiam, per Oceanum Septentrionalem, per Lappiam, Sinum maris Russicum, Samoiedam, Tartariam, Americam Septentrionalem, Gronlandiam.

POLARIS CIRCULUS ANTARCTICUS transit per Magellanicam terram sive Australem, cujus hodie nihil cognitum habemus.

IN ZONA FRIGIDA SEPTENTRIONALI jacent, dimidia Islandia, pars Norwegiæ & Lappiæ ultima, Finmarchiæ, Samoiedæ, Nova Zembla, Gronlandia, Spitzberga, Americæ Septentrionalis incognita quædam.

IN ZONA FRIGIDA AUSTRALI

quid ſit, terrane an aqua, ignotum eſt. Hæc, quæ hactenus dicta ſunt, oſtenduntur per globum & Mappas, probantur autem ex tabulis latitudinis locorum, quæ ex obſervationibus factæ ſunt.

Propositio IV.

Locis Telluris, quæ in ipſis Tropicis jacent, Sol quovis anno ſemel tantum fit verticalis in meridie. Locis vero in Zona Torridâ jacentibus bis quovis anno fit verticalis, nempe duobus diebus, qui à longiſſimo die æqualiter diſtant. Locis vero extra Zonam Torridam atque extra Tropicos ſitis Sol nunquam ſive nullo anni die, fit verticalis.

Etenim cum Sol verſatur in primo gradu Cancri, quod fit die xxi Junii circiter, tunc deſcribit Tropicum Cancri in cælo; atque quanto ſpatio hic Tropicus ab Æquatore cæleſti diſtat, tanto ſpatio Tropicus Cancri terreſtris ab Æquatore terreſtri diſtat, atque ideo Tropicus terreſtris ſubjicitur cæleſti, & Sol ideo verticalis fiet locis in Tropico Cancri ſitis. Locis vero in Tropico Capricorni eodem modo idem fiet die xx Decembris circiter, Sole Capricornum ingreſſo. Hæc ex globi inſpectione manifeſta ſunt, ut etiam ex Mappis.

Sumamus jam locum in Zona Torrida jacentem; oſtendendum eſt, quod Sol ei bis verticalis fiat in anno. Adducatur locus ſumtus ad Meridianum, & applicatâ cretâ acuminatâ, circumvolvatur globus, ut parallelus loci illius deſcribatur. Is ſecabit Eclipticam in duobus punctis, quæ æqualiter à primo gradu Cancri vel Capricorni diſtabunt. Dico, quod Sol exiſtens in hiſce Eclipticæ punctis verticalis fiet ſumto loco. Etenim parallelus, quem Sol iis diebus deſcribet, directe imminebit parallelo loci deſcripto. Tranſibit itaque

que Sol per verticem loci illius, adeoque verticalis illi fiet in meridie duorum illorum dierum : aliis vero diebus nequaquam. Quod autem non nisi in meridie locis fiat verticalis, ex revolutione diurna notum est & perspicuum.

Quod vero locis extra Zonam Torridam & Tropicos sitis Sol nunquam fiat verticalis, id ex eo patet, quoniam nullus Solis parallelus imminet parallelo illorum locorum. Temperatis itaque Zonis & Frigidis Sol nunquam fit verticalis.

PROPOSITIO V.

Locis in Zona frigida alterutra sitis Sol quovis anno aliquot diebus non occidit, & totidem diebus non oritur, & quidem pluribus eo diebus, quo loca sunt polo magis vicina : ita ut in loco ipsius poli integro semestri non occidat, & altero non oriatur. Locis vero in ipso Arctico vel Antarctico circulo jacentibus uno tantum die Sol non occidit in anno, & uno die non oritur, reliquis diebus occidit & oritur.

Assumatur in globo quilibet locus Zonæ frigidæ pro libitu : & polus ita elevetur ut latitudo loci postulat, sive ut Horizon ligneus fiat Horizon illius loci, juxta Propos. cap. præced. Dein creta acuminata applicetur crenæ Horizontis, quæ polo elevato vicinior est, & circumrotetur globus, ut creta in eo designet aliquem Æquatoris parallelum. Hic parallelus secabit Eclipticam in duobus punctis, quæ à primo gradu Cancri æqualiter distabunt, & Sol in his punctis Eclipticæ & omnibus intermediis existens non occidet, quod ex eo manifestum est, quoniam paralleli ejus in hisce punctis existentis manent supra Horizontem in tota circumrotatione.

Contra, si cretam acuminatam applices alteri crenæ Horizontis, & parallelus describatur, re-

periemus ea Eclipticæ puncta, sive eum arcum circa initium Capricorni, in quo dum Sol versatur, non oritur loco illi Zonæ frigidæ, sed manet infra Horizontem. Contrarium obtinet, si locus sumtus sit in Zona frigida Antarctica.

Quod vero dictum est de locis in ipso Arctico vel Antarctico jacentibus, ostenditur eodem modo. Nimirum polus elevandus est ad 66 gr. 30 m. ita Horizon ligneus erit Horizon cujusvis loci ex illis, quæ in Arctico circulo jacent. Et manifestum erit, quod Tropicus Cancri non occidat, & Tropicus Capricorni non oriatur, sed quod tangant Horizontem: ideo Sol in primo gradu Cancri existens non occidet, & in primo gradu Capricorni non orietur, sed ambobus diebus radet Horizontem. In aliis vero gradibus Eclipticæ orietur & occidet, quod conspicietur ex punctis Eclipticæ Orientibus & Occidentibus.

Propositio VI.

Locis extra Zonas frigidas sitis, hoc est in Temperata vel Torrida Zona, Sol singulis diebus oritur & occidit.

Assumatur in globo aliquis locus pro libitu extra Zonas frigidas & polares circulos jacens, & polus elevetur juxta illius latitudinem, ita ut Horizon ligneus fiat illius loci Horizon. Si jam globus circumrotetur, conspicuum erit, quod omnia Eclipticæ puncta oriantur & occidant, hoc est, quod aliquo tempore infra Horizontem depressa maneant, aliquo supra Horizontem existant. Sol itaque in illis punctis existens idem faciet.

Propositio VII.

Dato loco in Zona Torrida sito, invenire dies illos anni dies, quibus Sol verticalis fit illi loco.

Datus locus adducatur ad Meridianum æneum, atque

atque in hoc fiat signum creta, sive gradus latitudinis notetur supra locum. Deinde moveatur globus, donec unum & alterum Eclipticæ punctum transeat per hocce notatum Meridiani punctum. Hæc duo puncta notentur: sunt enim illa, in quibus Sol existens fiet verticalis dato loco. Inveniantur itaque dies anni, quibus Sol illa puncta Eclipticæ occupat, quod vel in Horizonte ligneo vel ex Tabulis, vel ex methodo capitis XXII fieri potest. Illi erunt quæsiti dies, quorum unus erit ante solstitium, alter post illud, quibus Sol loco illi verticalis fiet, ubi ad Meridianum accesserit.

In Mappis quoque Universalibus problema hoc facile dissolvitur.

Etenim per datum locum si ducatur linea parallela Æquatori, recta vel circularis ex polo Mappæ in Curvilineis, hæc ducta secabit Eclipticam in duobus punctis: ex quibus dies anni innotescent.

Si vero sine Globo & Mappis placeat problema solvere, nota debet esse loci Latitudo. Cum hac ingredere Tabulam Declinationis capite XXII positam, & excerpe dies, quibus Sol talem declinationem habeat. Illi erunt quæsiti.

NOTA. Hisce diebus ipsum Solis centrum imminet loci vertici, aliquot tamen vicinis diebus ante & post illos Sol adhuc videtur imminere illi loco, quia limbus Solis à centro distat.

PROPOSITIO VIII.

Dato loco in Zona Frigida sito, indicare illos dies, quibus Sol illi loco non occidet, & quibus diebus non orietur: item: diem primum & ultimum ex illis, quibus non occidit illi loco, vel, quibus non oritur eidem.

IN GLOBO. Datus locus adducatur ad Meridianum & elevetur polus pro loci illius latitudine.

Dein circumrotato globo notentur juxta crenas Horizontis puncta Eclipticæ, quæ non occidunt, & in altera crena, quæ non oriuntur. Ille itaque gradus, qui inter 1 gr. Arietis & 1 gr. Cancri existit, indicabit primum diem, quo Sol illi loco non occidet: & alter gradus inter 1 gr. Cancri & 1 gr. Libræ diem ultimum. Et hisce diebus Sol radet Horizontem, manebit tamen supra eum, quod de centro Solis intelligendum est. Diebus autem intermediis perpetuo manebit supra Horizontem. Eodem modo illi dies invenientur, quibus in opposita anni parte Sol manebit infra Horizontem, diesque primus ac ultimus ex illis.

Faciliori quidem methodo per globum hoc fieri potest, sed minus manifestæ Demonstrationis, nempe quot gradibus datus locus à polo distat, totidem numerentur in meridiano ab Æquatore, atque terminus notetur ab utraque Æquatoris parte. Deinde observetur globo circumvoluto, quænam Eclipticæ puncta transeant per notata Meridiani puncta. Duo enim illa, quæ initio Cancri vicina sunt, atque arcus comprehensus, indicabunt dies perpetuæ moræ Solis supra Horizontem loci dati. Alter arcus inter puncta circa initium Capricorni indicabit dies perpetuæ absentiæ Solis seu delitescentiæ infra Horizontem loci dati.

In Mappis. Latitudinis loci complementum sive loci distantia à polo numeretur in laterali Mappæ linea ab Æquatore versus utrunque polum, & describatur per terminum numerationis linea parallela Æquatori, sive rectilinea sive curvilinea mappa fuerit, ut in præcedentibus Propositionibus docuimus. Hæ ita ductæ secabunt Eclipticam singulæ in duobus punctis. Hæc puncta indicabunt diem primum & ultimum perpetuæ moræ Solis supra Horizontem, atque arcus intercertus omnes dies perpetuæ moræ. Contra altera

linea

linea in oppositis Eclipticæ punctis monstrabit dies perpetuæ Solis infra Horizontem delitescentiæ.

PER TABULAM DECLINATIONIS sit ita, si nota sit loci latitudo. Ingredere cum complemento latitudinis, tabulam Declinationis, atque quære eam declinationem, qualis est latitudo loci, quam quidem quater invenies, & sume quatuor dies illos, quibus Sol eam declinationem habet. Duo ex illis, quorum unus inter XXI Martii & XXI Junii, alter inter XXI Junii & XXI Septembris est, sunt primus & ultimus perpetuæ Solis moræ supra Horizontem. Reliqui duo perpetuæ moræ infra Horizontem loci propositi. Intermedii autem dies erunt perpetuæ Solis moræ supra vel infra Horizontem.

Quæ dicta sunt hactenus, intelligenda sunt de Solis centro. Quod si de extremo Solis limbo proponatur problema, sumendus erit locus in Mappis, qui quindecim minutis sit Æquatori propior vel remotior, vel quærendi erunt dies pro punctis Eclipticæ, quæ limbus Solis occupet.

PROPOSITIO IX.

Dato die anni, invenire illa loca Telluris in globo vel mappa, quibus Sol eo die verticalis sit in meridie, nimirum uni loco post alterum.

Ex dato die inveniatur locus Solis in Ecliptica juxta methodum capitis XXII.

IN GLOBO. Adducatur locus Solis ad Meridiani punctum, quod ei imminet: Volvatur globus: sic omnia loca, quæ notatum punctum transeunt, sunt illa quæ quæruntur. Vel cretâ acuminatâ applicatâ describatur parallelus: hujus omnia loca sunt quæsita.

IN MAPPIS. Locus Solis in Ecliptica notetur, & per eum ducatur parallelus Æquatoris re-

ctus vel curvus, prout Tabula rectilinea vel curvilinea fuerit. Sic omnia hujus paralleli loca erunt illa, quæ quæruntur. Debet autem in utroque Mappæ hemisphærio id fieri.

PER TABULAM Declinationis traditam capite præced. invenietur latitudo locorum illorum, nempe declinatio respondens dato diei, est illi latitudini æqualis.

PROPOSITIO X.

Dato die anni, invenire illa Telluris loca, quibus Sol (centrum ejus) non occidit, ita ut dies hicce primus sit ex omnibus illis, quibus Sol non occidit in illis locis. Et illa loca invenire, quibus Sol non oritur: eadem cum conditione.

Debet autem datus dies esse unus ex illis, qui inter XXI Martii & XX: Junii vel inter XXI Septemb. & XXI Decemb. cadunt.

Inveniatur primo omnium, locus Solis in Ecliptica ad datum diem: deinde reliqua fient ita.

IN GLOBO. Locus Solis in Ecliptica notatus adducatur ad meridianum, & quot gradus inter illum Æquatorem in meridiano sunt intercepti, totidem numerentur à polo versus Æquatorem: vel quot gradus inter locum Solis & polum sunt, totidem numerentur ab Æquatore versus polum. Terminus numerationis notetur creta vel parallelus ad eum describatur.

Omnia loca, quæ in hoc parallelo sita sunt, satisfacient quæsito primo. Illa vero loca, quæ secundo loco quæruntur, erunt in parallelo ab altero polo æqualiter distante.

Ad demonstrandam veritatem solutionis, elevetur polus pro locorum inventorum latitudine.

Ita conspicuum est, quod Sol in notato Eclipticæ puncto existens non occidat infra Horizontem locorum illorum (qui jam est Horizon ligneus) in

in punctis vero ante notatum Eclipticæ punctum occidet infra Horizontem. Præterea omnia loca inter polum & parallelum hunc jacentia habebunt Solem perpetuo apparentem illo die, sed non erit illis locis hicce dies primus.

IN MAPPIS. Declinatio loci Solis notati numeretur à polo versus Æquatorem in laterali linea, & per terminum ducatur parallelus Æquatoris. Omnia loca in hoc parallelo jacentia utriusque planisphærii sunt quæsita. Secundi quæsiti loca in parallelo ab altero polo distanti eisdem gradibus reperientur.

EX TABULA DECLINATIONIS invenietur latitudo pro locis quæsitis.

Corollarium. Eodem modo solvetur hoc: Dato die anni, invenire loca Telluris, quibus ille dies ultimus est illorum dierum, quibus Sol non occidit illis locis. Debet autem datus dies esse situs inter XXI Junii & XXI Septembris, vel inter XXI Decembr. & XXI Martii. Posset hic etiam illud solvi: Dato numero dierum, invenire illa loca Telluris, quibus Sol tot diebus non occidit, & totidem non oritur. Sed reservabimus hoc ad Caput sequens, ubi commodior locus hujus problematis erit.

PROPOSITIO XI.

Latitudinem & Magnitudinem singularum Zonarum supputare in milliaribus vel alia famosa mensura.

Latitudo Zonæ Torridæ est 47 graduum, nempe $23\frac{1}{2}$ ab utraque Æquatoris parte: Utriusque Temperatæ latitudo est 43 graduum. Utriusque Frigidæ Zonæ latitudo est 47 gr. Hosce gradus si in milliare commutes, æstimato uno gradu quindecim milliaribus Germanicis, erit latitudo Zonæ Torridæ milliarium 705.

Unius ex temperatis 645,

Unius ex Frigidis 705.

Magnitudinem vero, vel superficiem singularum Zonarum inveniemus per hanc proportionem, quam ex Geometricis deduxi: ut sinus totus vel radius cujusvis circuli 100000 ad sinum 23 gr. 30 min, qui est ita superficies dimidia Telluris capite IV inventa, milliarium o ad superficiem dimidiæ Zonæ Torridæ milliarium quadratorum & proinde superficies totius Torridæ erit milliarium

Deinde, Ut sinus totus 100000 ad differentiam sinuum 23 gr. 30 min. & 66 gr. 30 min. ita dimidia superficies Telluris, milliarium ad superficiem unius Zonæ Temperatæ, milliarium quadratorum.

Si itaque dimidiæ Zonæ Torridæ atque integræ Temperatæ superficiem auferas à dimidia superficie Telluris, relinquetur superficies unius Frigidæ, milliarium statuunt quidem plurimi Astronomi, non esse constantem Eclipticæ & Tropicorum declinationem ab Æquatore, unde fiet ut Zonarum magnitudo non sit semper eadem, sed quia ea est exigua differentia, & præterea à Tychone in dubium revocata, ideo non est necesse eam hoc loco considerare.

Postularet quidem locus, ut jam de tempestatibus in diversis Zonis & locis ageremus, sed quia quædam sequentis Capitis sunt, quæ ad rectius formandum judicium faciunt, ideo illud interponere consultum duxi.

CAPUT

CAPUT XXV.

De longitudine dierum in diversis Telluris locis, & inde orta divisione Telluris in Climata.

PROPOSITIO I.

DUebus anni diebus fiunt æquinoctia sive nox æqualis diei in omnibus Telluris locis.

Dies illi sunt, quibus Sol Æquatorem ingreditur sive motu vel circumvolutione diurna describit, quod fit, quando primum gradum Arietis & primum Libræ ingreditur, nempe die XXI Martii & XXI Septembris juxta Calendarium Gregorianum. Hisce itaque diebus noctem diei æqualem fieri, nempe duodecim horarum, ostendendum est in omnibus Telluris locis. Dies autem hic denotat tempus moræ Solis supra Horizontem: nox moram infra Horizontem.

Assumatur in globo locus quilibet pro libitu, & polus elevetur pro illius loci latitudine, ita ut Horizon ligneus fiat illius loci Horizon. Deinde primus gradus Arietis vel Libræ collocetur in Horizonte Orientali, Index ad horam XII cycli horarii. Circumvolvatur globus, donec primus gradus Arietis perveniat ad Occidentalem Horizontem. Videbis in cyclo horario Indicem duodecim horas transiisse. Eodem modo de nocte manifestum fiet, quod duodecim horas habeat.

Vel sine cyclo horario, perspicuum est, quoniam Æquator est parallelus, quem Sol illis diebus peragrat, hunc in duas æquales partes secari ab Horizonte, ita ut pars extans supra Horizontem sit æqualis parti infra Horizontem. Sol itaque cum æquabili motu circumrotetur, æquales partes peragrabit æquali tempore.

Et

Et quoniam locus Telluris pro lubitu assumptus fuit, ideo quod de uno hoc ostendimus, de omnibus verum est.

Locis vero sitis in ipsis polis Telluris, quæ tantum duo sunt, Sol neque orietur neque occidet illis duobus anni diebus, sed centrum ejus in Horizonte (qui idem hic est cum Æquatore) circumrotabitur, ut ita simul diem noctemque habeant. Cum enim in aliis locis terminus seu intermedium diei ac noctis sit momentum, ibi contra, integra revolutio sive dies naturalis est terminus sive medium perpetuæ apparentiæ Solis & perpetuæ delitescentiæ. Atque istis duobus diebus æquinoctiorum (XXI Martii & Septembr.) dimidius Sol supra Horizontem illorum duorum locorum, dimidius infra eum hærebit, & die quidem XXI Martii polo Arctico faciet initium longi diei sex mensium: die vero XXI Septembris erit initium longæ noctis totidem mensium, ut in sequentibus docebimus. Non itaque absurdum est, dari loca, ubi viginti quatuor horis nec dies sit nec nox. Placet hic plura enumerare quæ poli habent peculiaria præ cæteris locis Telluris, nimirum,

2. Sol integro anno semel tantum oritur, semel occidit, nempe in uno æquinoctio oritur illi, in altero occidit.

3. Non habent meridiem vel mediam noctem definito tempore, sed omnibus horis sive perpetuam meridiem habent sex mensibus, contra sex reliquis mensibus perpetuam mediam noctem.

4. Nullæ stellæ fixæ oriuntur, nullæ occidunt, sed quædam perpetuo supra Horizontem manent, quædam semper infra eum. Hasce nunquam vident, si qui sunt ibi incolæ, quod verisimile non est: illas semisse anni integro, quo Sol infra Horizontem est, conspiciunt, nisi nubes vel alia meteora impediant.

5. Stel-

5. Stellæ eandem altitudinem supra Horizontem atque distantiam à vertice servant, sicut etiam Sol integra circumvolutione diurna.

6. Nullus ibi ventus dici potest Septentrionalis, Australes omnes, nempe in polo Arctico: contra, in polo Antarctico omnes venti Septentrionales, nulli Australes, nulli Orientales vel Occidentales.

7. Si non stellæ & Sol moventur, sed juxta Copernicanam hypothesin ipsa Tellus, siquidem oculus punctum esset, ut in ipso polo constitui posset, omnes stellæ & ipse Sol atque Luna immobiles atque in eadem plaga apparerent.

Hæc omnia per globum facili opera ostenduntur.

Propositio II.

Locis in Æquatore sitis perpetua est dierum ac noctium æqualitas. Locis ipsorum polorum unus est dies totius anni & una tantum nox. Dies autem est longior quam nox in polo Septentrionali: sed in polo Australi diei brevior est, quam nox.

Assumatur in Æquatore globi quilibet locus pro libitu. Ostendendum est, quod in singulis anni diebus nox æqualis sit diei, hoc est, quod Sol tanto tempore sive tot horis infra Horizontem maneat, quanto supra Horizontem. Sumatur dies anni pro libitu, & inquiratur ad eum locus Solis, qui in Ecliptica notetur. Deinde assumtus locus constituatur in vertice, ut poli incumbant ipsi Horizonti; sic enim Horizon ligneus erit Horizon locorum Æquatoris. Locus Solis adducatur ad meridianum & describatur parallelus, quem Sol illo die perficiet. Deinde notentur hujus paralleli puncta duo existentia in Horizonte. Et manifestum erit, quod arcus hujus paralleli existens supra Horizontem sit æqualis arcui infra Horizon-

tem

tem existenti. Et quia Solis motus diurnus sicut omnium stellarum est æquabilis, ideo æquali tempore perambulabit arcus æquales paralleli. Ita de quovis die ostenditur Propositionis prima pars. Ad alteram partem de locis polorum ostendendam, collocandus erit polus alterutter in vertice Horizontis lignei: ita enim hic erit Horizon poli.

Et circumvoluto globo conspiciemus, quod una integra Eclipticæ semissis maneat supra Horizontem, altera infra eum. Itaque Sol dum versatur in illa semisse, non occidet; dum in hac, non orietur. Pluribus autem diebus versatur in Septentrionali Eclipticæ semicirculo, quam in Australi propter eccentricitatem motus sui proprii, nempe in illo dies 187 moratur, in altero dies 178. Itaque perpetua mora supra Horizontem erit longior quam mora infra Horizontem poli Arctici, contra in polo Antarctico.

PROPOSITIO III.

In locis inter Æquatorem & polum jacentibus nulli dies æquales sunt noctibus suis præter duos æquinoctiorum dies, sed reliqui omnes majores vel minores noctibus.

Assumatur in globo aliquis pro libitu locus inter Æquatorem & polum, atque polus elevetur juxta illius loci latitudinem, & sumto quovis anni die, exceptis æquinoctiorum diebus (nempe XXI Martii & XXI Sept. circiter) inveniatur locus solis ad eum diem, atque is in Ecliptica globi notetur, & ad meridianum adducto, describatur parallelus ejus, quem Sol circumrotatione sua diurna efficiet. Notentur duo hujus paralleli puncta in Horizonte existentia, & manifestum erit, quod arcus paralleli supra Horizontem existens sit major vel minor quam arcus delitescens infra Horizontem,

zontem, atque ideo dies sive mora Solis supra Horizontem major vel minor erit quam mora infra Horizontem: major quidem, si locus Solis fuerit in semicirculo Eclipticæ magis vicino: minor vero, si in semicirculo magis remoto.

Vel, adducto loco Solis ad Horizontem Orientalem collocetur Index supra XII horam cycli horarii, & volvatur globus, donec locus Solis ad Horizontem Occidentalem perveniat. Index in cyclo monstrabit horarum diei numerum: dein indice ad XII reducto volvatur globus donec locus Solis infra Horizontem transiens redeat ad Orientem: Index iterum monstrabit horarum noctis numerum, & manifesta erit inæqualitas.

PROPOSITIO IV.

Dato loco in globo, vel latitudine ejus data, & date die anni, invenire quot horas Sol supra Horizontem illius loci illo die commorabitur, & quot infra eum; hoc est, invenire longitudinem diei ac noctis pro illo loco ad datum diem.

Ad datum diem inveniatur locus Solis in Ecliptica, atque is in globi Ecliptica notetur. Elevetur polus juxta dati loci latitudinem, locus Solis ad Orientalem Horizontem adducatur, & Index ad XII cycli. Volvatur globus, donec locus Solis ad Horizontem Occidentalem perveniat. Index monstrabit numerum horarum diei: reliquæ horæ ad 24 erunt horæ noctis.

PROPOSITIO V.

In omnibus locis inter Æquatorem & polum Arcticum sitis, dies longissimus, & nox brevissima fit Sole in primum gradum Cancri ingresso (XXI Junii): *brevissimus contra dies & longissima nox* (*Sole primum Capricorni gradum occupante* (XXI Decembr. circiter). *In locis vero inter Æquatorem*

&

& Antarcticum polum sitis contrarium verum est, nempe dies brevissimus est Sole primum Cancri gradum occupante; longissimus, primum Capricorni gradum.

Ad ostendendum hoc in globo, assumatur locus pro libitu, & elevetur polus juxta illius latitudinem. Inveniatur per præced. Prop. horarum numerus, Sole in 1 gr. Cancri existente. Deinde alio quovis puncto Eclipticæ assumto pro quovis alio anni die inveniatur iterum numerus horarum pro hoc die. Et manifestum erit, quod numerus horarum diei, Sole in 1 gr. Cancri existente sit major, quam numerus horarum alterius diei: & quoniam hic alter dies pro libitu est assumtus, & in singulis diebus eadem valet demonstratio, ideo dies Sole in 1 gr. Cancri est longissimus omium, & ideo nox brevissima omnium.

Eodem modo ostendemus, Sole in 1 gr. Capricorni existente diem brevissimum, noctem longissimam.

Eadem quoque demonstrationis methodus observabitur pro locis ab altera Æquatoris parte versus Antarcticum polum sitis.

Corollarium. Dato loco in globo vel latitudine loci invenire horas longissimi diei pro illo loco. Inveniatur per præcedentem Propos. numerus horarum pro illo loco Sole in 1 gr. Cancri existente (siquidem locus fuerit inter polum Arcticum & Æquatorem, sed si ab altera Æquatoris parte, sumatur 1 gr. Capricorni). Is enim est dies longissimus. Eodem modo quantitas diei brevissimi invenietur, quanquam ea ex inventa diei longissimi quantitate deducitur facillime. Est enim æqualis nocti diei longissimi.

Propositio VI.

In locis Telluris Septentrionalibus, dum Sol movetur à primo gradu Capricorni ad primum gradum Cancri (à xxi Decembris ad xxi Junii), *dies accrescunt continue: dum vero à primo Cancri gradu movetur ad primum Capricorni, continue decrescunt. In locis Australibus contrarium verum est, accrescunt enim à 1 gr. Cancri ad 1 gr. Capricorni, decrescunt à 1 gr. Capricorni ad 1 gr. Cancri.*

Assumatur in globo locus pro libitu Septentrionalis, hoc est, inter Æquatorem & polum Arcticum jacens, & elevetur polus pro illius loci latitudine. Assumtis deinde duobus & pluribus Eclipticæ punctis inter 1 gr. Capricorni & 1 gr. Cancri jacentibus inveniatur quantitas diei pro illis punctis, sive sole occupante ista puncta. Et manifestum fiet, quod dies à die 1 gr. Capricorni remotior sit major, quam is, qui eidem diei 1 gr. Capricorni propior fuerit. Eodem modo cum diebus inter 1 gr. Cancri & 1 gr. Capricorni sitis agemus. Et in locis australibus non dissimili methodo ostendemus propositum. magis perspicua erit Demonstratio, si per ipsos parallelorum arcus supra & infra Horizontem existentes fiat.

Propositio VII.

Si locus Telluris ab Æquatore est remotior, vel polo propior, quam alius locus, major est differentia inter dies & noctes, & dies longissimus major, dies brevissimus minor. Contra, si locus propior est Æquatori, minor est differentia inter quantitatem dierum ac noctium, & dies longissimus minor, dies brevissimus major, ita ut loca Æquatori vicina sive in Zona Torrida sita, habeant fere omnes dies æquales noctibus, sicut ipsius Æquatoris loca, & longissi-

longissimi diei excessus supra æquinoctialem sit unius circiter horæ.

Sumantur in globo duo loca, quorum unus ab Æquatore sit remotior, alter eidem propior. Et sumatur quicunque anni dies (exceptis æquinoctiorum, XXI Martii & Septemb.); Ostendendum est, quod in loco remotiori dies magis discrepet à noctis quantitate quam in loco viciniori Æquatoris.

Locus Solis in Ecliptica ad assumtum diem inveniatur, atque in Ecliptica globi notetur. Dein elevetur, polus pro unius loci assumti Telluris latitudine, & inveniatur longitudo diei & noctis (sive mora Solis supra & infra Horizontem) in illo loco ad assumtum diem, per Propos. VI hujus. Dein elevetur polus pro alterius loci latitudine, & inveniatur longitudo diei ac noctis sive mora Solis supra & infra Horizontem ad eundem assumtum diem. Conferatur hæc inventa longitudo cum priori, & manifesta erit Propositionis veritas.

Itaque locus remotior habet omnes dies unius semissis anni majores, quam locus vicinior: contra omnes dies alterius semissis habet minores.

Quod vero de locis Zonæ Torridæ dictum est, ostenditur ita. Inveniatur quantitas longissimi diei in locis Tropicorum, hoc est, quæ Torridam Zonam terminant, per Propos. VI hujus, & conspicua erit veritas Propositionis. Sed commodior & multo facilior erit Demonstratio, si ipsi arcus paralleli notentur, qui supra Horizontes extant, & deinde hi arcus conferantur.

Corollarium. Quod itaque de omnibus anni diebus (exceptis æquinoctiis) ostensum est, idem etiam in diei longissimi & brevissimi quantitate valet. Atque in hisce potissimum spectatur

& at-

& attenditur, quia hic maxima est inter noctis & diei longitudinem discrepantia, non tanta in aliis anni diebus. Duorum itaque locorum is qui ab Æquatore est remotior vel polo propior, habet longissimum diem majorem quam locus Æquatori vicinior: & diem brevissimum minorem.

Propositio VIII.

Omnia loca Telluris, quæ in uno eodemque parallelo sita sunt, habent omnes anni dies æquales, & ideo eandem longissimi diei quantitatem.

Facilis est demonstratio hujus Propositionis per globum. Assumatur quilibet parallelus in globo, & loca in eo quotvis. Elevetur polus pro latitudine istius paralleli, & assumatur quilibet Solis parallelus pro aliquo anni die, ex.gr. assumatur Tropicus Cancri pro die longissimo. Constituatur unus ex assumtis locis sub Meridiano ut ita verticem Horizontis occupet sive ut Horizon ligneus sit Horizon illius loci: Notetur tunc arcus Tropici existens supra Horizontem, sive duo puncta ejus existentia in Horizonte. His enim arcus denotat Solis moram supra Horizontem illius loci. Deinde adducatur secundus locus ad meridianum seu verticem, ut Horizon ligneus fiat illius Horizon, & notetur iterum arcus Tropici existens supra Horizontem, qui si cum priori conferatur, deprehendemus quod æquales sint. Potest etiam ostensio fieri per horas in cyclo horario.

Sol itaque æquali tempore supra Horizontes eorum locorum commoratur, & ideo dies erunt æquales, ut etiam noctes.

Dest-

Definitiones.

Ex hisce origo Divisionis Telluris in Climata facilis est intellectu.

CLIMA enim *dicitur una pars Telluris, ex illis partibus, in quas superficies inter Æquatorem & polum sita ita secatur ductus parallelis, ut longissimus dies in parallelo remotiori ab Æquatore excedat longissimum diem parallelo vicinioris Æquatori certa ac definita horæ parte vel horarum numero*, nimirum semisse horæ in locis usque ad Arcticum fere circulum sitis, deinde in reliquis integra hora vel aliquot horis & diebus.

Principium Climatis dicitur parallelus, cum quo Clima incipit, propiorque est Æquatori: Finis Climatis dicitur parallelus terminans Clima.

Medium Climatis dicitur parallelus per mediam circiter Climatis superficiem ductus, ita ut in illo longissimus dies excedat longissimum diem principii Climatis per quadrantem horæ vel per dimidiam differentiam, qua longissimus dies finis Climatis excedit longissimum diem principii Climatis.

Parallelum spatium dicitur, quod parallelus Climatis medius cum principio vel fine Climatis comprehendit. Sed inutilis hæc est vocabuli usurpatio & homonymiæ introductio.

PROPOSITIO IX.

Si sumantur in Tellure plurima loca ab Æquatore versus polum, quorum distantia ab Æquatore æqualiter accrescat, ex. gr. decem graduum, viginti, triginta, quadraginta, &c. longissimi dies in istis locis non erunt æqualiter majores, sive non æqualiter accrescunt, sed magis accrescunt in locis remotioribus & quo propior est locus polo.

Ad

Ad ostendendam hujus Propositionis veritatem per globum, sumantur loca ab Æquatore versus polum remota æquali incremento distantiæ, nempe propter commoditatem, paralleli 10 gr. 20 gr. 30 gr. 40 gr. 50 gr. 60 gr. &c. latitudinis. Hi enim paralleli in globis existunt. Elevetur polus ad latitud. 10 gr. & adducto primo gradu Cancri ad Horizontem Orientalem, & notato eo, notetur etiam Tropici punctum quod in Occidentali Horizonte tunc existit. Arcus enim Tropici supra Horizontem existens ostendit moram Solis supra Horizontem loci 10 gr. latitudinis. Horæ istius moræ possunt etiam per Indicem & cyclum horarium cognosci.

Deinde polus elevetur juxta secundi loci latitudinem 20 gr. & adducto iterum primo gradu Cancri & Orientalem Horizontem, notetur Tropici punctum in Occidentali. Arcus enim supra Horizontem existens denotabit iterum moram quæ etiam per Indicem & cyclum in horis cognosci potest.

Eodem modo agatur cum locis, quorum latitudo 30 gr. 40 gr. 50 gr. 60 gr. 70 gr. &c. Quibus factis conferantur arcus Tropici vel horæ diurnæ Solis moræ supra Horizontes, & manifestum erit, quod multo magis accrescat quantitas longissimi diei in locis remotioribus quam in propioribus Æquatori, adeoque incrementum longissimi diei magis accrescere quam incrementum distantiæ locorum ab Æquatore.

Nota. Quod de longissimo die dictum est & ostensum, id de omnibus unius semissis anni diebus verum est, & eodem modo demonstratur, si pro Tropico Cancri assumatur parallelus istius loci. Etsi itaque generalia generaliter tradenda sint, tamen quia doctrina de Climatibus requirit præcipue explicationem longissimi diei incre-

menti, ideo non solemus in hac doctrina stricte observare illam legem καθόλου τρόπον.

Propositio X.

Si inter Æquatorem Telluris & polum plurima loca vel plurimi paralleli sumpti sint ita, ut longissimus dies unius loci excedat longissimum diem vicini loci (qui Æquatori propior sit), æqualis ubique excessu, sive ut longissimi dies æqualiter accrescant, isti paralleli non æqualiter à se invicem, nempe bini quique vicini distabunt, sed qui ab Æquatore sunt remotiores, minorem distantiam habebunt, quam illi, qui Æquatori sunt viciniores.

Hujus Propositionis veritas ex præcedenti ostenditur. Etenim si paralleli hi æqualiter distarent à se invicem, bini nempe quique vicini, non accresceret quantitas longissimi in istis parallelis æquali incremento, ut in præcedenti ostensum est. Atqui ponitur jam æqualiter accrescere sive loca & paralleli ita sumti sunt, ut æqualiter in illis accrescat longissimus dies. Quare non æqualiter bini quique vicini distabunt à se invicem, sed sumtis multis parallelis ab Æquatore versus polum hac conditione ut æqualiter accrescat longissimus dies, isti paralleli non æqualiter distabunt à se invicem, verum minor erit distantia tertii à secundo quam secundi à primo, minor adhuc quarti à tertio, adhuc minor quinti à quarto, dein sexti à quinto, septimi à sexto, & sic porro.

Corollarium. *Quoniam itaque Climata pleraque ita sumuntur, ut longissimus dies in finali parallelo Climatis superet longissimum diem principii Climatis per horæ semissem, sequitur ex hac Propositione, quod Climata ab Æquatore remotiora sint minus lata vel magis angusta, quam viciniora Æquatori, atque adeo Climatum latitudinem & magnitudinem versus polum decrescere. Hinc fa-*

ctum

ctum est, cum Climata tandem admodum angusta fierent versus polum si idem excessus, semissis nempe horæ, servaretur, ut Geographi Climatum Septentrionalium terminos non semisse horæ, sed primo horis integris, deinde integris diebus definiant.

Propositio XI.

Data quantitate vel numero horarum diei longissimi in aliquo loco seu parallelo Telluris, invenire latitudinem loci seu Elevationem poli istius paralleli, & ipsum parallelum in globo exhibere, sive, exhibere illa loca, ubi tantus sit longissimus dies.

Adducatur locus Solis longissimi diei qui est 1 gr. Cancri in omnibus locis Septentrionalibus, ad meridianum, Index ad horam XII cycli horarii: Volvatur globus, donec Index monstret horam illam cycli, à qua numerus datus longissimi diei denominatur (nempe in cyclo ad horam XII mediæ noctis adjungendæ erunt reliquæ horæ continua numeratione), & tunc notetur punctum Tropici existens in Meridiano. Deinde adducatur 1 gr. Cancri ad Orientalem Horizontem, & meridianus in crena ita moveatur polo elevato vel depresso, donec alterum Tropici punctum notatum existat in Occidentali Horizonte, ita ut 1 gr. Cancri sit adhuc in Oriente. Quo facto, numeretur gradus elevationis poli. Ea enim est quæsita elevatio vel latitudo paralleli, quem in ipso globo invenies, si totidem gradus numeres in meridiano ab Æquatore versus polum, & cretâ applicatâ ad terminum numerationis globum circumrotes. Descriptus enim parallelus est is, qui quæritur. Probatio methodi facilis est.

Nota. Hæc etiam Propositio multo generalius potest proponi ita: Datâ longitudine cujusvis diei anni in aliquo loco, invenire loci seu paralleli

ralleli istius latitudinem, & ipsum parallelum seu loca in Tellure exhibere. Vel: Dato numero horarum, invenire loca Telluris, ubi ad datum aliquem anni diem tantus sit diurnarum horarum numerus.

Solutio fit eodem modo, quo in Propositionis solutione diximus, modo pro Tropico Cancri, qui est parallelus Solis in longissimo die assumatur parallelus alius, ille nempe qui dato diei anni convenit. Ex die enim invenitur locus Solis in Ecliptica, qui quando habetur, facile est parallelum diei describere, ut in præcedentibus aliquoties id jam docuimus.

COROLLARIUM. Facile itaque est, invenire latitudinem singulorum parallelorum in singulis Climatibus, quum datur longissimus dies Climatum, nempe in termino primo Climatis est $12\frac{1}{2}$ hor. in termino secundi 13 hor. in tertii termino, $13\frac{1}{2}$, & sic porro. In parallelis vero mediis Climatum dies longissimi sunt $12\frac{1}{4}$ hor. $12\frac{1}{4}$, $13\frac{1}{4}$, &c.

PROPOSITIO XII.

Dato numero dierum aliquot, invenire latitudinem locorum sive paralleli, atque ipsa Frigidæ Zonæ loca in Tellure exhibere, ubi Sol tot diebus non occidat, totidemque diebus non oriatur.

Numerus dierum bisecetur sive dimidietur. Et numerentur tot gradus in Ecliptica à primo Cancri, quantus est dimidius ille numerus, sive quot unitates hic habet (potest ab utraque parte istius initii numeratio fieri), terminus notetur cretâ. Si dies plures sint, quam triginta, debet numerus graduum unitate minor sumi. Deinde adducatur hoc notatum punctum ad meridianum & numerentur gradus inter illud & polum intercepti. Hi enim

enim sunt quæsita elevatio poli seu latitudo locorum, ubi tot diebus, quot dati sunt, Sol non occidet, & totidem diebus non orietur. Ipsa loca & parallelum in globo invenies, si numeres inventam latitudinem ab Æquatore versus polum in meridiano, atque ad terminum applicatâ cretâ designes parallelum. Hic enim est is qui quæritur, & continet omnia loca quæsita.

Ad Demonstrationem solutionis hujus elevetur polus pro inventorum locorum latitudine, & manifestum erit, quod gradus Eclipticæ notati circa 1 gr. Cancri non occidant infra Horizontem, sed supra eum maneant. Sol itaque ista puncta Eclipticæ perambulans non occidet: perambulat autem ista puncta tot diebus, quot dati sunt, ut ex constructione patet. Eodem modo ostendemus veritatem solutionis de diebus, quibus Sol non orietur omnino locis inventis, sive invento parallelo.

COROLLARIUM. Facile itaque est, illorum quoque Climatum Elevationem poli invenire, quæ in Zonis frigidis jacent, ubi dies longissimus accrescit non horis sed integrorum dierum numero.

PROPOSITIO XIII.

Tabulam Climatum construere.

Tabula Climatum vocatur, in qua ad singulorum Climatum initium, medium & finem reperitur annotata elevatio poli seu latitudo paralleli, & ipsa longissimi diei quantitas, ut etiam Climatum intervallum sive parallelorum distantia.

Constructio facilis est. Etenim ex ipsa Climatum consecutione & ordine quantitas longissimi diei pro initio, medio, fine cujusvis Climatis in-

venitur, addendo $\frac{1}{4}$ horæ ad horas duodecim continua successione.

Deinde ex quantitate longissimi diei singulorum parallelorum, invenitur singulorum elevatio poli seu latitudo, juxta Propos. XI. Denique intervallum climatum sive latitudo habetur, si latitudinem paralleli inchoantis auferas à latitudine paralleli finientis. Hisce omnibus in Tabula cancellatim divisâ annotatis habemus Tabulam Climatum, quam hic subjungo.

TA-

TABULA CLIMATUM ET PARALLELORUM.

CLIMATA.	PARALLELI.	Dies longissimus. hor.	min.	Elevatio poli. gr.	min.	Intervallum.	
Primum	*Principium*	12	0	0	0		
	Medium						
	Finis &	12	15	4	15	0	1
	Secundi						
	Principium	12	30	8	25	8	25
Secundum	*Medium*	12	45	12	30		
	Finis.	13	0	16	25	8	
Tertium	*Medium*	13	15	20	15		
	Finis.	13	30	23	50	7	25
Quartum	*Medium*	13.	45	27	40		
	Finis.	14	0	30	20	6	30
Quintum	*Medium*	14	15	33	40		
	Finis.	14	30	36	28	6	8
Sextum	*Medium*	14	45	39	2		
	Finis.	15	0	41	22	4	52
Septimum	*Medium*	15	15	43	32		
	Finis.	15	30	45	29	4	7
Octavum	*Medium*	15	45	47	20		
	Finis.	16	0	49	1	3	31
Nonum	*Medium*	16	15	50	33		
	Finis.	16	30	51	58	2	7
Decimum	*Medium*	16	45	53	17		
	Finis.	17	0	54	27	2	49
Undecimum	*Medium*	17	15	55	34		
	Finis..	17	30	56	37	2	10
Duodecimum	*Medium*	17	45	57	32		
	Finis.	18	0	58	29		
Decimum tertium	*Medium*	18	15	59	14		
	Finis.	18	30	59	58		

Climata.	Parralleli.	Dies longissimus.		Elevatio poli.		Intervallum.
		hor.	*min.*	*gr.*	*min.*	
Decimum quartum	*Medium*	18	45	60	40	
	Finis.	19	0	61	18	
Decimum quintum	*Medium*	19	15	61	55	
	Finis.	19	30	62	25	
Decimum sextum	*Medium*	19	45	62	54	
	Finis.	20	0	63	22	
Decimum septimum	*Medium*	20	15	63	40	
	Finis.	20	30	64	6	
Decimum octavum	*Medium*	20	45	64	30	
	Finis.	21	0	64	49	
Decimum nonum	*Medium*	21	15	65	6	
	Finis.	21	30	65	21	
Vicesimum	*Medium*	21	45	65	35	
	Finis.	22	0	65	47	
XXI.	*Medium*	22	15	65	57	
	Finis.	22	30	66	6	
XXII.	*Medium*	22	45	66	14	
	Finis.	23	0	66	20	
XXIII.	*Medium*	23	15	66	25	
	Finis.	23	30	66	28	
XXIV.	*Medium*	23	45	66	30	
	Finis.	24		66	31	

Ulte-

Ulterius non solent extendi climata, quia in sequentibus locis accrescit longissimus dies non horis sed integris diebus sive revolutionibus diurnis, & inutilis est opera in illorum supputatione: sequens tamen canonion ostendet elevationem poli sive latitudinem locorum, ubi integris mensibus accrescunt longissimi dies.

Menses.	1.	2.	3.	4.	5.	6.
Latitudo locorum.	67 gr. 30	69. 30	73. 20	78. 20	84. gr.	90 gr.

PROPOSITIO XIV.

Aliorum Geographorum methodum in enumerandis Climatibus & construenda Tabula Climatum explicare.

Veteres Geographi, imprimis Græci, cum parvam Telluris portionem habitari existimarent, propterea quod tam loca Septentrionalia quam Torridæ Zonæ habitari posse negarent, ideo eam tantum Telluris portionem, quam cognitam habebant, diviserunt in Climata, & tantum septem numerarunt Climata ab Æquatore versus Arcticum polum, eaque denominarunt à loco aliquo insigniori, per quem medius parallelus Climatum transiret, nimirum hæc:

PRIMUM Clima appellarunt CLIMA PER MEROEN (Est insula & urbs Africæ Nilo circumdata).

SECUNDUM PER SYENEN. Est urbs Ægypti.

TERTIUM PER ALEXANDRIAM ÆGYPTI. Maritima est urbs.

QUARTUM PER RHODUM. Insula in Mari Mediterraneo est.

QUINTUM PER HELLESPONTUM. Alii per Romam.

SEXTUM PER BORYSTHENEM. Fluvius insignis est Sarmatiæ Europæ.

Climata autem ab altera Æquatoris parte versus Austrum non numerabant antiqui, quia omnia hujus loca illis erant incognita, & multi putabant, Oceanum omnem hanc Telluris superficiem occupare. Quod cum quibusdam posterioribus minus verisimile videretur, numerarunt hi quoque Climata ab altera Æquatoris parte. denominarunt autem illa non ab insignibus locis (nulla enim cognita habebant,) sed eisdem appellationibus, quibus Septentrionalia Climata, præponentes tantum Præpositionem ἀντὶ, ut Clima ἀντὶ Μεροῆς, quasi dicas Clima oppositum Climati per Meroën, vel Syenen, &c.

Deinde cum progressu temporis plures partes Telluris versus Arcticum polum jacentes cognoscerentur habitari, plura Climata numerata & constituta sunt. Quidam octavum Clima denominarunt à palude Mæotide, Nonum à mari Balthico, Decimum, Undecimum & sequentia ab aliis locis. Quæ denominationes etsi non sint necessariæ ad Tabulæ Constructionem, possunt tamen etiam nostræ Tabulæ addi in illis areis, ubi numerum Climatum posuimus: sic enim & memoriæ firmius hærebunt Climata, & loca in quovis Climate sita, meliorque comparatio de frigoris atque caloris differentia institui poterit. Hoc autem lectorum & studiosorum industriæ maluimus relinquere, quam ipsimet adjicere, ut ita majorem aniam illis præberemus contemplandi terrestris globi: Et multo facilius hoc modo memoriæ mandabunt.

Sciendum quoque est, Veteres non incepisse Climatum numerationem ab ipso Æquatore, sicut nostra Tabula facit, sed à loco sive parallelo, ubi longissimus dies est 12½ horarum, ideoque illorum primum Clima est secundum in nostra Tabula,

bula, illorum secundum nobis tertium, &c. Existimarunt enim illa loca, quæ nos primo Climati asseribimus, nempe ad 9 gr. latitudinis, nullâ ratione habitari posse ab hominibus propter ingentem Solis æstum, & propterea censebant, illa loca non debere numerati. Sed cum experientia contrarium ostenderit, non potuimus illorum Climata denominandi & constituendi modum observare. Ptolomæus primum Clima incipit à parallelo, ubi longissimus dies est 12½ horarum, sive ubi latitudo seu distantia ab Æquatore est 4 gr. 15. min.

Res est non magni momenti: præstat tamen ab ipso incipere Æquatore, ut omnia loca in aliquo Climate jaceant.

Propositio XV.

Usum Tabulæ Climatum monstrare.

1. Data loci alicujus latitudine vel poli elevatione, cognoscere quantitatem diei longissimi in illo loco & Clima in quo jacet.

Quæritur elevatio poli data in Tabula, & è regione inveniemus & quantitatem diei longissimi & Clima atque parallelum. Si ipsa elevatio data non inveniatur in Tabula, sumenda est proxime minor & proxime major, quæ in Tabula reperitur.

2. Datâ longitudine diei longissimi alicujus loci, quam aliquis observarit vel narrando acceperit, cognoscere ex eo latitudinem illius loci & parallelum atque Clima in quo ille locus jacet.

Ingredere cum data longitudine Tabulam, & videbis è regione tam latitudinem loci quæsitam quam Clima & parallelum.

3. Dato Climate determinare longitudinem diei longissimi & elevationem poli. Facile hoc est ipso Tabulæ aspectu.

CAPUT XXVI.

De luce, calore, frigore, & pluviis in diversis Telluris partibus seu Zonis, atque aliis Zonarum proprietatibus.

PROPOSITIO I.

AD lucem, calorem, frigus, pluvias atque alia meteora generanda & procreanda in Telluris locis atque aëre vicino causæ hæ efficaces sunt.

1. *Radiorum Solis ad locum quemque venientium & emissorum obliquitas major vel minor vel nulla.* Radii enim perpendiculariter in locum incidentes maximum efficiunt calorem, & reliqui radii oblique allabentes eo minorem calefaciendi potentiam habent, quo obliquitas eorum major, hoc est quo à perpendiculari radio magis declinant.

2. *Mora Solis supra Horizontem loci diuturna.* Etenim idem calidium magis calefacit & mutat aërem longiori tempore, quam breviore.

3. *Depressio Solis infra Horizontem major vel minor tempore noctis.* Etenim hæc differentia depressionis facit, ut major vel minor lux in aëre sentiatur, major quoque vel minor tepor, pluviæ, densæ nebulæ, &c. Huc pertinet lux Crepusculi.

4. *Luna major vel minor elevatio supra Horizontem, ejusdem major vel minor depressio infra Horizontem, ejusdem diuturna mora vel minus diuturna supra Horizontem.* Causæ eædem sunt, quas in tribus præcedentibus paragraphis adduximus.

5. *Eadem de stellis fixis præsertim insignioribus & quinque reliquis planetis, Saturno, Jove, Marte, Venere & Mercurio dici possunt.* Namque & lu-

lucem aliquam in aëre generant & calorem, exiguum licet, & aërem variis modis mutant, vapores excitant, si Astrologis credimus.

6. *Terræ cujusvis loci proprietas sive species.* Etenim ubi saxea & petrosa est terra, ibi plerunque frigidior est aër, quam ubi sulphurea, pinguis; hic quoque major fertilitas. Ubi multa arena, nulli fluvii, ibi magnus calor, siccitasque.

7. *Adjacentes lacus vel mare.* Etenim & halitus inde procreantur in aëre humidiores atque frequentiores, & radii minus potenter reflectuntur à mari quam à terra.

8. *Situs locorum.* Aliter enim in montes & montana agit Sol, aliter in valles atque planitiem. Præterea montes prohibent radiorum Solis ad subjecta loca liberum accessum, ad illos vapores aëris trahuntur quodammodo, ut capite xx diximus. Unde montes mutant vicinorum locorum tempestates, calorem, pluvias, &c. nempe aliter hæc forent in subjectis locis si montes abfuissent.

9. *Venti, præsertim generales & stati.* Sic Etesiæ temperant canicularium æstum, generalis ventus in Zona Torrida, præsertim Subsolani in Brasilia, temperatum reddunt calorem, quando in Africa Occidentali vehementissimus est æstus, quia ventum generalem non ita sentiunt ista loca. Venti Septentrionales frigidi & sicci, Australes tepidi & humidi in nostris locis.

10. *Nubes pluviæ, nebula tollunt vel imminuunt calorem, lucemque.* Plures causas non arbitror esse varietatis, quæ in luce, calore, &c. observatur in Telluris diversis locis vel etiam iisdem, sed diverso tempore.

PROPOSITIO II.

Quomodo tempestates anni, Ver, Æstas, Autumnus & Hyems definienda sunt?

Etsi in scientiis de Definitionibus non sit litigandum vel disputandum, tamen quia hic occurrunt quædam homonymiæ, sine quarum explicatione magna in sequenti doctrina existeret confusio, ideo quæstionem hanc ita proponere volui, ut adolescentes eo cautius homonymiam hanc vitent vel ab ea ne decipiantur & intricentur, sibi caveant.

Quæstio duas complectitur difficultates. 1. An definiendæ sint illæ tempestates ex ingressu Solis & mora ejus in certis Eclipticæ seu Zodiaci signis? Ita enim communiter faciunt Astronomi & Astrologi, dicentes, Ver esse dum Sol à primo Arietis movetur ad primum usque Cancri: Æstatem, dum Sol à primo Cancri ad primum Libræ movetur: Autumnum, dum à primo Libræ ad primum Capricorni: Hyemem, dum à primo Capricorni ad primum Arietis. Hasce autem Definitiones non esse generales & omnibus locis competentes, manifestum est, quia tantum in locis Septentrionalibus (ab Æquatore versus Arcticum polum sitis) non in Australibus valent. Pro hisce enim ipsimet alias Definitiones prioribus contrarias proferunt, dicente in hisce locis Ver esse Sole à primo Libræ ad primum Capricorni eunte, Æstatem à primo Capricorni ad primum Arietis, Autumnum à primo Arietis ad primum Cancri, Hyemem à primo Cancri ad primum Libræ.

Sed ex eo sequeretur, tempestates illas non posse generaliter definiri; quod falsum est, & debent generalia generaliter definiri. Secundo, ne ita quidem factæ Definitiones locum habere possunt in locis Zonæ Torridæ. Etenim quando Sol per verticem locorum transit, tunc nemo non fatetur ibi debere esse Æstatem (nisi alia causa impediat) respectu cælestis causæ, & ita locis in Æquatore sitis non debet esse Ver vel Autumnus Sole in primum

Arie-

Atietis vel Libræ ingresso, sed Æstas, quoniam tunc transit per illorum locorum verticem, & maximum calorem creat, nisi causa alia impediat, neque illa Æstas ad primum Cancri vel Capricorni potest transferri. Idem valet de locis inter Æquatorem & Tropicos sitis, quia Sol illorum verticem transit, antequam ad primum Cancri vel Capricorni accedit, & ideo prius Æstatem efficit. Sciendum enim est, etsi Definitiones liberæ sint, tamen cum omnium populorum communes notiones Æstatem calore, Hyemem frigore vel saltem minore calore definiant, ita debere fieri definitiones, ut ab istis notionibus quam minimum recedant, & ne pugnent cum illis. Eadem difficultas est de Vere & Autumno locorum Zonæ Torridæ, imo non videntur hic locum habere, præsertim in locis quæ in Æquatore jacent.

Secunda difficultas, ob quam proposita est quæstio, occurrit hæc: Utrum ab ipso caloris & frigoris gradu definiendæ sint Tempestates, Ver, Æstas, Autumnus, Hyems, an à solis accessu & recessu? Etenim hominum Europæorum communis notio, quam de illis tempestatibus formant sive quibus illas concipiunt, utrunque complectitur, etsi magis ad calorem & frigus respiciant: Astronomi autem magis ad Solis accessum & recessum vel ingressum Solis in certa Zodiaci signa, ut antea dictum, attendunt. Præterea in locis Zonæ Torridæ non paucis observatum est, quod tempestates illæ non respondeant Solis accessui vel recessui, sed quod contra cælestem Solis motum & causam, hyemem experiantur (non quidem frigore sed pluviis sævientem & procellis) cum æstatem agere deberent propter Solis viciniam, & contra, æstatem cum remoto Sole, ubi hyemem debebant sentire (cujus rei mirabilis sane exempla infra adducemus) atque ideo illi populi Æstatem,

Hye-

Hymemque non definiunt Solis accessu vel in certa signa ingressu, sed serenitate Æstatem, pluviis & frigidiusculo aëre Hyemem. Atque ita impossibile est, Definitiones Veris, Æstatis, Autumni, Hyemis facere, quæ generales sint & omnibus hisce locis competant juxta populorum notiones.

Ego consideratis hisce difficultatibus, ita censeo. 1. Primo, cum in multis locis Zonæ Torridæ (ut in secunda difficultate dictum), atque etiam in quibusdam locis Zonarum Temperatarum Calor atque frigus contra cælestem rationem sive Solis motum accidant, neque tamen calore & frigore possint definitiones illæ fieri accuratæ, ideo distinguenda esse vocabula hæc tempestatum tanquam homonymica ut tempestates aliæ esse dicantur cælestes, aliæ terrestres. Fateor vocabula hæc minus apta esse, sed meliorum defectus coegit ea usurpare. Ita Æstas terrestris loci alicujus dicetur tempus anni, quo in illo loco maximus fit à Sole æstus singulis annis. Æstas vero cælestis dicetur illud anni tempus, quo maximus æstus esse debebat in loco illo propter Solis viciniam. Ita Hyems cælestis loci alicujus dicetur illud anni tempus, quo proximum debebat in loco illo esse frigus propter maximam Solis distantiam. At Hyems terrestris loci alicujus dicetur tempus anni, quo maximum est frigus in illo loco singulis annis. Et licet in plurimis locis Hyems cælestis & terrestris in unum tempus anni incidant, ut etiam Æstas cælestis & terrestris, tamen quædam loca Zonæ Torridæ sunt, ubi diversa tempora anni observant, ut in sequentibus dicemus. Ita de Vere terrestri atque cælesti, & similiter de Autumno, dicendum erit.

2. Secundo, cum pauca ea loca sint, ubi terrestris Æstas atque Hyems à cælesti discrepat in anni tempore, sed in plurimis locis in idem anni tem-

pus

pus incidant, ideo cælestem Æstatem posse absolute dici Æstatem, ita quoque Hyemem, Ver, Autumnum, atque ubi de terrestri sermo faciendus est, addendum esse vocabulum terrestris, ubi vero simpliciter dicitur Æstas, Hyems, Ver, Autumnus, intelligendas esse cælestes tempestates cum terrestribus convenintes.

Sed quomodo distinctas & accuratas faciemus definitiones Æstatis (cælestis nempe) Hyemis, Veris, Autumni, ut generales sint omnibus locis atque in Torrida quoque Zona locum habeant? Mihi sane non alius occurrit modus, quo definitiones illæ fieri possint tales, nisi hic:

1. *Æstas (cælestis) loci alicujus, dicitur anni tempus, cujus initium est dies ille, in cujus meridie Sol minimam habet à vertice loci illius distantiam, (idque prima vice, si duabus vicibus Sol ei loco fiat verticalis) finis vero ille dies, in cujus meridie (sive minorem, quam in omnibus aliis diebus anni) Sol mediocrem à vertice loci illius primo recipit distantiam.*

2. *Hyems loci alicujus dicitur illud anni tempus, cujus initium est dies ille, in cujus meridie Sol maximam à vertice loci illius adipiscitur distantiam: finis vero ille dies, in cujus meridie Sol mediocrem à vertice loci illius acquirit distantiam.*

3. *Ver loci alicujus dicitur anni tempus, inter finem Hyemis & initium Æstatis cadens, sive cujus initium est dies ille, in cujus meridie Sol mediocrem acquisivit à vertice distantiam veniens à maxima distantia: finis vero ille dies, in cujus meridie Sol minimam primo acquisivit à vertice loci illius distantiam.*

4. *Autumnus loci alicujus dicitur anni tempus inter finem Æstatis & initium Hyemis cadens, sive cujus initium est dies ille, in cujus meridie Sol mediocrem recepit à vertice loci illius distantiam, ve-*

veniens à minima, finis vero ille dies, in cujus meridie Sol maximam à vertice loci illius distantiam adeptus est.

Juxta has definitiones omnibus Telluris locis attribui possunt Ver, Æstas, Autumnus, & Hyems, neque facile invenietur alius modus ea definiendi; ita ut omnibus locis conveniant. Hisce itaque positis Definitionibus ad ipsam rem accedemus.

PROPOSITIO III.

Æstas (cælestis) locorum Telluris, quæ inter Tropicum Cancri & polum Arcticum jacent, incipit cum Solis ingressu in primum gradum Cancri (XXI Junii) *& desinit cum Solis ingressu in primum Libra* (XXI Septemb.) *& quidem simul in omnibus illis locis. Ita Autumnus illis locis est, Sole à primo Libræ ad primum Capricorni eunte: Hyems, dum Sol à primo Capricorni ad primum Arietis movetur: Ver, dum idem Sol à primo gradu Arietis ad primum Cancri movetur.*

Veritas Propositionis per antecedentes definitiones facile ostenditur, & in globo monstrari potest, ut etiam in Mappis Universalibus. Etenim Sol in primum gradum Cancri perveniens habet minimam, quam habere potest, à verticibus singulorum locorum Zonæ Septentrionalis Temperatæ & Frigidæ distantiam in meridie. Æstas itaque illorum locorum juxta cælestem legem tunc incipiet. Eodem modo Sol in 1 gr. Libræ mediocrem habet distantiam à verticibus illis. In 1 gr. Capricorni maximam: in 1 gr. Arietis iterum mediocrem & adscendit versus majorem, quæ tum ex declinatione Solis tum ex globo & mappis perspicua. Infertur itaque per definitiones antea positas, quod Autumnus, Hyems, Ver illorum locorum incipiant & desinant illis diebus quibus dictum est.

Loca-

Locorum Telluris, quæ inter Tropicum Capricorni & polum Antarcticum jacent, sive Zonæ Australis Temperatæ & Frigidæ Æstas incipit cum Solis ingressu in primum Capricorni (XXI Decemb.), *& desinit cum Solis ingressu in* 1 *gr. Arietis* (XXI Martii): *Autumnus illorum locorum incipit cum Solis ingressu in* 1 *gr. Arietis, & desinit cum Solis ingressu in* 1 *gr. Cancri* (XXI Junii). *Cum hoc incipit Hyems illorum locorum, quæ desinit cum Solis ingressu in* 1 *gr. Libræ* (XXI Septemb.). *Cum hoc incipit illorum Ver, & desinit cum Solis ingressu in* 1 *gr. Capricorni* (XXI Decemb.) *ubi rursus Æstas incipit.*

Hæc ostenduntur eodem modo per traditas Definitiones & per globum vel Mappas, quo priora ostendimus. Quia in 1 gr. Capricorni minimam Sol habet distantiam à verticibus illorum locorum: in 1 Arietis mediocrem, & descendit ad minimam: in 1 gr. Cancri maximam: in 1 gr. Libræ mediocrem, & ascendit ad maximam.

Locorum autem *Telluris, quæ in Zona Torrida sive inter Tropicum Cancri & Capricorni jacent, Æstas, Ver, Autumnus, & Hyems* (cælestes), *non incipiunt uno & eodem anni die, sed diebus diversis in singulis Zonæ hujus locis diversorum parallelorum, sive diversa latitudinis.* Sunt autem Loca Zonæ Torridæ triplicia, nempe Loca Æquatoris, Loca Zonæ Torridæ Septentrionalia, & Loca Zonæ Torridæ Australia.

1. *Loca in Æquatore jacentia hoc peculiare habent, quod duas sentiant Æstates, duas Hyemes, duo Verna tempora, duos Autumnos*, idque singulis annis, ita ut in semisse anni nempe sex mensibus, ab XXI Martii ad XXI Septemb. quatuor illa tempora, Æstatem, Autumnum, Hyemem, Ver, juxta nostras definitiones & cælestem legem expetiantur vel experiri debebant: easdem quatuor tem-

tempeſtates denuo ab xxi Sept. ad xxi Martii ſentiunt: nimirum
æſtas una eſt, dum Sol movetur à 1 gr. Arietis ad 2 gr. Tauri (ab xxi Martii ad xxii Aprilis)
Autumnus, dum Sol movetur à 2 gr. Tauri ad 1 gr. Cancri (à xxii Aprilis ad xxi Junii)
Hyems, dum Sol movetur à 1 gr. Cancri ad 2 gr. Leonis (ab xxi Junii ad xix Auguſti)
Ver, dum Sol movetur ab 28 gr. Leonis ad 1 gr. Libræ (à xix Auguſt. ad xxi Sept.)
Æſtas altera eſt, dum Sol movetur à gr. Libræ ad 2 gr. Scorpii (ab xxi Septem. ad xxii Octob.)
Autumnus alter eſt, dum Sol movetur à 2 g. Scorp. ad 1 gr. Capricorni (à xxii Octob. ad xxi Decem.)
Hyems altera eſt, dum Sol movetur à 1 gr. Capric. ad 28 gr. Aquarii (ab xxi Decem. ad xix Febru.)
Ver alterum eſt, dum Sol movetur à 28 gr. Aquarii ad 1 gr. Arietis (à xix Febr. ad xxi Martii.)

Demonſtrantur hæc omnia facillime ex traditis Definitionibus, quia Sol in 1 gr. Arietis & in 1 gr. Libræ minimam habet diſtantiam in meridie à verticibus locorum jacentium in Æquatore; nullam enim habet, quia verticalis eis fit: itaque tunc æſtates incipient. Deinde in 2 gr. Tauri & 2 gr. Scorpii (ubi Solis declinatio eſt 11 gr. 45. min.) mediocrem acquirit diſtantiam diſcedens ad maximam, itaque tunc incipient Autumni: Porro in 1 gr. Cancri & 1 gr. Capricorni exiſtens maximam habet diſtantiam ab Æquatoris locis, itaque tunc hyemes incipient. Denique in 28 gr. Leonis & 28 gr. Aquarii, mediocrem recipit diſtantiam à locis Æquatoris, (10 gr. 45. min.) aſcendens verſus minimam, itaque tunc verna tempora incipient. Magis perſpicue ex globo hæc intelligentur. Etſi itaque ita diſtinguantur hic tempeſtates juxta cæleſtem legem, tamen terreſtres tempeſtates

tes in plurimis Æquatoris locis aliter observantur, ut in sequentibus dicemus.

2. *Loca Telluris omnia in Zona Torrida Septentrionali jacentia habent quidem Autumni finem & initium Hyemis simul eodem tempore, nempe* XXI *Decembru; sed Æstatu, & Veris initium atque finem, ut etiam Autumni initium non habent simul, sed diversa loca diversis diebus.*

Etenim Autumni finis Hyemisque initium in locis fit, ubi Sol maximam, quam potest, à vertice locorum illorum distantiam adipiscitur, ut in Definitionibus suppositum fuit. Atqui de omnibus locis Zonæ Torridæ Septentrionalis verum est, quod Sol in 1 gr. Capricorni ingrediens maximam in meridie distantiam acquirat à verticibus illorum locorum, quia reliquis diebus omnibus vicinior illis locis est. Itaque Sole in 1 gr. Capricorni ingresso omnibus illis locis Zonæ Torridæ Septentrionalis fit Hyemis initium & Autumni finis, quod est primum Propositionis hujus membrum.

Alterum membrum quoque facili negotio probatur. Si enim loca illa diversæ sunt latitudinis, hoc est diversam ab Æquatore distantiam habeant, non eisdem sed diversis diebus Sol verticalis fiet in meridie illis locis. Est autem tunc æstatis cujusvis loci Zonæ hujus Torridæ initium, quando Sol ascendendo à 1 gr. Capricorni pervenit ad eum gradum Eclipticæ Septentrionalis, ut verticalis sit loco illi. Itaque diversis diebus fiet Æstatis initium in diversis illis locis: in omnibus tamen locis illis cadet initium hoc inter XXI Martii & XXI Junii. Diversis quoque diebus finietur Æstas, & Autumnus incipiet, quia Sol diversis diebus ad mediocrem distantiam (sive ad puncta Eclipticæ, quæ mediocrem à locis illis distantiam habent) perveniet, quia puncta hæc inter 1 gr. Libræ

bræ & 1 gr. Capricorni sita diversa sunt: cadet tamen initium hoc inter XXI Sept. & XXI Decemb. Eodem modo diversis diebus finietur Hyems & Ver incipiet, quia rursus puncta Eclipticæ mediocris distantiæ à verticibus illorum sunt diversa. Illa autem attingens Sol facit Veris initium: quod tamen in omnibus cadet inter XXI Decemb. & XXI Martii.

3. Denique *Loca Telluris omnia in Zona Torrida Australi sita habent etiam Autumni finem & initium Hyemis simul eodem tempore, nempe XXI Junii: sed Æstatis & Veris initium atque finem, ut etiam Autumni initium non habent simul, sed diversa loca diversis diebus, ita tamen ut Æstatis omnium horum locorum initium cadat inter XXI Septembr. & XXI Capricorni: Autumni initium, finisque Æstatis inter XXI Martii & XXI Junii: Veris initium, & Hyemis finis inter XXI Junii & XXI Septembris.*

Probantur membra hujus Propositionis eodem modo, quo in præcedenti id factum est.

Etenim die XXI Junii Sol existit in 1 gr. Cancri, atque ideo à locis Australis Zonæ Torridæ habet maximam, quam potest, distantiam. Erit itaque tunc omnibus illis initium Hyemis. Æstatis vero, Veris atque Autumni initia diversis diebus fient, quia Sol in diversis punctis Eclipticæ fit verticalis diversis locis, & distantiam quoque mediocrem ab illis locis diversis diebus acquirit.

4. *Peculiare aliquid habent illa loca Telluris, in Zona Torrida, quæ inter Æquatorem & octavum gradum latitudinis tam versus Septentrionem, quam versus Austrum jacent. Sol enim motu suo proprio, vel accessu & recessu facit illis duas Æstates, duo Verna tempora, unum tamen modo Autumnum, unamque Hyemem, idque perturbato quodam ordi-*

ordine, nempe hoc: Ver, Æstas, Ver, Æstas, Autumnus, Hyems.

Causa hujus paradoxi est, quoniam Sol recedens à verticibus horum locorum, quæ inter Æquatorem & 8 gr. latitudin. Borealis jacent (ubi initium primæ æstatis fecit) versusque Cancri initium progrediens mediocrem hic acquirit distantiam, à verticibus regrediatur versus illos vertices, non Autumnum faciet post Æstatem illam primam, sed aliud Ver, cum primum fecisset, antequam primam Æstatem inciperet, ubi mediocrem distantiam inter 1 gr. Capricorni & 1 gr. Arietis adipiscitur. Ex. gr. sumamus locum, qui quatuor gradibus distat ab Æquatore. Quoniam itaque etiam Sol in 10 gr. Arietis declinat sive distat ab Æquatore gradibus quatuor, itaque in 10 gr. Arietis existens faciet loco illi initium Æstatis. Porro maxima distantia, quam Sol habere potest à vertice hujus loci in meridie, est 27 gr. 30 min. (nempe in 1 gr. Capricorni, ubi declinatio ejus ab Æquatore est 23 gr. 30 min. quibus loci ab Æquatore distantia Borealis additur 4 gr.) cum itaque minima distantia sit 0 gr. 0 gr. erit mediocris distantia sive media, 13 gr. 45 min. Quare cum Sol fuerit in punctis Eclipticæ quæ ab assumto loco vel loci parallelo distant gradibus 13, & 45 min. tunc Sol faciet Ver vel Autumnum illi loco; Ver quidem, si Sol à punctis illis moveatur versus loci verticem: Autumnum vero, si Sol ad remotam distantiam tendat à puncto illo. Puncta autem Eclipticæ, quæ ab assumto loco distent 13 gr. & 45 min. repetiuntur quatuor, nempe 25 gr. Libræ, 3 gr. Geminorum, 27 gr. Cancri, 5 gr. Piscium, quod probatur ex Declinatione horum punctorum. Quoniam itaque Sol à 1 gr. Capricorni ad 5 gr. Piscium accedens acquirit hic mediam distantiam à vertice loci assumti, & tendit

versus

versus locum, faciet tunc nempe in 5 gr. Piscium existens, Veris initium in loco illo, quod Ver durabit donec Sol accedat ad 10 gr. Arietis, ubi loco fiet verticalis, eritque æstatis initium. Cum jam motu suo Sol ad 3 gr. Geminorum recesserit à loco, habebit iterum mediocrem distantiam à vertice illius loci in meridie, nempe 13 gr. 45 min. itaque tunc Æstatis illius finis erit, & initium Veris, non Autumni, quia Sol à 3 gr. Geminorum non tendit ad maximam distantiam à vertice, sed redit ad minimam, nempe dum per Cancrum motus & Leonem pervenit ad 20 gr. Virginis. Tunc enim iterum loco assumto fit verticalis, facitque novæ Æstatis initium, quæ durat eo usque donec Sol ad 25 gr. Libræ pervenerit. Tunc enim iterum adipiscitur mediam distantiam & tendit versus punctum maximæ distantiæ (1 gr. Capricorni:) itaque tunc initium Autumni faciet: & in 1 gr. Capricorni Hyemis initium. Sic itaque monstravimus, quomodo locus talis, qui inter Æquatorem & 8 gr. latitudinis Borealis in Zona Torrida jaceat, habeat duas Æstates, duo Verna tempora, unum Autumnum & unam Hyemem. Quod eodem modo ostenditur de locis ab Æquatoris altera parte inter 8 gr. latitudinis jacentibus.

In locis vero ultra 8 gr. sitis versus Tropicos non habet hoc locum, quia puncta illa 1 gr. Cancri vel 1 gr. Capricorni non habent ab illis mediam distantiam sed minorem media. Etenim à loco 9 gr. latitudinis maxima Solis distantia, quæ fieri potest, est 32 gr. 30 min. media itaque est 16 gr. 45. min. Si itaque locus sit in 9 gr. latitud. Borealis, Sol in 1 gr. Cancri existens habebit minorem ab eo distantiam, quam media est: est enim illa tantum 14 gr. 30 min. hæc vero 16 gr. Itaque in illo loco Æstas, quæ incepit cum primo Solis accessu ad verticem, (in 24 Ariet. 15 April.)

non

non finietur ante Tropicum Cancri, sed continuabitur toto Solis itinere per Taurum, Geminos, Cancrum, Leonem, Virginem, Libram, in cujus gradu 24, nempe 15 Octobris circiter, desinet.

Videntur quidem hic novæ quædam rursus existere difficultates, nempe duæ: 1. Quod hi menses non sint asscribendi æstati, quia Sol non directo itinere à vertice recedat, sed prius ad aliam atque aliam distantiam, dum versus Tropicum Cancri recedit à loci vertice, & deinde rursus accedit: æstatem vero definiendam solo recessus tempore. Sed ad hoc respondeo, definiri æstatem recessu, sed non recessu ad quamvis distantiam, verum recessu ad mediocrem vel mediam distantiam, neque hoc ipso excludi accessum mixtum recessui, modo recessus non fuerit major mediâ distantiâ.

2. De locis inter Æquatorem & 8 gr. latitudinis jacentibus, cum ante 1 gr. Cancri (vel si latitudo sit australis, ante 1 gr. Capricorni) Sol mediocrem à locis illis acquirit distantiam, ubi diximus finem fieri primæ æstatis, non videtur ponendum initium veris, quia Sol ab illo puncto non directe movetur rursus versus locum, sed prius magis recedit, nempe ad 1 gr. Cancri, & ab hoc ad locum redit. Verum sciendum est, illum recessum adeo parvum esse, ut nulla ejus debeat haberi ratio, quia vix unum vel alterum gradum facit, atque illud majoris recessus tempus non potest alteri asscribi tempestati, nisi quintam aliquam novam & sextam velimus effingere.

Aliter etiam de locis hisce videri posset alicui, nimirum non esse ponendum intermedium aliquod Ver inter duas Æstates, sed unam & continuam æstatem, atque illud intermedii veris tempus huic æstati attribuendum non habitâ ratione ejus, quod Sol ad mediam distantiam removeatur à

loco, quandoquidem adeo propinquus maneat loco & tam parum recedat ultra mediam distantiam, ut vix calorem aëris minuere, sed potius propter continuitatem augere possit illo tempore. De hoc cum nemine certavero: puto tamen commodius fore, si explicatæ methodo insistamus. Sed nimis multa de hoc negotio.

PROPOSITIO IV.

Dato loco in Zona Torrida invenire dies anni, quibus Æstas, Autumnus, Ver atque Hyems incipiant & desinant in illo loco.

1. Si locus in ipso Æquatore situs sit, diximus in præced. propos. theoremate 3, quibus diebus incipiant & desinant hæc anni tempora, quæ ibi duplicia sunt.

2. Si locus sit extra Æquatorem & ultra 8 gr. latitudinis vel distantiæ ab eo remotus, adducatur is ad meridianum, & punctum meridiani imminens notetur cretâ. Deinde volvatur globus donec punctum aliquod Eclipticæ inter 1 gr. Arietis & 1 gr. Cancri situm ad idem meridiani punctum perveniat (si locus datus sit in Septentrionali Torrida, sed si in Australi Torrida, tunc punctum inter 1 gr. Libræ & 1 gr. Capricorni debet transire:) Hoc erit punctum, quod Sol ingrediens faciet æstatis initium in proposito loco. Deinde gradus intercepti inter notatum meridiani punctum & Tropicum Capricorni (Cancri, si locus Australis sit datus) secentur in æquales duas partes, atque medium punctum in meridiano notetur, & moveatur globus donec punctum Eclipticæ situm inter 1 gr. Capricorni, atque 1 gr. Arietis (inter 1 gr. Cancri & 1 gr. Libræ, si locus australis), transeat per notatum punctum ultimum meridiani; item rursus moveatur, donec aliud punctum inter 1 gr. Capricorni & 1 gr. Libræ (1 gr.

Cancri

Cancri & 1 gr. Arietis, si locus Australis) transeat idem meridiani punctum. Prius punctum denotabit diem pro initio Veris, posterius pro initio Autumni. Hyemis vero initium est in 1 gr. Capricorni, si locus datus Septentrionalis sit; verum in 1 gr. Cancri, si Australis datus.

Idem quoque per Mappas solvi potest: sed accuratissime ex Tabulis declinationum: nimirum cum data latitudine loci ingredere Tabulam Declinationis solaris: in qua eam latitudinem quære, cui videbis appositos quatuor anni dies. Ex hisce sume eum, qui inter xx1 Martii & xx1 Junii cadit, si quidem datus locus sive data ejus latitudo sit Septentrionalis: sed si australis, sume eum diem, qui inter xx1 Septemb. & xx1 Decembr. cadit. Hic dies erit æstatis initium.

Deinde datæ loci latitudinis dimidium aufer ab 11 gr. 45 min. atque residuum numerum quære in Tabula Declinationis. Videbis iterum è regione quatuor anni dies, in quorum duobus Sol mediam distantiam à dato loco obtinebit. Si itaque datus locus fuerit Septentrionalis, sume ex quatuor diebus illos duos, quorum unus inter xx1 Decembr. & xx1 Martii cadit (Hic erit veris initium): alter inter xx1 Septemb. & xx1 Decembris; Hic erit Autumni initium. Sed si locus datus fuerit Australis, sumendus erit ex quatuor illis diebus, dies inter xx1 Junii & xx1 Septembris cadens pro initio Veris, & pro initio Autumni is, qui inter xx1 Martii & xx1 Junii cadit. Hyemis initium erit xx1 Junii, si locus australis; sed xx1 Decembr. si locus Septentrionalis.

3. Si locus datus sit inter Æquatorem & 8 gr. latitudinis, habebit is duas æstates & duo verna tempora præter Autumnum & Hyemem, nisi forte velimus Ver illud secundum inter duas æstates intermedium, ut in fine præcedentis Pro-

positionis dictum, rejicere, & continuam æstatem illi tempori tribuere. Quod si placeat facere, non aliter cum dato loco agimus ac in priori modo. Sed si duas Æstates & duo Verna tempora illi tribuere velimus, ut accurate observatæ definitiones Æstatis atque Veris postulant, agemus primo eodem modo, ac in prioribus, nempe initium Æstatis Hyemisque inveniemus, atque mediocris distantiæ dies inventos in Tabula quatuor excerpemus. Ex illis quatuor duo illi, quos in priori modo jussi sumere pro initio Veris atque Autumni, hic iterum sumemus eisdem conditionibus: sed reliquorum duorum dierum ille tantum qui æstatis diei propinquior est, sumendus erit.

Hic enim primæ Æstatis finem & secundi Veris initium denotabit. Pro die autem secundæ æstatis, sumendus erit in area ea, ex qua primæ æstatis initium sumtum est, etiam alter dies ex tribus residuis: is nempe qui æquali dierum numero à XXI Junii distat, ac (XXI Capricorni si locus Australis) dies primæ æstatis. Ita inventi erunt dies, quibus Æstas, Ver, Autumnus atque Hyems incipiunt & desinunt in locis Zonæ Torridæ.

Propositio V.

In locis Zonarum temperatarum atque frigidarum quatuor anni tempora, Æstas, Autumnus, Hyems atque Ver æqualia sunt fere, sive æquali dierum numero constant. In locis vero Zonæ Torridæ inæqualia sunt. Neque tantum ipsa tempora diversarum tempestatum inæqualia, sed etiam ejusdem tempestatis tempus in diversis Zonæ locis inæquale est.

1. De locis Zonarum Temperatarum atque Frigidarum quod dicitur, facilem habet Demonstrationem. Etenim cum Sol singulis ex quatuor illis anni temporibus percurrat tria signa, ideo ipsa Tem-

Tempora Veris, Æstatis, Autumni, Hyemis erunt æqualia sive æqualium dierum, exceptis aliquot diebus, quinque nimirum, quibus Æstas, & quatuor quibus Ver locorum Septentrionalium excedit Autumnum & Hyemem: in locis vero Australibus contra, Autumnus & Hyems excedunt Ver atque Æstatem, quod à Solis Eccentricitate provenire in superioribus monuimus.

2. In locis jacentibus in ipso Æquatore duæ quidem sunt æstates (sicut & reliquæ tempestates), sed ambæ breves, sicut & ambo verna tempora brevia sunt, nimirum unaquæque æstas & unumquodque Ver habet tantum dies triginta duos, ita ut ambæ æstates, sicut & ambo verna tempora habeant dies 64, hoc est duos tantum menses & duos vel quatuor dies. Sed Autumnus & Hyems sunt longiores, nempe quinquaginta quinque dierum, ita ut ambo Autumni sicut & ambæ Hyemes sint dierum centum & decem, hoc est fere quatuor mensium. Hæc manifesta sunt ex assignatis diebus pro initio Æstatum, Autumnorum, Hyemum, & temporum vernorum.

3. In locis Zonæ Torridæ, quo minus remota sunt ab Æquatore, eo majorem habent Æstatem, minorem Hyemem, magis vel minus mediocrem Autumnum atque Ver: nempe in locis non ultra decimum gradum ab Æquatore remotis durat æstas ultra sex menses. Quanta autem sit Æstas, Autumnus, Hyemus, atque Ver, cognoscitur per Propositionem præcedentem.

Quæ hactenus dicta sunt, de tempestatibus cælestibus, hoc est à cælesti causa sive solari accessu & recessu dependentibus, tantum intelligenda: ab hoc autem solo non provenire lucem, calorem, frigus, &c. jam aliquoties monuimus: itaque reliquas causas in sequentibus considerabimus.

PROPOSITIO VI.

In locis Zonæ Torridæ sicut Sol de die vertici admodum vicinus fit, ita de nocte contra profunde infra Horizontem demergitur & à vertice locorum illorum quammaxime removetur, ita ut loca hæc de nocte in media fere umbra Telluris jaceant, neque aër illorum, ullis radiis Solis per frequentem reflexionem aliquo modo illustrari vel calefieri possit.

In locis Zonæ frigidæ sicut Sol de die non admodum vicinus sit illorum vertici, ita de nocte non profundè infra Horizontem manet, sed maximâ noctis parte ita rotatur infra Horizontem, ut multi radii ab eo in aërem illorum locorum per reflexionem penetrent.

In locis Zonarum Temperatarum sicut Sol de die mediocri viciniâ accedit ad verticem illorum locorum, ita de nocte mediocri distantiâ infra Horizontem deprimitur, ita ut aliqui saltem radii in aërem illorum à Sole per reflexionem repetitam deriventur.

Ad hæc ostendenda per globum, elevetur primo polus pro loco aliquo in Zona Torrida sito, vel potius, polus in ipso Horizonte constituatur, ut loca Æquatoris sint in vertice Horizontis, sive ut Horizon ligneus fiat Horizon locorum Æquatoris. Consideretur deinde parallelorum, quos Sol circumrotatione suâ describit, depressio infra Horizontem; & conspicua erit veritas primi membri Propositionis,

Deinde elevetur polus pro locis Zonæ Frigidæ, sive polus constituatur in vertice Horizontis: Et consideratis parallelis Solis infra Horizontem existentibus à 1 gr. Libræ ad 1 gr. Arietis; iterum manifestum erit, quod parum infra Horizontem deprimantur, atque ita secundum membrum Propositionis ostensum est.

Deni-

Denique elevetur polus pro latitudine loci alicujus in Zona Temperata siti, & iterum considerata parallelorum depressione infra Horizontem probabitur tertium Propositionis membrum.

PROPOSITIO VII.

Dato loco in globo, & die anni, invenire longitudinem crepusculi in dato loco ad datum diem.

Crepusculi autem longitudo dicitur tempus, quo ante ortum Solis vel post occasum ejus, lux aliqua in aëre animadvertitur.

Ad inveniendam temporis hujus quantitatem supponendum nobis est id quod ab Astronomis est observatum (ut capite XIX diximus), crepusculum matutinum incipere plerunque, si aër sit serenus, Sole accedente ad 18 graduum depressionis infra Horizontem, & vespertinum desinere, ubi Sol ad eum depressionis gradum accesserit.

Elevetur itaque polus pro dati loci latitudine, & locus Solis in Ecliptica, ex die anni inventus quæratur in globi Ecliptica, ejusque punctum oppositum notetur. Deinde quadrans applicetur vertici, & notatum punctum adducatur ad Horizontem, Index ad horam XII cycli. Volvatur tunc globus donec notatum punctum elevatum fuerit octodecim gradibus supra Horizontem, quod ope quadrantis cognoscetur. Sic enim locus Solis totidem gradibus infra Horizontem depressus erit. Et index in cyclo monstrabit, quot horis vel horæ partibus crepusculum illo die in dato loco duret, positâ aëris serenitate. Adolescentes tribus exemplis hujus Problematis usum discere commodum est, uno Zonæ Torridæ, altero Temperatæ, tertio Frigidæ locum eligentes.

PROPOSITIO VIII.

In locis Zonæ Torridæ crepuscula sunt minimæ,

in Zonis Frigidis longissima, in locis Temperatarum Zonarum mediocria.

Etenim in locis Æquatoris & vicinis crepusculum juxta hypothesin in priori propositione positam est unius circiter horæ, quod tamen dimidiæ tantum horæ vel paulo amplius esse experientia testatur, nimirum quia aër crassior non est ibi tam altus quam requiritur, ut ad 18 gr. depressionis creperam lucem faciat; tunc etiam quia hypothesis de 18 gradibus, accipienda est de valde exigua luce, cum qua incipiat crepusculum, qualis à vulgo nondum habetur pro crepusculo.

In Zonis frigidis crepuscula durant per multos dies, quando ipse Sol infra Horizontem illorum manet.

In Zonis Temperatis durant crepuscula horis 3, 4, 5, 6 & per totam noctem alicubi & in diebus æstatis, prout loca vicina sunt frigidæ Zonæ magis aut minus,

Hæc omia probantur per modum in præcedente propositione positum.

Propositio IX.

Dato loco in Zona Temperata vel Frigida, & alio loco in Zona Torrida, datoque præterea die anni, invenire horam loci Zonæ Torridæ, in qua hora Sol eam altitudinem habeat supra Horizontem illius loci (atque ideo radiis æque elevatis illum locum feriat) quantam habet in loco Zonæ Temperatæ in ipso meridie.

Elevetur polus pro latitudine loci Zonæ Temperatæ vel Frigidæ: Et locus Solis ex dato die inventus adducatur ad Meridianum, atque altitudo ejus numeretur. Hæc enim est altitudo radiorum, locum illum calefacientium & illuminantium in meridie.

Deinde polus elevetur pro alterius loci in Zona Torrida

Torrida dati latitudine: Quadrans applicetur vertici, & notetur in eo gradus altitudinis antea inventæ: locus Solis ad meridianum adducatur, Index ad horam XII cycli. Moveatur deinde tam globus quàm quadrans, donec locus Solis conveniat cum notato quadrantis gradu. Ita enim Sol habebit supra Horizontem hujus loci altitudinem, quanta est in meridie prioris loci. Index monstrabit in cyclo horam quæsitam. Hac itaque hora cum radii Solis illustrantes & calefacientes locum atque aërem Zonæ Torridæ sint æque elevati supra Horizontem ejus ac radii in meridie prioris loci, sequitur inde, quod ad inventam horam idem calor futurus sit in loco Zonæ Torridæ, quantus in loco Zonæ Temperatæ in meridie, nisi aliæ causæ accederent; nimirum 1. quod Sol præcedentibus diebus calidam aliquam constitutionem induxerit loco atque aëri Zonæ Torridæ, non autem talem vel tantam in locis Zonæ Temperatæ vel Frigidæ. 2. quod Sol supra Horizontem locorum Zonæ Torridæ recte ascendens versus Meridianum radios omnes ad locum mittit quasi in uno plano & ad unam plagam atque ideo majorem calorem efficit, quam in Zona Temperata vel frigida, ubi Sol oblique ab Horizonte ad Meridianum movetur & radios versus loca mittit ex alia atque alia plaga & in alio atque alio plano: itaque radii non in locum ita angustum contrahuntur vel continue calefaciunt.

Exempli causa, Quæramus quotâ horâ diei in locis jacentibus in ipso Æquatore, die æquinoctiorum Sol eam sit habiturus altitudinem, quantam Amstelodami habet in meridie ejusdem diei?

Propositio X.

Quomodo locis, caloris atque tempestatum causæ, quas Propositione prima hujus capitis enumera-

vimus, in Zonæ Torridæ locis se habeant, exponere.

1. Sol singulis anni diebus recte ascendit supra Horizontem illorum locorum (præsertim Æquatoris) versus Meridianum & verticem illorum, atque ideo horâ nonâ circiter antemeridianâ radios quadraginta circiter gradibus à perpendicularibus declinantes incipit ejaculari ad illa loca, quæ radiorum rectitudo sive radiorum perpendiculum accrescit ad meridiem, & decrescens rursus durat usque ad quartam horam post meridiem; ubi Sol versus Occidentalem Horizontem discedens radios magis obliquos incipit emittere ad illa loca. Præcipuus itaque æstus in illis locis esse debet à nona circiter hora ante meridiem usque ad tertiam vel quartam post meridiem, si hæc causa sola respectetur. Quoniam tamen Sol à singulorum locorum vertice modo recedit, modo propius accedit, ideo Hyems singulorum locorum erit, ubi Sol à punctis Eclipticæ maxime remotis ab illis locis, hoc est, à 1 gr. Cancri vel 1 gr. Capricorni graditur versus puncta mediam distantiam habentia à loco aliquo assumto: Ver, ubi à puncto mediocris distantiæ graditur versus ipsum loci verticem, sive ad punctum Eclipticæ, quod loco vel parallelo loci verticale est: Æstas, ubi à puncto verticali graditur Sol ad punctum aliud mediæ distantiæ. Autumnus illo tempore, quo Sol à puncto hoc altero mediæ distantiæ graditur ad punctum maximæ distantiæ, hoc est ad 1 gr. Capricorni vel 1 gr. Cancri.

2. In locis ipsius Æquatoris Sol nullo anni die commoratur supra Horizontem pluribus vel paucioribus horis quam duodecim, & totidem infra. In aliis Zonæ Torridæ locis, unâ vel sesquialterâ ad summum horâ (nempe in locis extremis Zonæ hujus circa Tropicum Cancri & Capricorni) cum dies est longissimus, Sol commoratur supra Horizontem

zontem ultra illas duodecim horas, & in die brevissimo tanto minori tempore, nempe undecim circiter horis, & intermediis diebus non multum à duodecim horis discrepat tempus moræ solis supra & infra Horizontem. Hæc itaque causa faciet, ut noctes non sine frigore sint, & æstus diei non diu duret circa vespertina tempora.

3. Nocturno tempore, profunde Sol deprimitur infra Horizontem, ita ut aërem loci cujusvis nullis radiis ne reflexis quidem illustret. Hæc causa faciet, ut & densissimæ tenebræ noctis ibi sint, & frigus noctis augeatur, aër condensetur & se contrahat atque frigidus versus terram descendat suâ gravitate. Præterea exiguo admodum tempore (semisse horæ circiter) ante Solis Ortum & post ejus Occasum crepusculi lucem & calorem experiuntur illa loca.

4. Luna eodem modo fere ac Sol recte ascendit ab Horizonte versus Meridianum illorum locorum, aliquantum tamen obliquius, quoniam ab Ecliptica atque adeo extra Zonam Torridam recedat quinque circiter gradibus. Commoratur quoque eodem modo ac Sol parum ultra XII horas supra Horizontem; deprimetur infra eum totidem fere horis, & quidem profunde, sicut de Sole diximus. Itaque radiis suis rectis sive perpendiculari vicinis, præsertim cum loco alicui verticalis fit, teporem noctis augebit, in recessu minuet, sed propter parvam moram supra Horizontem vix illius effectus erit sensilis in loco aliquo, nisi cum verticalis est illi.

5. Omnes stellæ oriuntur, omnes occidunt in locis Æquatori vicinis (quæ polo vicinæ sunt admodum stellæ in locis remotioribus ab Æquatore non quidem oriuntur, sed paucissimæ ex sunt) atque ideo nocte teporem vel lucem exiguam & insensilem in aëre procreare possunt.

6. In multis Zonæ Torridæ locis, ut in insulis Indicis, atque India ipsa, in procurrente seu lingua Africæ, in Guinea Africæ, in Mexicana Hispania terra est sulphurea, quæ halitus calidiores emittit, unde aërit eporem aliquem & peculiarem proprietatem communicat. In quibusdam locis est arenosa, ut in parte Africæ Septentrionali in Torrida jacente, nempe in parte Libyæ, Nigritarum regione, &c. ita in Arabiæ multis locis, in Peruviano regno, in locis inter Peruviam & Brasiliam. Unde in his locis ingens æstus à Sole excitatur, quia grana arenæ diutissime retinent acceptum à Sole calorem & vicino aëri continue communicant. In aliis locis plures sunt fluvii, in arenosis illis pauci. Plures sunt in Abassia, in Guinea, in Congo, in India, in Brasilia. Unde humidi vapores excitantur, qui admodum retundunt vires radiorum Solis, atque calorem magis tolerabilem reddunt.

7. Pleraque loca Zonæ Torridæ vicinum habent mare, ut India, Insulæ Indicæ, lingua Africæ, Guinea, Brasilia, Peruvia, Mexicana Hispania; pauca loca Zonæ Torridæ sunt mediterranea, ut Africa interior, regiones inter Peruviam & Brasiliam. Unde fit, ut in hisce locis major æstus & siccitas: in illorum vero plerisque aër humidior & minus fervens à Sole fieri possit, nisi aliæ causæ accederent.

8. Pleræque regiones Zonæ Torridæ, cum à mari fere undique cingantur singulæ, habent in mediis locis juga montium magis vel minus excelsorum, ut India, insulæ Indicæ, lingua Africæ, Peruvia. Hæc juga montium admodum variant lucem, calorem, pluvias illorum locorum. Alicubi enim impediunt Orientales Solis radios, alibi Occidentales: præterea humidi vapores in aëre condensati ad illorum vertices moventur, ut explica-

plicavimus cap. xx. Unde pluviæ, nubes, &c. quibus calor atque lumen Solis admodum impeditur, & tempestatum ratio cælestis turbatur. Pauca loca sunt Zonæ Torridæ, quæ illis jugis carent, ut interior Africa, Mexicana Hispania, & si quæ aliæ sunt.

9. Ventorum varii & insignes sunt effectus in locis Zonæ Torridæ. Etenim ventus Generalis ab Oriente vel Orientis lateralibus plagis spirans continue versus Occidentem refrigerat loca maritima, quæ Orientem spectant, ut Brasiliam, Orientale littus Africæ; non ita illa, quæ Occidentem spectant, ut Guineæ & Congi, Angolæ, Peruviæ littora, &c. Alii venti sunt proprii, ut australis in Peruvia, qui venti vapores pellunt versus eam plagam in quam ipsi spirant. Alii stati venti: de quibus omnibus sufficienter egimus, cap. xxi. Hi itaque venti admodum turbant cælestem rationem tempestatum, quandoquidem illi æque fere constantes sunt atque ordinem observant, quam ipsius cæli motus. Diducunt aëra, compellunt versus montium juga vapores, atque aliis modis variant tempestates.

10. Nubes, pluviæque anniversariæ sunt in multis Zonæ Torridæ locis, atque ita cælestem rationem tollunt, cum æque constantes sint ac ipse Solaris motus. Errant enim illi, qui sublunarem hunc nostrum orbem omnia inconstantia & sine certo ordine, sola cælestia constantem motum servare opinantur.

Cæterum cum causæ hactenus enarratæ tam variæ sint quæ calorem atque alias tempestatum proprietates efficere possunt, atque in uno loco quædam ex illis causis, in alio aliæ vigeant vel diversis anni temporibus concurrant vel se mutuo impediant, inde cognoscimus causam, cur adeo varia sit in locis Zonæ Torridæ tempestatum ratio & conditio.

PROPOSITIO XI.

Quando Ver, Æstas, Autumnus & Hyems (terrestres) se habeant, & quibus anni mensibus fiant in locis diversis Zonæ Torridæ, enarrare.

Monuimus in superioribus, Propositione inprimis secunda, quod tempestates in locis Zonæ Torridæ multis fiant contra Solaris motus vel viciniæ rationem, nempe æstatem fieri ibi, cum Sol maxime recedit, Hyemem cum omnium maxime vicinis imo verticalis est vertici. Ideo distinximus tempestates, in cælestes & terrestres. Diximus hactenus, & quidem Propositione tertia & quarta, quomodo dato loco quovis Zonæ Torridæ inveniendi sint menses anni, quibus locus ille Æstatem, Ver, Autumnum atque Hyemem habere debeat, si solus accessus & recessus Solis spectetur, hoc est, cælestium tempestatum tempora designare docuimus. Verum enimvero cum in locis plurimis hujus Zonæ non fiant dictæ tempestates illis mensibus, sed aliis, idque in diversis locis diverso tempore, ideo tempora terrestrium tempestatum non ex cælo vel certa methodo, sed ab ipsa experientia in locis illis facta, sunt desumenda, & quantum id fieri potest, causæ singulorum, cur ita repugnent cælesti causæ, explicandæ sunt, nempe ex illis decem causis, quas Propositione prima posuimus. Id primo sciendum est, hyemem in Zona Torrida non gelu vel frigore sævire, sed pluviis potius & minori æstu definiri, quam sit tempore æstatis. Deinde in plurimis Zonæ Torridæ locis non quatuor, sed duas tantum numerari anni tempestates, nempe Æstatem & Hyemem, atque hasce non calore & frigore distingui, sed siccitate & humiditate potissimum. Etenim hyeme sæpe major calor quam in æstate illorum cum respirationis angustia, quia pluviæ & nubes deorsum

ſum premunt calidum aërem. Ver vero & Autumnum non ita manifeſtis indiciis vel differentiis reperiri.

Incipiemus autem enarrationem ab Africæ parte, quæ in Zona Torrida jacet, & verſus Orientem progredientes, cum Braſilia, in Occidente ſitam à nobis dimenſi ita totam Torridam Zonam finiemus.

Occidentalis littoris Africæ regiones à Tropico Cancri uſque ad Promontorium Viride (hoc quatuordecim gradibus ab Æquatore verſus Boream diſtat) omnes ſunt fertiles tam frumenti quam variorum pomorum, armenta quoque ac greges magna copia ibi reperiuntur: incolæ inſigni robore. Calor aëris paulo excedit mediocritatem, ita ut incolæ nudi incedant, exceptis nobilibus & divitibus qui panno ſe veſtiunt. Fertilitatis hujus & temperati aëris contra Zonæ Torridæ conſuetudinem cauſa eſt, 1. Multi fluvii, quorum præcipui Senega & Gambea, antequam in mare ſe exonerent vicinum, regiones illas irrigant, humidumque ac frigidiorem aërem reddunt. 2. Vicinum mare, quod humidos vapores, frigidiuſculos ventos præbet. Quomodo autem anni tempeſtates hic ſe habeant, & quibus anni menſibus Æſtas Hyemſque incidant & vigeant, non inveni annotatum apud Scriptores, quæ ipſorum eſt ſocordia & negligentia. In uno tamen itinerario legi, quod in una inſularum, quæ jacent non procul à Viridi Promontorio (nomine Salinæ vel Heſperides); in una, inquam, illarum dicta S. Vincentii (latitudo eſt 16 gr.) menſes pluviales, hoc eſt, hyems, ſint Auguſtus, September, October, November, December, Januarius, uſque ad Februarium. Hocce tempus cum cæleſti lege fere convenit. Etenim menſibus Maio, Junio, Julio, quia Sol admodum vicinis vel etiam verticalis illi lo-

co fit, ideo æstatem cælestem facit, & hic terrestris convenit cum ea: namque tunc æstum majorem experiuntur & siccum aërem sine ullis pluviis. Mensibus Februario, Martio, Aprili, Ver est ipsis, quia Sol à mediocri distantia ad minimam movetur, ideoque sine pluviis tunc sunt, & mediocrem æstum experiuntur. Menses Augustus, September, October, Autumno asscribendi propter pluvias, etsi serius debebat incipere, quia Sol in Augusto nondum à minima distantia ad mediam rediit. Menses denique November, December, Januarius, sunt hyemis, quia Sol tunc maximam habet à vertice illorum distantiam, & tunc plures magisque continuas pluvias cum aliquo frigore experiuntur. Addit tamen Scriptor ille, non singulis annis hæc ita observari, sed plerisque tantum. Quomodo autem in continenti Africæ vicinæ tempestates se habeant, non meminit, nisi quod de littore Sierra Leona subjungit contrarium, ut jam dicemus.

2. Succedunt jam regiones littoris Africani, quod Austrum respicit, atque à promontorio viridi ad curvaturam Africæ, hoc est, ab Occidente in Orientem se extendit. Hæ regiones dicuntur uno nomine Guinea, etsi alii vocabulum hoc uni tantum parti tribuant: jacent autem in Torrida Septentrionali, duobus, tribus, quatuor & pluribus gradibus ab Æquatore. In hisce regionibus continuus quidem est sine frigore intercurrente calor aëris, nihilominus quosdam menses æstati, quosdam hyemi attribuunt (idem de priori Occidentali littore puto intelligendum esse). Etenim in littoris, quod Sierra Leona dicitur, atque novem circiter gradibus ab Æquatore versus boream removetur, regionibus, ut etiam in plurimis Guineæ tractibus, menses Martium, Aprilem, Maium, Junium, Julium, asscribunt hyemi, inprimis tres il-

los

los Aprilem, Maium, Junium, propterea quod hisce mensibus frequentes & fere continuæ cadant pluviæ, calidæ vel tepidæ, tonitrua & fulgura crebra ingruant, atque tantæ procellæ cum subitaneo prestere, ecnephia, typhone, sæviant, quanta vix quisquam concipere queat, qui non expertus est. Procellas hasce à Lusitanis vocari *Travados*, & quomodo sæviant diximus cap. XXI. Hisce quoque mensibus agri inanes sine segete jacent. Sed postquam procellosi hi menses cessarunt, tum demum terram siccam (utcunque enim magnas pluvias præteritorum mensium absorbet), fodiunt, & carbones contusos admiscent (loco stercorationis); ita per decem dies sinunt terram aliquantum putrescere: tunc semina injiciunt. Est autem hic tantus aëris calor junctus humiditati propter vicinum mare, ut pisces capti fœteant si dimidio die asserventur incocti. Hisce itaque locis hyems erit mense Aprili, Maio, Junio, ubi procellæ & pluviæ sæviunt. Ver, Julio, Augusto, Septembri. Æstas Octobri, Novembri, Decembri. Autumnus, Januarius, Februarius, Martius, ubi pluviæ incipiunt & procellæ.

Hæc autem tempora tempestatum in illis locis sunt contra cælestem legem sive Solis motum. Etenim mensibus, Maio, Junio, Julio, debebat ibi æstas esse ingens, quia Sol verticalis vel vertici vicinus tunc est, quod etiam pluviæ calor vel tepor testatur: contra mensibus Octobri, Novembri, Decembri, debebat esse hyems, quia tunc Sol circa principium & Tropicum Capricorni existens remotissimus est ab illorum locorum vertice. Hic itaque terrestrium tempestatum tempus à tempore cælestium discrepat admodum. Causa autem istarum pluviarum & procellarum atque tonitruum eo tempore cum Sol adeo vicinus est locis illis, non facilis est explicatu. Mihi videtur

id.

id fieri, quod Sol de die multos vapores ex mari & halitus sulphureos ex terra Guineæ (est enim sulphurea & metallifera) eliciat, qui vapores noctis frigore condensati pluvias efficiant, præsertim cum in hisce locis non spiret continuus aliquis ventus, qui vapores discutere possit, sed plerunque malacia hic fit exceptis procellis. Et pluviarum isti menses, quos hyemi attribuunt, non sunt frigidi sed calidi, quoniam nullus ventus spirat, & Sol est verticalis: imo calor est suffocativus, qui hominibus angustæ fit respirationis causa.

Etsi vero ager frumento sit vacuus pluviis hisce mensibus; nihilominus tamen arbores & frutices toto anno virent & fructus ferunt.

Dies hic nocti per totum annum fere æqualis est, Sole Oriente ad sextam matutinam & Occidente ad sextam vespertinam: sed rarissime Sol Oriens vel Occidens conspicuus ibi est, quoniam plerunque oritur tectus nubibus ad semissem horæ, & semisse horæ antequam occidat, rursus involvit se nubibus.

Illud quoque considerationem hic meretur, cur mensibus Julio & Augusto non eædem pluviæ & procellæ ibi sæviant, cum tunc Sol æque vicinus sit illis locis ac in mense Maio & Junio. Præterea cur in insulis Hesperidum, quæ à Sierra Leona & Guinea non ita multum removentur, contrariis mensibus hyems accidat. Sed hic cælestis ratio causa est.

3. Quomodo tempora tempestatum se habeant in parte Africæ interiore vel mediterranea, quæ includitur Tropici Cancri arcu, regionibus littoris Occidentalis & Guinea (dicitur autem Nigritarum terra) de eo nihil adhuc reperi annotatum: nisi quod omnia ea loca fere sterilia sint exceptis iis, quæ Nigro fluvio adjacent. Hic enim singulis annis

annis mense Junio, & Julio & Augusto exundat atque ingentem fœcunditatem communicat istis agris, præterea multos lacus efficit. Reliqua loca Libyæ confinia magno urgentur æstu, cum arenosa sint maxima ex parte. Pluvii menses hic non videntur obtinere eo modo, quo diximus in Guinea vigere.

4. Sequuntur regiones littoris linguæ Africæ, quod à Septentrione versus Austrum porrigitur atque Occidentem respicit: eæ regiones sunt Manicongo, Angola, &c. à 2 gr. latitudinis borealis usque ad Tropicum Australem Capricorni ultra Æquatorem. Congi autem regnum incipit à 2 gr. Australis latitudinis. Hyems in his locis est similis verni temporis constitutioni in Romano agro Italiæ, calor temperatus, ita ut nulla anni parte vestes mutent, neque vertices montium vicinorum urgentur frigore. Incipit autem hic hyems pluviosa fere cum nostro vere, nempe xv Martii, duratque Aprili, Maio, Junio, Julio, Augusto, usque ad xv Septembris. Cum hoc incipit æstas, quæ reliquos menses usque ad xv Martii occupat. Æstate hac pluviæ nullæ, vel saltem rarissimæ, continua serenitas: sed mensibus pluviis sive hyeme vix dies aliquis conspiciendum præbet Solem: adeo continuæ nubes & pluviæ aerem possident: *Travados* quoque frequentes. Pluit autem non integris diebus, sed plerunque duabus horis ante & duabus post meridiem, guttæ grandes cadunt, quæ tamen statim à terra sitiente absorbentur. Etsi itaque duas tantum in partes annum incolæ harum regionum dividant, nempe in Æstatem & Hyemem, possunt tamen in quatuor distribui (nostrum quoque vulgus communiter annum dividunt in Æstatem & Hyemem, quia Ver complectuntur Æstate, Autumnum Hyeme), nimirum Æstati tribuemus menses à xv Decembris, Januarii-

nuarium, Februarium usque ad xv Martii. Veri tribuemus tempus à xv Septembris ad xv Decembris. Autumno, à xv Junii ad xv Septembris. Hyemi, à xv Martii ad xv Junii.

Hæc tempora terrestrium tempestatum cum cælesti ratione in hisce locis fere conveniunt. Etenim à xv Martii, Aprili, Junio, Julio, Augusto ad xv Septembris Sol recedit à locis illis versus Tropicum Cancri, ubi remotissimus est ab illis xxi Junii, & reliquo tempore iterum accedit, ita ut xxx Septembris illis fiat verticalis, & ad mediocrem distantiam versus Tropicum Capricorni eat atque ab illo redeat mensibus Octobri, Novembri, Decembri, Januario, Februario, ita ut in Martio iterum verticalis fiat. Itaque hosce menses æstatem experiuntur propter Solis viciniam, cujus effectus non impeditur hic à terrestri causa: & deinde reliquis mensibus à xv Martii ad xv Septembris hyemem, quia Sol tunc magis removetur. Sed tempora Veris, Autumni, Æstatis, Hyemis, quæ nos assignavimus, non ita bene conveniunt cum cælesti ratione, & dubito egomet, an ita Æstas & Hyems in Ver atque Autumnum distinguantur in illis locis.

Facilior itaque causa hic redditur, Cur mensibus illis à xv Martii ad xv Septembris pluvias quotidianas & aliqualem hyemem sentiant, nimirum quia Sol recedit ab illorum vertice versus maximæ distantiæ locum. Sed hæc causa sola non sufficit, quia sola non potest talem effectum producere: itaque alia adjungenda est, Nimirum juga montium, quæ non procul ab hisce maritimis regionibus versus Ortum jacent, mensibus illis pluviis continue nubibus tecti conspiciuntur, cujus causa est ventus status, qui istis mensibus ibi spirat Zephyro-boreas. Sol itaque vapores elevat è mari multos: illos ventus hicce status compellit

vel

vel cogit versus juga montium (ab altera vel opposita plaga resistit ventus Euro-auster Generalis) ubi condensantur & deinde in pluvias abeunt: signum quod in montibus hisce continuæ fere pluviæ & imbres (unde Nili inundatio existit aliorumque Africæ fluviorum) sæviunt præter illas nubes quas diximus conspici in illis.

Præterea sciendum pluviis istis mensibus fluvios Congi exundare in vicinos agros, atque inde magnam fertilitatem illis conciliare, magnam quoque copiam aquæ in mare evomere: Fertilitate cum ipsa Ægypto certat hoc regnum, atque omnia hic crescunt & adolescunt opime & egregie.

5. In provincia maritima Lowango, quæ non procul à Congi distat, est enim in 4 gr. latitudinis Australis, observantur etiam pluvii menses hyemales & alii sereni æstatis: sed, quod mirandum est, menses non sunt iidem cum illis, quibus in vicino regno diximus pluvias vigere. Etenim in Lowango vehementes & continuæ pluviæ vigent mensibus Januario, Februario, Martio, Aprili; cum tamen Januario & Februario in Congi regno æstas sit, aërque serenus. Hic itaque terrestris tempestas repugnat cælesti, quia Januario & Februario non est Sol remotissimus ab illis locis, adeoque non pluvias sed siccitatem potius experiri debebant. Causa est sine dubio alius montium situs, alius ventus status, &c.

6. Insulæ S. Thomæ (in ipso Æquatore) & Annobon ($1\frac{1}{2}$ gradu ab Æquatore) sunt fertilissimæ, sacchari, frumenti, pomorum, inprimis citriorum, aurantiorum ingens copia.

7. Quomodo in reliqui Africani littoris Occidentalis regionibus à Lowango ad Tropicum Capricorni tempestates se habeant, nondum annotatum inveni.

8. Re-

8. Relicto itaque illo littore, & promontorio Bonæ ſpei circumnavigato redimus ad Tropicum Capricorni, ubi littus Orientale linguæ Africæ ſpectatur, in quo jacent Zofala, Moſambique, Quiloa uſque ad Æquatorem, quæ ab Oriente Sole illuſtrantur. In hiſce locis hyems eſt menſibus Septembri, Octobri, Novembri, Decembri, Januario, reliquis æſtas & ſiccitas, quod tempus contrarium eſt illi, quo in Congo regno hyemem pluvialem ſentiri diximus, & tamen hæ regiones ab eadem jacent Æquatoris parte. Sed juga montium, quæ procurrentem hanc linguam Africæ biſecant in terram Orientalem & Occidentalem, ſine dubio cauſa ſunt hujus diverſitatis. Terra harum regionum mediocris tantum eſt fertilitatis, multis locis arenoſa & ſterilis, inſignique calore aduritur, ſed fluvii & adjacens mare, ventuſque generalis Orientalis temperant æſtum.

9. Reliquæ regiones Africani Orientalis littoris ab Æquatore verſus boream jacentes ad fauces Arabici ſinus & hinc ad littus ipſius ſinus uſque ad Tropicum Cancri, hæ, inquam, regiones, quales tempeſtates & quibus anni temporibus experiantur, nondum annotatum inveni, niſi quod arenoſum & ſterilem hunc tractum eſſe quidam ſcribant atque ingenti ideo æſtu premi (nota eſt Arabiæ Troglodyticæ ſterilitas & æſtus). Accedit, quod nullis fere fluviis irrigatur: ſed expecto accuratiores annotationes.

10. Sed qualis tempeſtas in mediterranea Africæ parte, quæ Abaſſinorum eſt? Hæc enim media fere ab Æquatore ſecatur, ita ut aliquas provincias in Torrida Auſtrali, aliquas eaſque plurimas in Torrida Septentrionali habeat.

11. *Relicta jam Africa*, ingredimur Aſiæ regiones in Zona Torrida jacentes, ubi primo ſe offerunt Arabiæ regiones mari Rubro adjacentes à

Mecca

Mecca ad Aden (12 gr. ab Æquatore versus Boream), quæ Occidentem respiciunt, ab Oriente habent Arabiæ montana. Hæ maximo urgentur æstu jam tum in Martio & Aprili mense & sequentibus magis, dum Sol ad illorum verticem accedit & circa illum mense Maio, Junio, Julio & Augusto commoratur. Æstus tantus, ut incolæ, ditiores inprimis, frigidam continue de die corpori suo instillare vel affundere curent, vel etiam in vasibus aqua plenis jaceant. Mercatores in Aden nocte conveniunt & Mercaturam exercent, quæ tamen hic satis calida est. Causam esse puto defectum vaporum aqueorum, quia à parte Orientali petrosa est regio, fluvii paucissimi & exigui, ventus autem Orientalis, qui generalis est, etsi ibi non ita sentiatur, repellit vapores ex mari Rubro assurgentes. Adde copiosam arenam, quæ calorem conceptum nocte retinet & aeri communicat.

Conveniat itaque hic Æstatis Hyemisque tempus cum cælesti ratione.

12. Eadem est ratio totius Arabiæ & Orientalis ejus littoris.

13. In Cambaia Indiæ, quæ in ipso Tropico Cancri jacet, ut etiam in Malabarici littoris seu Orientalis Indiæ regionibus, quæ Occidentem spectant, atque à Septentrione versus Austrum ad 8 gr. latitud. Septentrionalis se extendunt; in hisce, inquam, regionibus, hyems sive pluvialis tempestas occupat menses Junium, Julium, Augustum, Septembrem, sed inprimis à medio Junio ad medium Septembrem. Neque vero in omnibus hisce locis æquali tempore pluit, sed magis continue in Goana & Cocinensi provincia, minus continue in Cambaia (ubi tantum tribus mensibus pluit). In reliquis octo mensibus ratissime pluit in Cambaia, in Goa vero mense Aprili & Maio pluviæ sed minus vehementes incipiunt cum tonitru

nitru & procellis: ita ut Autumno hic possint ascribi mensis Martii semissis, Aprilis & Maius ad xv Junii: deinde à xv Junii & Julius atque Augustus usque ad xv Septembris Hyemi: deinde à xv Septembr. ad Decembrem Ver, reliqui à xv Decembri ad xv Martii Æstati. Etenim hisce mensibus magna est siccitas, quia aqua pluviarum priorum à Sole tunc extracta est à terra. Incolæ tamen non numerant quatuor tempestates, sed tantum duas, Æstatem & Hyemem, vel potius siccam & pluvialem tempestatem. Nam hyems juxta nostram notionem frigoris non convenit illis locis, sed proprie tamen, quia hyems à pluviis dicitur.

Præter pluvias hasce, frequentes in littore sunt procellæ, tonitrua illis pluvialibus mensibus, ita ut mare tunc clausum censeatur; fluvii quoque multi exundant illo tempore. Septembri mense mare aperitur, & tunc naves à Malabarico littore solvere solent in varias mundi partes. Neque pluvia hisce locis sæva est (exceptis procellis) in agris, sed quia multis diei horis cessat, ideo incolis concedit tempus serendi & plantandi. Hisce enim pluvialibus mensibus incolæ agris semina injiciunt, contra quam in Guinea fieri supra diximus. Aër quoque eo tempore moderati teporis, quia Sol nubibus tegitur, ita ut incolæ remotiores à littore exspatientur animi causa in colles & agros (ubi exundatio non est). Magna & incredibilis à pluvia illa fertilitas terræ conciliatur. Si quando pluviæ hæ in anno aliquo non cadant (quod rarissime accidit, ut anno 1630) omnis sementis & messis spes sublata est: inde annonæ caritas, aër æstuosus, febres ardentes, pestilentes, & myriadum hominum interitus. Anno 1630 & sequenti, caro humana publice divendita fuit in quarundam urbium Cambaiæ macellis. Interdum vero adeo sæviunt imbres ut domus (quæ leviter ædi-

ædificatæ sunt) corruant, fluvii exundatione nimia alias tollant.

Sementem faciunt Maio & Junii initio, messem Novembri & Decembri. Aliter in Guinea.

Æstas hæc atque Hyems horum locorum est contra cælestem legem sive Solis motum. Etenim mense Julio & Augusto Sol illis locis verticalis est vel admodum vicinus vertici, ideoque æstum ingentem & siccitatem aëris debebant experiri. Magna est hæc illorum locorum felicitas: quippe si pluviæ hæ non caderent, nubesque Solem obtegerent, ingens ille Solis æstus arenosum redderet solum atque sterile sicut Arabiam, Libyamque, ubi hæ pluviæ non adsunt Sole vertici vicino existente. Contra, mense Decembri, Januario, Februario Hyemem debebant agere vel pluvias minoremque calorem sentire, quia tunc Sol maxime removetur ab illis: atqui tunc Æstatem experiuntur. Noctu tamen aër satis frigidus est: præterea ventus continuus à XII diei ad XII fere noctis spirat è mari, qui admodum gratus est.

14. In Orientali Indiæ littore quod Coromandelium vocant, tempestates etiam à cælo dissentiunt. Etenim mense Martio, Aprili, Maio & Junio ingentes ibi æstus Sol excitat, pluviæ nullæ. Distribuunt autem incolæ, qui Saraceni sunt magna ex parte, annum in tres tempestates, nempe in Fervidam, Pluvialem & Frigidam. Fervida sive æstas viget, ut dixi, mensibus Martio, Aprili, Maio, Junio. Præcipuus & intolerabilis æstus à medio Maio ad medium Junium; ventus à Septentrione spirat, ad quem si faciem convertas, tantum aëris fervorem senties, ac si candenti camino appropinques. Sol enim in illa plaga tunc versatur in meridie. Ligna quoque & lapides constantem atque magnum concipiunt fervorem:

aqua tamen puteorum frigidissima est, ut multi præ magno æstu illam bibentes moriantur.

Maximus diei calor inter horam nonam ante meridiem usque ad tertiam post meridiem : hisce intermediis horis ab itinere quiescendum est; reliquis horis, nempe ante nonam matutinam & post tertiam pomeridianam, aër temperatus saltem tolerabilis, serenus & gratissimus existit, iter jucundum, cælum lætum.

Pluvialis tempestas quatuor menses occupat, Julium, Augustum, Septembrem & Octobrem. Frigida Novembrem, Decembrem, Januarium atque Februarium : in Decembri & Januario frigus, præsertim noctis, sensile satis est.

Multa hic sunt, quæ causarum investigationem merentur. Etenim mensibus Martio, Aprili, Maio, Junio, Sol accedit ad illa loca Coromandelii littoris atque verticalis illis fit, ideo nil mirum si æstum experiuntur maximum : sed cur non eundem æstum experiuntur Julio & Augusto, cum hisce mensibus æque vicinus illis sit & propter priorem æstum jam major esse debeat ? Præterea cur ita dissentiunt horum locorum littoris Coromandelii tempestates à Malabarici littoris tempestatibus, cum in eodem Climate jaceant & iisdem diebus Solem verticalem, iisdem remotum habeant ? Et, quod magis mireris, intercedit inter hasce regiones alicubi tantum septuaginta, alicubi viginti tantum milliarium intervallum : ita ut ex loco sereni & fervidi aëris pervenire possis in regionem, ubi pluvialis hyems sæviat, unius diei itinere. Maffeus ita loquitur de hisce locis: In iis regionibus cum alia multa admiranda, tum illud inprimis omnium Physicorum ingenium superat, quod in eadem cæli plaga, pari solis accessu recessuque, iisdem anni mensibus ab ortu trans Gatis juga (quæ recto ad Cori promontorium excursu totam

totam Malabaris longitudinem intersecant) æstas ac siccitas, ab occasu cis Gatem hyems & assiduæ pluviæ sunt: ut in tanta locorum propinquitate, quod ad rationem tempestatum attinet, iidem pene populi sibi mutuo Antipodes videantur esse. Hæc Maffeus. Sed non in solis hisce locis, verum in aliis quoque hanc diversitatem inveniri jam antea docuimus, & in sequentibus dicemus. Causa autem est situs jugi montium, quod Coromandeliam terram à Malabarica disterminat, progrediens à Septentrione versus Austrum. Huic causæ adjungendi sunt stati & diversi venti. Etenim in Coromandelio littore ventus generalis Orientalis magis sentitur (exceptis mensibus Æstatis Maio, Junio) qui vapores versus juga montium pellit, unde in Malabaricam terram pluviæ. Juga hæc mensibus pluvialibus continue nubibus tecta conspiciuntur, in illis quoque vehementiores imbres, ubi in Malabarico pluviæ: sed cum in Coromandelia regione pluviæ sunt, tunc in jugis montium sicut in ipsa Malabarica terra serenitas (exceptis mensibus, Julio, Augusto). Hisce enim in utraque terra pluviæ existunt.

15. In regionibus Gangetici maris, quæ opponuntur Coromandelio littori & ibidem in Septentrionali Torrida jacent, ut Siam, Begu, Chersonesus Malaccensis, pluviales menses, quibus etiam fluvii exundant, sunt September, October, November. Verum in Malaccensi agro pluit singulis anni hebdomadibus bis vel ter, exceptis mensibus Januario, Februario & Martio, quibus continua siccitas. Hæc omnia contra cælestem rationem fiunt, & causa eorum in montibus, ventis statis, adjacenti mari atque aliis quærenda est: quia tamen nondum accuratas habemus de illis regionibus observationes, nolumus hic ea excutere. Fertilitatis autem harum regionum causa est præcipua,

pua, Exundatio fluviorum, æstum temperant vapores vicini maris & fluviorum, venti stati: unde jucundissimæ hic habitationes, ubertimus omnium fructuum proventus. In regno Patanæ & vicinis Æstas incipit cum Februario, & ad finem Octobris durat, quo tempore continuus calor, quia continuo Orientali vento temperatur. Aër salubris. Novembri, Decembri & Januario continuæ pluviæ, quæ tamen non impediunt, quo minus singulis mensibus novo gaudeant fructu. Idem de Cambaia intelligendum est. Hæc autem hyems cum cælesti ratione convenit.

16. Relicta Asia, transnavigato mari Pacifico ingredimur Americæ partem in Zona Torrida jacentem, quæ duplex est, Australis & Septentrionalis. Australis iterum duplex, Peruviana & Brasilia. Peruvianæ partes etsi vicinæ sint, contrariis tamen tempestatibus eodem tempore fruuntur. Etenim Peruviana regio dividitur in tres partes, Littoralem seu Maritimam, Montanam, & planam post montanam, quæ in eodem Climate jacent. In montanis locis hyemem pluvialem experiuntur à mense Octobri usque ad Martii finem, cum æstatem deberent sentire ex Solis vicinia. Æstatem autem habent ab Aprili ad Octobrem, quibus mensibus nullæ cadunt ibi pluviæ: in hyemalibus vero mensibus continuæ. Terrestres itaque tempestates à cælestibus hic discrepant. In littorali sive maritima Peruvia hyems fere nulla toto anno. Etenim nunquam in hisce locis pluit toto anno: sed à mens: Aprili ad Octobrem censetur hyemis tempus (quod cum cælesti causa congruit, quia tunc Sol ab illis removetur ad Tropicum Cancri atque inde redit) propterea quod hisce mensibus non quidem pluat, sed singulis fere diebus aër sit nebulosus & Solem tegat, densæque nubes ita conspiciantur ac si mox pluvia

affu-

affutura esset, quæ tamen non sequitur, sed ros tantum vel pscas (*Stoff-regen*) idque inprimis tribus mensibus Junio, Julio & Augusto, singulis diebus ante meridiem: non tamen nebula insalubris est, sed in rorem densata & decidens irrigat valles. In montanis hocce tempore non pluit, sed serena est tempestas. Peruvia hæc littoralis distinguitur in valles & arenosa loca. Valles sunt fertilissimæ; arenosa, quæ inter singulas valles intercedunt, sterilia. In adjacentibus quoque insulis nunquam pluit, sed ros tantum decidit.

In insula vero Gorgon, quæ tribus gradibus ab Æquatore versus Austrum removetur, pluit octo mensibus continue fere cum tanto tonitru & procellis, ut cælum terræ misceri dicas. Maio, Junio, Julio, Augusto, Æstas est & siccitas, contra cælestem rationem.

In quibusdam hujus partis Torridæ Zonæ locis frigus insigne est. Etenim in provincia Pastoa Popaianæ regionis in valle Atrisina tam æstate quam hyeme frigida valde est tempestas, ut ideo fruges non crescant. In Cusco urbis agro, qui medius fere est inter Tropicum Capricorni & Æquatorem, gelu non debile & nives quoque deprehenduntur.

Ex quibus colligitur, Peruviam nullo insigni æstu torreri, sed potius temperato aëre per totum annum frui, exceptis arenosis ejus locis & collibus. Valles vero fertilissimæ & jucundissimæ arborum atque frugum proventu conspiciuntur. Aquam accipiunt hyeme ex rore quem dixi decidere singulis diebus. In æstate vero à torrentibus qui à montanis locis devolvuntur, & ruunt, quoniam in montanis tunc hyems & continui imbres sunt. Atque ex torrentibus hisce incolæ per certos ductus aquam deducunt ad valles suas. Namque nulli fontes ibi reperiuntur. Quædam tamen val-

les solo rore sunt contentæ & optime producunt fructus.

Causa hujus diversitatis inter Peruviæ planæ & montanæ tempestates, & cur in plana Peruvia nunquam pluat, difficilem habet explicationem. Etenim montana hæc vicina sunt adeo planæ maritimæ Peruviæ, ut mane descendens aliquis ex illis pluviis & imbribus sævientibus, vesperi in planam Peruviam pervenire possit, ubi nulla unquam pluvia, sed aër serenus est. Causa duplex esse videtur. 1. Juga illa montium. 2. Ventus Austro-zephyrus, qui proprius & perpetuus est Peruviæ. Hic enim ventus compellit vapores versus montana, ubi condensantur, vel saltem discutiendo prohibet, ne in plana Peruvia possint nubes in guttas densari atque decidere. In montana vero loca attrahuntur eo modo, quo explicavimus capite de Montibus.

Habet itaque hoc Peruvia cum Ægypto & aliis nonnullis locis commune, quod venti Austrini non sunt pluviosi & tepidi, sed potius serenantes aërem, etsi in omnibus Austrum versus ab Æquatore jacentibus locis idem locum habere videatur.

17. Americæ Australis pars, quæ Brasilia dicitur atque Orientem respicit, à 2 gr. latitudinis Australis ad 24 gr. extenditur, jucunda atque salubri adeo temperie aëris excellit, ut nulli regioni Telluris cedat. De hujus tempestatibus ita refert Piso in suo de Medicina Brasiliensi libro: Habitata ejus (Brasiliæ) frons blandum & benignum subsolanum ab auris matutinis natum continenter recipit (*imo ventus ille generalis esse videtur, non status subsolanus*), qui homines cæteraque animantia demulcet, & ab intolerabili solis verticalis æstu vindicat. Qui, si mare accedat, summo quidem mane; si recedit, adultiori aurora persentiscitur. Nec languescit circa vesperam, sicut solet multis In-

diarum

diarum locis, sed intenditur adeo à comitante Sole, ut ultra medias noctis horas non raro vigeat, condensatioque aëris nocturna nequeat dilatationem & motum illum naturalem Aeris facile hebetare aut vincere.

Alterum vero latus (quod à Peruano regno celsissima montium juga & immensa disterminant spacia) Zephyrus licet insaluber, mediterraneusque ventus, propter infinitos quos perflat paludosos lacus, sera nocte infestet, tamen à montibus mari vicinis perpetuo coërcetur, adeoque ab aura matutina pellitur, ut ad littora usque vix queat penetrare.

Quemadmodum jucundissimis ac constantissimis his anni tempestatibus haud magnæ mutationes, ita diurnis & nocturnis evidentiores contingunt, quod dies & noctes non magis pares sint spatiis, quam differentes calore & frigore. Nam Sol altius ascendens, postquam terrarum & hominum poros aperuit, profundius & pari intervallo se occulit, unde condensatio aëris major extremam partem noctis magis rorifluam efficit. Hinc rigidum & penetrans frigus à tertia hora nocturna circa gallicinium ad exortum usque Solis corpora ferit, ita ut hanc terram recens ingressis molestum, summeque noxium esse soleat: quod qui non evitat, haud facile vitam beatam in hisce vel aliis Indiarum oris exordietur. Cujus rei non ignari Brasiliani focum perennem in tuguriis juxta lectos pensiles alunt; ejusque beneficio nocturnum frigus tolerare & venenata insecta arcere queunt.

Porro rectus ascensus Solis & descensus brevissima facit crepuscula, noctesque adeo diebus pares, ut ne quidem unius horæ discrimen agnoscant.

Noctibus æstivis frigus intensius: hybernis,

quod mireris, mitius sæpe persentiscitur, aëre scilicet tranquillo & nubibus undiquaque presso pluvias moliente.

Pluvialis temporis initium fit mense Martio vel Aprili, Augusto finitur, quo Sol redux ex Cancro materiam pluviæ ex parte dissolvit in ventos. Unde procellæ & turbines subinde nascuntur, quas mox vernum tempus excipit, easque blandissime componit. Nullam circa anni tempestates mutationem bis accedente & retrocedente Sole, ut multi existimarunt, Tropicorum incolæ agnoscunt (atqui nos in præcedentibus contrarium probavimus exemplis, imo ipsius Brasiliæ tempora repugnant), sed solummodo abeunte ab Æquatore ad Tropicum Cancri vel Capricorni.

Duo tantum dantur anni tempora, quorum unum calidum & siccum, æstas dicitur: alterum calidum & humidum æstati Europæ simile Brumæ vicem supplet. idque in omnibus Indiis intra utrunque Tropicum verissimum deprehenditur. Licet enim hyberni & æstivi temporis finis & initium, ob particularia incidentia loci, tum & Æquatoris majorem vel minorem vicinitatem non in idem incidant, plerunque tamen Annus sex circiter mensibus ad humidum & totidem ad siccum vergentibus absolvitur. Et quidem ea ratione, ut in multis Africæ ac Asiæ, ejusdem nobiscum latitudinis oris, maxima exinde intensio & remissio æstus, hic nulla vel saltem exigua percipiatur, sole licet Brasiliensium Zenith mense Octobri & Februario transeunte, radiisque secundum angulos acutissimos reflexis terram feriente.

Quæ diversitas istarum regionum incolis ob crebras malacias noxiosque tepores interitum, hisce

hisce ob dominatricem auram, salutem promittit perpetuam.

Unde facile est colligere Anni tempestates non tam immediate à Sole, ejusque motu, quam ipsa ventorum specie, astrorum aspectus diversitate, regionisque qualitate & situ peculiari discerni debere.

Quin in locis hisce Mediterraneis paulo versus Occidentem noctes sunt frigidiores quam in maritimis, usque adeo ut aliquando pruina capillos quibusdam riguisse constet.

Iisdem anni mensibus ab Ortu circa Oceanum æstas & siccitas, ab Occasu trans juga montium & paludes Brasiliæ, hyems nebulæ & pluviæ (Littori vero Brasiliæ nullæ objacent insulæ).

Cælum sæpe quidem nubibus ex Oriente versus Occidentem latis obductum videas, sed rarissimis & tenuissimis, exceptis diebus pluviis. Sol Oriens & Occidens immotis oculis aspici potest. Mira enim undique serenitas est, præsertim circa vesperam, quæ nullos unquam succedenti Lunæ tradit vapores vel nebulas, sed noctes reddit adeo claras, ut vetus & novilunium uno eodemque die conspiciantur, litteræque ad quadrantem Lunæ commode legi possint.

Æther pro diversitate adspectuum Planetarum, accedentibus causis inferioribus suas recipit intemperies. Crebris fulguribus absque tonitru cælum sub vesperam coruscat, tempestate vel maxime serena, sed sicca.

Pluviarum guttæ admodum sunt magnæ, graviqué decidunt impetu, quas suffocativus aliquando tepor præcedere vel sequi solet.

Ros hic Europæo tum pinguior, & nitro multo impregnatus fœcundior, tum multo penetrantior & tenuior, præcipue æstate, existit: quod patet in omni metallo & ferro inprimis (ut materias

minus solidas prætereamus) quas absque ullo nubium adminiculo facile exedit.

Prata & aprici campi minus æstate, sed mensibus potissimum pluviis (licet solum tunc habitantibus tristius videatur) lætissime virescunt, locaque messem negantia pabulis vigent. Hæc ex Pisone desumta sunt, quibus ad judicium rectius formandum adjungo ea, quæ ex aliis autoribus desumsi: Solum omne Brasiliæ assurgit in colles mediocres & amœnos: montes insigni aliqua altitudine nulli sunt in littoralibus, in solitudinibus tamen hinc inde nonnulli è longinquo conspiciuntur. Inter colles aridos, non ubique tamen, sed aliquot milliatium intervallo, valles interjacent singulæ exiguis aliquibus fluviolis irriguæ, atque ob id non pluviis tantum mensibus, sed & æstivis ipsis fertiles. Colles ipsis æstivis mensibus ob ardorem Solis sunt infrugiferi & penitus arescunt, ut non gramen tantum, sed & arbores interdum emoriantur. Raro per totum diem & noctem pluit, rarissime per aliquot dies continuos sine intermissione. Menses pluviales aliquantum variant. Anno 1640 (ut observavit Marcgravius) menses pluvii fuerunt septem, Februarius, Martius, Aprilis, Maius, Junius, Julius, Augustus; maxime autem & pene continuo Maius & Julius. Anno 1641 menses iidem septem pluvii, sed maxime & pene continuo, Aprilis, Maius & Julius. Anno 1642 menses maxime pluvii sex fuere, Martius, Aprilis, Maius, Junius, Julius & Augustus. Reliquorum annorum non multum dissimilis fuit ratio. Hæ autem observationes tantum de uno loco (non de omnibus Brasiliæ locis) accipienda sunt, nempe Pernambuca Præfectura, quæ octo circiter gradibus ab Æquatore distat. Namque non omnibus locis iidem menses æque pluvii, neque omnibus idem initium vel finis idem.

Ex

Ex hisce patet, Hyemem atque Æstatem Brasiliæ aliquomodo cælesti legi respondere, cum in maxima Solis distantia pluvias experiantur, in minima & mediocri versus Austrum fervorem: occurrunt tamen non pauca irregularia, quorum causa ex terræ situ ventorumque ratione petenda est.

18. Satis de America Australi: in Septentrionali aliter se habet. Etenim in Nicaragua provincia ampla, cujus medium decem gradibus removetur ab Æquatore versus Septentrionem, pluit integris sex mensibus, Maio, Junio, Julio, Augusto, Septembri, Octobri: reliquis mensibus æstus & siccitas, ut nocte iter facere debeant. Hæc autem contra cælestem legem, quippe Maio, Junio, &c. Sol hisce locis verticalis vel vertici vicinus existit, itaque tunc æstum debebant & siccitatem non pluvias experiri: in Novembri, Decembri, maxime distat: itaque tunc hyems pluviis debebat sævire.

Montes ad S. Martham (undecim gradibus ab Æquatore versus Septentrionem distat) nive plenunque teguntur.

Sic itaque totius Zonæ Torridæ præcipuorum locorum tempestates enarravimus, ex quibus inter se invicem collatis hæc colligimus. 1. In quibusdam locis vix sensile frigus aliqua anni parte sentiri, adeoque Hyemem pluviis potius, quam frigore in illis locis definiri. 2. In quibusdam locis frigus satis sensile vigere. 3. Nocturno tempore, præcipue ultima vigilia aërem gelidum sentiri propter Solis infra Horizontem depressionem. 4. Non minimam causam tolerabilis æstus & quod habitabiles sint regiones illæ, esse hanc, quod dies nulli ibi longi sunt, sed omnes fere noctibus æquales. Etenim si dies ibi tam longi essent Sole supra Horizontem commorante ac in Temperatarum & Frigidarum Zonarum locis, tum de-

mum procul dubio inhabitabiles vel difficulter habitabiles forent. 5. Ventos multum imminuere æstum Solis. 6. Loca diversis temporibus experiri Æstatem atque Hyemem, etsi in eodem Climate jaceant, imo sibi invicem valde vicina sint. 7. Loca illa, quæ contra Solaris accessus vel recessus rationem experiuntur siccitatem atque humiditatem, sive Æstatem & Hyemem, ita sita esse ut ab Oriente juga montium habeant, & ipsa Occidentem respiciant. Peruvia hic excipitur. 8. Nullam certam regulam tempestates in Zonæ Torridæ diversis locis observare. 9. Etsi plerique incolæ Torridæ Zonæ duas tantum in tempestates annum dividant, & plurimi Scriptores idem observent, nempe siccam & pluvialem, posse tamen non incommode in quatuor dividi, ut non tantum Æstas & Hyems, sed etiam Ver & Autumnus constituatur. Sicut enim in nostris locis Ver accedit ad Æstatis naturam, Autumnus ad Hyemis, ita quoque sicca tempestas locorum Zonæ Torridæ dividi potest. 10. In quibusdam locis continuam esse messem, in quibusdam duabus tantum anni partibus, in aliis una tantum anni parte.

Propositio XII.

Quomodo tempestates, Ver, Æstas, Autumnus & Hyems in locis Zonarum Temperatarum fiant & se habeant, explicare.

1. In hisce locis Causa illa, quam primo loco posuimus inter causas tempestatum Propositione prima hujus capitis (Solis nempe accessus & recessus versus loca), ita potens est respectu reliquarum causarum, ut ipsa sola fere constituat & moderetur illas. Nimirum in Zonæ Temperatæ Septentrionalis regionibus Ver & Æstas est Sole ab Ariete per Cancrum gradiente ad Libram, quia tunc propior illis est: deinde Sole à Libra per Capricor-

pticorum redeunte ad Arietem Autumnus atque Hyems. In Temperata Australi contrario modo se res habet. Neque causæ illæ reliquæ, primæ istius vires omnino tollere & contrarium inducere tempestatum rationem vel tempora transponere valent, ut in Torrida Zona.

2. Variant tamen eæ diversorum locorum tempestates, ita ut in uno loco sit major calor vel frigus vel pluvia quam in alio loco, etsi in eodem Climate loca jaceant. (Sed non efficiunt ut Hyems in Æstatem & Æstas in Hyemis tempus transeat.) nempe terra petrosa, paludosa, maritima alium aliquanto gradum caloris vel frigoris experitur, quam valles, argillacea terra, mediterranea, &c.

3. Loca Tropicis vicina pleraque in Æstate ingentem æstum sentiunt, quædam pluvialem tempestatem, ita ut ad locorum Torridæ Zonæ naturam fere accedant. Sic in regni Guzaratensis parte extra Tropicum jacente iidem fere pluvii menses & sicci observantur, qui in parte ultra Tropicum jacente, atque æstas mutatur in pluviam tempestatem. Nihilominus major tunc calor est (ut Solis vicinia postulat) quam in sicca parte anni, ubi mediocre frigus sentiunt: & vero in Temperatarum Zonarum locis Æstatem & Hyemem non ex siccitate vel pluviis, sed calore & frigore judicamus.

In littoribus vero Persiæ & Ormus tantus æstus sine pluviis in æstate propter Solis viciniam, ut noste in alveis aqua plenis somnum capiant tam viri quam uxores. Non minor calor in Arabia.

Per totam fere Barbariam (regiones Africæ ad mare mediterraneum ita appellantur) medio Octobri transacto occipiunt imbres atque frigus incrudescere, ut refert Leo Africanus: Decembri autem atque Januario (quod ubique fere accidit) frigus intentius aliquantulum percipitur: verum

hoc mane duntaxat, idque adeo remisse, ut nemo ignem magnopere curet. Februarius Hyemi bonam frigoris partem adimit, sed inconstans adeo, ut quinquies interdum aut sexies uno die incidat auræ mutatio. Martio mense, summo impetu flant Boreas atque Zephyri, efficiuntque ut totæ arbores floribus vestiantur. Aprilis omnibus propemodum fructibus dat formam, ita ut Maii initium & Aprilis exitus natura soleat dare cerasa. Medio Maio ficus ex arbore colligunt, medioque Junio uvas quibusdam locis maturas invenire licet. Autumni ficus, Augusto maturi decerpuntur, nulla tamen major ficuum atque malorum persicorum copia, quam in Septembri.

Nulla illis tanta anni intemperies, quin tres illos Veris menses semper temperatos habeant: Veris autem initium (*non cælesti sed terrestre hoc est*) ad decimumquintum Februarii diem constituunt, finem vero decimo octavo Maii annumerant; quo toto tempore aura illis perpetuo gratissima. Quod si à vigesimoquinto Aprilis usque ad quintum Maii nulla iis obtingat pluvia, sinistri quippiam ominis exinde colligere volunt. Æstatem computant ad decimumsextum usque Augusti, quo tempore cælo utuntur calidissimo atque serenissimo. Autumnum à decimaseptima Augusti usque in decimumsextum Novembris diem collocant, habentque duobus illis mensibus, Augusto videlicet atque Septembri, non tam ingentem. Id tamen tempus, quod inter xv Augusti ac xv Septembris includitur, ab antiquis totius anni furnum appellari consuevit, eo quod ficus, mala cotonea atque id generis fructus ad maturitatem perducere solet. A decimoquinto Novembris die principium hyemis numerant, quam in decimumquartum Februarii diem protrahi volunt. Ad hujus initium eam arare terram incipiunt, quæ in

in planicie est: in montibus vero Octobri mense agriculturam exercent. Certissimum sibi Africani persuasum habent, annum quadraginta dies habere calidissimos, quos à duodecimo Junii initium sumere volunt, contraque totidem frigidissimos, quos à duodecimo Decembris die inchoare dicunt. Æquinoctio ad decimumsextum Martii & xvi Septembris, Solstitia vero ad xvi Junii & xvi Decembris diem constituunt. Autumni finis, tota Hyems, bonaque Veris pars impetuosis plena ventis, quin & grandinibus, fulguribus, fulminibusque horridis discruciantur: neque deest multis Barbariæ locis nix copiosa. Maxime infestantur segetes à nive, idque præsertim, si nix interdiu cadere incipiat, cum seges floribus ornatur.

In Atlante monte (distat septem gradibus à Tropico Cancri) dividunt annum tantum in duas partes. Nam ab Octobri usque ad Aprilem continua illis Hyems est, & ab Aprili rursus in Octobrem Æstatem id tempus nominant (sicut nostrum vulgus): nullus vero datur dies, quo non montium summitates multa nive niteant.

In Numidia velocissime fluunt anni partes. Maio enim mense frumentum colligunt, Octobri dactylos: à medio autem Septembri frigus ingens in Januarium usque durat.

Octobri à pluviis abstinente, omnis agricolæ serendi spes adimitur: idem evenit, si Aprilis pluvialem secum non adferat aquam. Multos nivosos montes commemorat Leo in Africa esse non procul à Tropico Cancri.

Borealis pars Chinæ etsi non sit remotior ab Æquatore, quam Italia (nempe à 30 gr. latitudinis ad 42 gr. se extendit); tamen frigus haud paulo acrius videtur, inquit Trigautius. Nam & flumina permagna lacusque gelu concrescunt, cujus causa nondum satis explorata, nisi eam in

Tar-

Tartariæ nivales montes non remotos referamus: ad quæ frigora propulsanda, non infimis vulpium & Scythicarum mustelarum pellibus abundant.

Nova Albion etsi in 42 gr. latitudinis Borealis jaceat, adeoque non remotior sit ab Æquatore, quam Italia, tamen mense Junio adeo frigido urgebatur aëre, cum Draco Anglus istuc appelleret, ut hic versus Austrum remeare coactus sit, montes adhuc tum nive tecti erant. Causa est frigida terræ constitutio, petrosa nempe.

In Ægypto, quæ Tropico Cancri terminatur, (ut Prosper Alpinus narrat, l. 1. de Medic. Ægypt.) Ver atque anni tempus temperatum observatur Januario atque Februario. Æstas incipit cum Martio & Aprili, duratque Junio, Julio usque ad Augusti finem: Autumnus Septembrem & Octobrem tenet. Hyems Novembri & Decembri absolvitur. Sub Aprilis initium segetes succidunt, succisas confestim triturant, post vicesimum Maii nulla arista amplius in agris, nullus fructus in arboribus. Idibus Junii incipit inundatio Nili.

In freto Magellanico & adjacentibus regionibus, etsi non magis ab Æquatore distent quam nostra loca (sub 52 gr. latitud. australis) tamen æstatem non admodum calidam experiuntur, ita ut Belgæ mense Januario (qui ibi esse debebat ferventissimæ æstatis) glaciei frustum in sinu quodam freti invenerint; in montibus adjacentis littoris tota æstate nives conspiciuntur. Et in omnibus fere Zonæ Temperatæ Australis regionibus observatum est, quod longe intensius hyeme frigus & pluviarum impetum, æstate autem minorem calorem sentiant, quam Zonæ nostræ Temperatæ Septentrionalis provinciæ. An hujus rei causa sit, quod Sol in Septentrionalis Zodiaci semicirculo diutius hæreat & tardius progrediatur, quam in Australi, dubito.

In

In vicinia urbis Peruviæ, quam vocant *la valla Imperial*, in Provincia Potosi frigus magnum adeo deprehenditur, ut ad quatuor milliarium circuitum nihil ibi crescat.

In regno Chili, quod à 30 gr. latitudinis Australis ad 50 gr. se extendit, Ver sumit exordium à mense Augusto (citius, quam cælestis ratio patitur) & desinit in medium Novembrem: & à medietate Novembris æstas incipit usque ad medium Februarii, à quo Autumnus ducitur usque ad medium Maium, quem incipit hyems, quæ admodum nimbosa est & spoliat arbores foliis, & cum vehementi gelu spargit altam nivem, quæ tamen à Sole dissolvitur, nisi quod raro, Sole non comparente, ad aliquod dies durat. Raro autem nives accidunt vallibus. Nam licet copiosissimæ sint, & in tantum aggerentur, ut ad cacumina montium ascendant, & cum iis exæquentur, & in aperturis montium veluti in puteis coacerventur, & pene toto anno durent, ibidem dissolutæ inflant fluvios & torrentes, qui per valles cum magno impetu decurrunt usque in mare, & terras mirum in modum fœcundant. Verum licet hic non ningat, nisi raro in planicie, frigus facit tamen tam excessivum, ut in multis Europæ partibus vix tantum sentiatur; quod accidit partim ab altitudine poli, partim à vicinitate montium, è quibus descendunt venti subtiles & penetrantes, qui nonnunquam sunt insupportabiles. Unde fit ut loca maritima sint magis temperata.

Alias tempestatum differentias regionum in eodem Climate vel vicinis Climatibus sitarum studiosus harum rerum ipse colliget è Scriptoribus, ex. gr. quod in Anglia aër minus frigidus est quam in Belgio & Germania, ita ut armenta hyeme non includantur stabulis. Inter Siberiam & Tartariam loco non procul à Zona Frigida sito in fine Tem-

peratæ

peratæ nostræ Zonæ ager lætus & amœna pascua esse dicuntur, frigus nullum fere, cum hyemem vix sentiant, ubi ædificata est jussu Mosci urbs dicta Toorn, quæ hodie ita accrevit, ut Tartarorum insultus repellere valeat.

In Japonia (quæ à 31 gr. ad 39 latitud. Septentrionalis extenditur) Hyems frigida, nivosa, pluviosa, cum tamen aliæ regiones Europæ & Asiæ in eodem Climate jacentes minorem longe hyemis inclementiam sentiant. Causa est, quoniam Japonia ex multis insulis parvo Euripo disjunctis constat & in medio Oceano jacet.

In Armenia & vicinis locis ingens Æstate calor, quoniam inter montes hinc inde agris immistos jacet: unde ditiores alicubi æstate se conferunt in montium fastigia, atque aliquot menses ibi manent: minus opulenti die quidem in iisdem montibus se defendunt ab æstu, circa vesperam tamen descendunt.

Propositio XIII.

Quomodo in locis Zonarum Frigidarum, quatuor anni tempestates, Ver, Æstas, Autumnus & Hyems cum ipsa luce se habeant, explicare.

Causæ tempestatum illarum & luminis, propositæ in initio hujus Capitis, ita se habent in Zona Frigida.

1. Solis centrum aliquot diebus vel mensibus, (prout locus polo propior vel ab eo remotior) non oritur supra Horizontem, & totidem diebus non occidit.

2. Illis diebus, quando supra Horizontem est, radiis tantum obliquis loca illa illustrat, quia non admodum elevatur supra Horizontem, sed circa illum rotatur, quoniam loca illa à via Solari sunt nimis remota.

3. Sol non alte deprimitur infra Horizontem.

Imo

Imo in locis circulo polari sive Arctico vicinis, etsi Solis centrum non oriatur, tamen pars limbi Solaris aliquot diebus oritur & conspicitur supra Horizontem antequam ipsum centrum oriatur: quoniam dimidius Sol occupat quindecim minut. in cælo. Ex. gr. sumamus loca, quorum ab Æquatore distantia sit 67 grad. prope Arcticum circulum. Elevetur polus juxta hanc latitudinem, & in meridionali crena Horizontis videbis, quod non oriantur gradus Eclipticæ à 19 gr. Sagittarii ad 11 gr. Capricorni, hoc est Solis centrum in arcu illo existens non orietur viginti tribus diebus, nimirum à die x Decembris ad initium Januarii: & tamen pars limbi Solaris toto eo tempore erit supra Horizontem, nempe die xxi Decembris limbus stringet Horizontem: sed die x Decembris, ut etiam die 1 Januarii, Sol dimidius erit supra Horizontem, dimidius infra eum, quia centrum tunc est in Horizonte. Totus autem Sol supra Horizontem elevabitur, ubi Solis centrum tenebit x iv gradum Capricorni, hoc est die quarto Januarii circiter: item totus postremo apparebit, ubi centrum ejus occupabit 16 gr. Sagittarii, hoc est die septimo circiter Decembris.

Sed in locis, ubi elevatio poli est 70 gr. 75 gr. &c. ibi hæc differentia inter Orientem limbum & oriens centrum perexigua est, ita ut limbus vix uno vel sesquialtero die anticipet Solis centri ortum, nimirum declinatio Solis in illis punctis Eclipticæ, cum quibus Sol oritur in illo Horizonte, celerrime accrescit.

Ex eadem depressionis parvitate sequitur etiam, quod crepusculi luce ante ortum & post occasum Solis multis horis fruantur, & licet integris diebus Sol non oriatur, tamen vel omnibus diei horis vel multis lucem in aëre habeant.

Accedit alia causa, quæ facit ut Sol prius videatur,

tur, quam ſupra Horizontem elevetur, nimirum refractio radiorum ejus in atmoſphæra, de qua diximus capite XIX.

Inde enim fit, ut non tantum ipſe Sol prius conſpiciatur, quam ſupra Horizontem ſit elevatus & prius quam radius directe ab eo ad oculum poſſit pervenire, ſed etiam ut crepuſculi lumen citius illuſtret aërem, quam ſi abſque refractione hac eſſet. Exemplum apparentiæ Solis ex refractione ortæ afferemus in ſequentibus.

4. Luna plena & plenæ vicina multis diebus ſupra Horizontem manet, quando Sol infra eum depreſſus tenetur, nempe eo pluribus diebus, quo locus polo propior. Non tamen ita alte elevatur ſupra Horizontem, ut aliquam caleſaciendi facultatem obtineat. Luna autem plena iis menſibus, quibus Sol infra Horizontem commoratur, eſt ſupra Horizontem multis diebus: iis vero menſibus, quibus Sol ſupra Horizontem manet integra revolutione, Luna plena nunquam ſupra Horizontem eſt.

5. Stellas fixas ſemper eaſdem fere habent ſupra Horizontem; planetas non item. Saturnus enim quindecim annos commoratur ſupra Horizontem locorum polo vicinorum, quindecim annis infra eum: Jupiter, ſex annis infra, ſex ſupra eundem Horizontem: Mars uno anno: Venus & Mercurius ſemiſſe anni circiter. Ex hac cauſa magnam diverſitatem motuum aëris & tempeſtatum in diverſis annis fieri veriſimile eſt.

6. Terra in Zonæ frigidæ pleriſque locis eſt ſaxea, petroſa & lapidis inſtar dura, in paucis locis bituminoſa, argillacea, & ſulphurea atque pinguis. In hiſce locis mediocris fœcunditas, in illis ſterilitas.

7. Regiones illæ mari cinguntur, de mediterraneis nondum liquido conſtat.

8. Quæ-

8. Quædam ex regionibus Zonæ Frigidæ habent mediocris altitudinis montes, pleræque vero montibus carent, & plana exporriguntur superficie in vasta spatia.

9. Venti à polari plaga frigidi frequentissime ibi spirant, raro Euri, rarius Zephyri. In Arctica frigida furunt Septentrionales: in Antarctica Australes.

10. Nebula & pluvia frequentissime vexant regiones hasce.

Ex hisce jam non est difficile colligere qualis tempestatum conditio in hisce regionibus sit. Etenim tempore hyemis, cum Sol integris diebus non oriatur, fieri aliter nequit, quin densæ nebulæ plerunque, frigus vero & gelu continuum inhabitabiles reddat terras. Luce quidem non destituentur omnino continuo eo tempore: quippe & Luna supra Horizontem existens multo tempore præbebit lumen, & crepusculum à Sole Horizonti vicino quotidie concedetur. Sed utramque causam nives, nubes, pluviæque impedire valent. Crassæ nebulæ circa terram hærent cum Solis calore non discutiantur, adeoque remotarum rerum aspectum prohibent. Fertilitas nulla, omnia fere inculta & aspera. Quod enim quidam opinantur, quo propior regio aliqua sit polo, eo minorem frigoris intensionem sentiri, atque magis fertiles agros & campos repertum iri, id mihi verisimile non fit, cum neque in Nova Zembla, quæ gradibus 16 distat à polo, neque in Spitzberga, quæ gradibus duntaxat octo, talis terræ constitutio reperta sit, sed asperitas atque durities, & mediâ fere æstate nives vel certe imbres ventique frigidissimi. Neque juvat illorum opinionem unicum exemplum à nautis observatum in regione quadam novem gradibus distante à polo, quam Groenlandiæ partem esse arbitrantur plerique. In hac enim her-

herbam virentem repertam esse & aërem multo tepidiorem quam in Nova Zembla, certum est; animalia vero non alia, præter Rhenocervos, quæ species Septentrionalibus regionibus propria existit. Hi cervi unius mensis spatio ita pingues redduntur pastu herbæ illius, ut sapidissimam præbeant carnem.

Verumenimvero cum nondum hactenus plures hujus conditionis regiones repertæ sint in Zona frigida, non licet ex illo singulari exemplo generalem conjecturam facere, præsertim cum causa peculiaris illius constitutionis manifesta sit. Terra enim ea paludosa & uliginosa est, & herba illa, qua pasti cervi impinguantur non est graminis terrestris species, sed ulva & alga. Aliæ vero herbæ nullæ ibi repertæ neque arbores. Ex quibus colligere licet, terram illam pinguem aliquam atque sulphuream substantiam continere, quæ aqua marina mixta vel etiam fluviorum aqua talem oleosam & impinguantem algam proferat. Similem vero terram reperiri in aliis Frigidæ Zonæ locis, nondum est observatum, sed contrarium potius.

Hyeme itaque in hisce locis parum lucis, sed frigoris, nivis, imbrium & ventorum polarium magna & incredibilis sævitia, atque ea incipiet in Boreali Frigida Sole primum Capricorni ingresso, etsi Autumnus quoque Sole à 1 gr. Libræ ad 1 gr. Capricorni eunte ab hyemis sævitia parum absit. Vere minor quidem est inclementia aëris, non tamen sine nivibus, imbribus, & polaribus frigidis ventis: incrementum tamen caloris de die vel potius frigoris decrementum sentitur eo tempore, nempe Sole à 1 gr. Arietis ad 1 gr. Cancri eunte. Atque in hoc tempore verno vel ejus posterioribus diebus Sol integris circumvolutionibus commorabitur supra Horizontem, atque ideo

tunc

tunc calor mediocris sentietur, qui tamen non ejus est vigoris, ut nives omnium locorum liquefaciat & resolvat in aquam, multo minus glaciem; unde nautæ perhibent, nives hic atque glaciem reperiri æternæ ætatis: æstas deinde erit Sole à 1 gr. Cancri ad 1 gr. Libræ tendente, in cujus priori parte Sol adhuc integris diebus supra Horizontem manet & calorem aliquâ accessione auget, ita ut Junius, Julius & Augustus menses sint clementis & tolerabilis aëris, in quibusdam locis inter montes Solis calor intensus. Sed hanc Solis benignitatem sæpissime impediunt imbres & nebulæ, ventique Septentrionales durissimi, quibus interdum nix adjungitur, ita ut nullæ hic fruges neque frumentum ad maturitatem possint pervenire, exceptis quibusdam locis Arctico circulo vicinis.

Ut de hisce lectores rectius judicare queant, commodum fuerit ea hic recensere, quæ Belgæ in Zona frigida aliquando commorantes observarunt, cum ad fretum Waigats & Novam Zemblam navigassent. Adolescentes quoque hic reperient, quibus globi usum magis sibi familiarem reddant.

Die XIII Junii, Anno 1594 (Calendarii novi) sex milliaribus circiter à Nova Zembla cum Sol non occideret illi loco, dimensi sunt minimam ejus altitudinem, nempe cum in Meridiano mediæ noctis esset, atque ex ea invenerunt latitudinem loci, ubi erant, 73 gr. 25 min.

Die XIII Junii in latitudine 77 gr. 20 min. occurrerunt copiosæ glaciei, quæ totum mare videbatur opplere, quantum ex specula mali cognosci poterat.

Die XXI Augusti fretum Waigats nondum transire navis poterat propter glaciei copiam, quæ ex Oceano Tartarico in illud ferebatur, atque

que hoc impedimentum tota æstate senserunt, ita ut rebus infectis coacti sint in Hollandiam redire.

Ex alia navigatione. Die v Junii Solis altitudo meridiana minima, quia non occidebat illi loco, ubi erant, deprehensa fuit 1 gr. Ex quo collegerunt latitudinem illius loci esse 74 gr. mare glacie tectum conspiciebatur.

Die xix Junii deprehenderunt ex Solis altitudine, latitudinem loci, ubi tunc erant, 80 gr. 11 min. circa Groenlandiam vel Spitzbergam, Angli littora lustraverunt usque ad 82 gr. latitudinis, sed mare media æstate glacie ita constrictum invenerunt, ut terræ pars vel illi adhærere videretur. Densa præterea nebula & crassus vapor supra aquam ferebatur, ut vix prospectum concederet.

Die xi Augusti anno 1596 in latitudine 76 gr. circa Novam Zemblam invenerunt glaciem ad fundum usque maris continuam: die xxvii navis à glacie ita cincta fuit, ut in Nova Zembla commorari coacti sint per hyemem Sole carentem.

Die xxvii Septembris frigus, adeo sævum, ut vix tolerarent: nives continuæ: terra gelu constricta nullam fossionem neque adhibito igne regelationem concedebat.

Die primo Novembris Sol parum admodum supra Horizontem elevabatur in australi plaga: Luna vero pleno orbe elevabatur in plaga Septentrionali & integra fere circumvolutione commorabatur supra Horizontem.

Die secundo Novembris Solem Orientem conspiciebant in plaga, quæ tertia numeratur ab Austro (Zuyd-Zuyd-Ost) sed non totus Solis orbis oriebatur, verum in Horizonte ferebatur, quasi secundum telluris longitudinem procederet.

Die tertio Novembris Solem oriri conspiciebant

bant in plaga secunda ab Austro (*Zuyd ten Oosten*) non quidem ipsum Solem, sed limbum spectare poterant, etsi è mali specula illum contemplarentur, reliquum corpus infra Horizontem delitescebat.

Die quarto Novembris, etsi aër quietus esset, nihil tamen amplius de Sole conspiciebant, quia infra Horizontem manebat. Luna contra integris diebus erat supra Horizontem. Erat enim plena. Frigus hisce & sequentibus diebus vehementissimum, vix igni cedens: nives & venti continui.

Die IX, X, XI Decembris aër serenus, sed adeo frigidus, ut cum eo nostræ hyemis frigus vix comparari mereatur. Stellarum circumrotatio jucundum præbebat spectaculum.

Toto hoc tempore Sol quidem non oriebatur, luce tamen circa meridiem inprimis ex crepusculo fruebantur. In his enim locis hyeme crepusculum facit meridiem.

Die XIII Januarii aër fuit serenus. Atque ex hoc tempore senserunt insigne crepusculi lucis accrementum, frigoris remissionem aliquam, & levem in meridie calòrem.

Die XXIV Januarii aër serenus. Hoc die primum viderunt in Australi Horizonte Solis limbum, & sequentibus diebus totum Solem elevatum supra Horizontem.

Die secundo Maii ventus impetuosus glaciem ex aliquibus Oceani partibus removebat. Calor quibusdam diebus parvus, plerisque venti frigidi, nives & imbres, &c.

In hisce observationibus illud inprimis considerationе dignum videtur: Cur Sol desierit apparere die secundo Novembris, cum tamen propter refractionem (quæ deinde effecit, ut novendecim diebus Sol citius apparuerit, quam depressio ejus infra Horizontem admittebat) tardius multo debuisset

buisset non apparere? Diversitas atmosphæræ seu aëris aliquid in hoc negotio efficere posse videtur, quoniam Sol accedens ad Horizontem post trium mensium absentiam, invenit hic aërem crassiorem & densiorem, quam is aër erat, cum priori anno post longam moram infra Horizontem occultaretur: Verum ut tot dierum differentiam hæc aëris diversitas procreare possit dubito. Atque aliter observatum est ab illis, qui anno 1634 in Spitzberga hyemem egerunt. Hisce enim Sol desiit apparere die XX Octobris, & rursus post longam absentiam apparere incepit die XXIV Februarii anno 1635, qui dies æqualiter fere absunt à die Brumæ XXI Decembris: nimirum à XX Octobris ad XXI Decembris sunt dies LXI, & à XXI Decembris ad XXIV Februarii sunt dies LXV. Et vero in posteriori annotatione facile aliquot diebus errarunt. Namque lecto decumbentes non animadverterunt Solem die XX, XXI, XXII Februarii Orientem: potest etiam esse ut in meridie forte dormierint, vel ut pluviæ & nubes aspectum Solis impedierint.

CAPUT XXVII.

De Umbris, quas corpora in Tellure erecta & à Sole illuminata spargunt, atque de Divisione Telluris inde orta.

CUm in diversis Telluris locis umbræ, quas corpora à Sole illuminata spargunt, admodum diversas in plagas ferantur & in sensum incurrentes varietates experiantur, inde factum est, ut homines hanc diversitatem, cujus causam ignorabant, admirati sint, atque respectu umbrarum Telluris incolas in tres quasi species distribuerint (quæ tamen divisio ipsis Telluris locis sive superficiei

ſciei applicanda eſt); ut quoſdam appellaverint Amphiſcios, alios Heteroſcios, reliquos Periſcios. Quorum explicatio cum exiguam contineat doctrinam, nos quædam alia de Umbris adjiciemus, quæ etſi ad Geogtaphiam non pertineant, tamen propter affinitatem materiæ adoleſcentibus hoc capite proponi poſſunt.

Umbræ accipiunt denominationes ſuas à plagis mundi, in quas ſparguntur, ut umbra Orientalis, quæ in Orientem tendit Sole in Occidente conſtituto: contra, umbra Occidentalis, quæ in Occidentalem plagam abit. Sed præcipue hic conſideratur Umbra Meridiana, quæ in plano Meridiani ſita eſt, ſive quæ projicitur à corporibus perpendiculariter erectis vel in Meridiani plano ſitis, Sole Meridianum obtinente: eſtque duplex, Septentrionalis, & Auſtralis.

Heteroſcii dicuntur incolæ illius partis Telluris, ubi corporum erectorum umbræ meridianæ omnibus anni diebus alterutrum in polum conſtanter feruntur.

Periſcii dicuntur incolæ illius partis Telluris, ubi corporum erectorum umbræ uno eodemque die in omnes Horizontis plagas circumferuntur, ſive ubi umbræ meridianæ uno die utramque Meridiani ad plagam ſparguntur.

Amphiſcii dicuntur incolæ illius partis Telluris, ubi corporum erectorum umbræ meridianæ quibuſdam anni diebus ad Septentrionem, aliis ad Auſtrum ſparguntur.

Sed ne loca Tropicorum excludantur, rectius pro tertia hac ſpecie ſubſtituuntur Aſcii, quorum umbra meridiana aliquo anni die nulla eſt. Et hi ſubdividentur in duas ſpecies, Amphiſcios nempe, & Heteroſcios: Aſcii Amphiſcii dicuntur, quorum umbra meridiana quibuſdam anni diebus, duobus nimirum, nulla eſt, quibuſdam in Septentrionem,

quibusdam in Austrum fertur. Ascii heteroscii dicuntur, quorum umbra meridiana uno anni die nulla est, reliquis in alterutram meridiani plagam constanter projicitur.

PROPOSITIO I.

Umbræ corporum erectorum supra Horizontale planum cadunt in plagam oppositam illi, in qua Sol existit.

Optici & Gnomonici dicere solent, umbram, opacum & luminosum esse in uno plano: terminus autem umbræ, extremitas opaci & Sol sunt in una recta linea.

Quoniam enim opacum, umbra & linea ab extremitate opaci ad extremitatem umbræ concepta faciunt Triangulum, omné vero Triangulum in uno est plano, ideo tres illæ lineæ in uno erunt plano: Est autem Sol in linea extremitatem opaci & umbræ conjungens. Itaque Sol etiam in eo plano erit. Porro erectum corpus est rectum ad planum Horizontale. Quare planum per illud ductum, nempe Trianguli dicti, est etiam rectum ad illud Horizontale planum, & ideo in verticali plano situm. Et quoniam corpus erectum tanquam vertex inter Solem & umbram situm est, ideo umbra & Sol erunt in plagis oppositis.

Umbræ hujus, quam stylus erectus à Sole illuminatus spargit, tres partes constituuntur, nempe umbra densa, centralis & penumbra. Densa umbra dicenda est, quam terminat radius è superiori Solis limbo veniens. Umbra centralis dicitur, quæ inter radium superioris limbi & centralem radium intercipitur. Penumbra dicitur, quæ inter centralem radium & inferioris limbi radium intercipitur.

PRO-

PROPOSITIO II.

Incolæ locorum Telluris, quæ in Tropico Cancri & Capricorni jacent, sunt ascii heteroscii.

Quando enim Sol in primo gradu Cancri versatur, eo die corpora erecta in aliquo Tropici Cancri puncto umbram absorbent Sole meridianum eorum occupante, quia Sol tunc perpendiculariter è vertice imminet Horizonti, atque ideo omnia ejus loca illuminat, neque ullus radius ab erecto opaco impeditur quam iste, qui perpendiculariter in Horizontis planum decidit, atque ideo in ipsum opacum impetit.

Aliis vero anni diebus, quoniam Sol à vertice locorum Tropici declinat versus Austrum, ideo umbra spargetur in meridie versus Septentrionem, nunquam versus Austrum. Contra in locis Tropici Capricorni omnibus diebus spargetur versus Austrum (excepto uno die, quo nulla umbra erit) nunquam versus Septentrionem.

PROPOSITIO III.

Incolæ Zonæ Torridæ sunt ascii amphiscii.

Assumatur in globo locus aliquis Zonæ Torridæ, & adducatur ad Meridianum, atque cretâ applicatâ describatur parallelus latitudinis, qui Eclipticam secabit in duobus punctis. Quando itaque Sol in hisce Eclipticæ punctis erit, describit circumvolutione suâ diurnâ parallelum qui directe imminebit descripto parallelo: Atque ideo duobus diebus, quibus puncta illa Eclipticæ obtinebit, in assumto loco & omnibus in descripto parallelo sitis, verticalis erit in meridie, & omnia Horizontis loca illustrabit: ideoque nulla umbra hisce duobus diebus spargetur: & incolæ erunt ascii. Reliquis vero anni diebus non erunt ascii, sed umbra meridiana spargetur vel ad Septentrio-

nem vel ad Austrum : ad Septentrionem quidem, dum Sol movetur in ea Eclipticæ parte, quæ à duobus illis punctis antea signatis versus Austrum jacent, contra, ad Austrum, dum Sol movetur in ea Eclipticæ parte, quæ à duobus illis punctis versus Septentrionem sita sunt.

PROPOSITIO IV.

Incolæ Zonarum Temperatarum sunt Heteroscii.

Quoniam enim Sol omnibus anni diebus in meridie versus eandem plagam, Austrum nempe, removetur à Temperatæ Borealis Zonæ locis, & contra versus Septentrionem à locis Temperatæ Australis Zonæ, sequitur ex Propos. prima hujus, quod umbra meridiana locorum Zonæ Temperatæ Borealis, in eandem plagam, Septentrionalem nempe, tendant omnibus anni diebus, contra in Australem in locis Zonæ Temperatæ Australis.

PROPOSITIO V.

Incolæ Zonarum Frigidarum sunt Periscii.

Quoniam enim hisce locis Sol aliquot anni diebus non occidit, sed supra Horizontem circumvolvitur, necessarium quoque est ut umbra in omnes plagas circumferatur, atque Sole in superiori meridiani semicirculo existente umbra spargetur versus Septentrionem, deinde vero, ubi Sol in inferioti meridiani semicirculo extiterit, umbra feretur versus Australem plagam.

PROPOSITIO VI.

Dato loco Zonæ Torridæ, invenire dies anni, quibus ascii erunt incolæ illius loci, & quibus diebus umbræ in Septentrionem, quibus in Austrum ferentur.

Inveniantur dies anni, quibus Sol verticalis sit dato loco, illi erunt dies, quibus ascii erunt incolæ

colæ dati loci, nimirum agendum est juxta modum in Propositione III hujus monstratum.

Propositio VII.

Dato die anni, invenire illa Telluris loca in globo, quibus incolæ ascii sunt eo die.

Inveniantur loca, quibus Sol verticalis fit dato die anni, juxta Propos. IX, cap. XXIV. Illa loca erunt ea, quæ quæruntur.

Propositio VIII.

Dato Zonæ Frigidæ loco, invenire dies anni, quibus incolæ illius periscii sunt.

Inveniantur dies anni, quibus Sol non occidit in dato loco, juxta Proposit. X, cap. XXIV. Illi dies sunt quæsiti.

Propositio IX.

Dato die anni, invenire loca Zonæ Frigidæ, quorum incolæ periscii fiant eo die, ita ut hic dies primus sit.

Inveniantur ea loca Zonæ Frigidæ, quibus Sol dato die primum non occidere incipit. Illa erunt quæsita.

Propositio X.

Locis in Æquatore sitis umbra meridiana semisse anni cadit versus Septentrionem, altera semisse versus Austrum. Diebus autem æquinoctiorum sunt incolæ ascii.

Quoniam enim Sol unâ semisse anni ab Æquatore recedit versus Austrum, altero versus Septentrionem, umbræ autem feruntur in plagam oppositam plagæ Solis, inde fit, ut semisse anni unâ umbræ meridianæ ferantur in Septentrionem, altera in Austrum.

Propositio XI.

Supra planum Horizontale nostri loci constituere planum aliquod, in quo erecti styli perpendiculares sint ascii quibusdam anni diebus, quibusdam anni diebus umbræ meridianæ ferantur versus Septentrionem, aliis versus Austrum, hoc est, in quo umbræ meridianæ ita projiciantur, sicut in loco aliquo Zonæ Torridæ dato.

Latitudo loci Zonæ Torridæ dati auferatur à latitudine nostri loci, si latitudines fuerint cognomines; sed si diversæ speciei, addantur ambæ latitudines, & residui gradus asserventur. Deinde in plano Horizontali inventâ lineâ meridianâ & lineâ Æquatoris, quæ ad meridianam est perpendicularis, erigatur supra hanc Æquatoris lineam planum aliquod, ita ut inclinet supra Horizontem tot gradibus quot antea asservati sunt, nimirum ut angulus inter hoc planum & Horizontis nostri eam partem, cui polus vicinior est, sit tot graduum, quot asservati fuerint. In hoc plano erecti styli projicient tales umbras, ac si in loco dato Zonæ Torridæ essent erecti.

Propositio XII.

In locis situ in Æquatore umbra styli perpendiculariter erecti diebus æquinoctiorum integris in una manet recta linea, sive ante meridiem projicitur in unam continue plagam Occidentis, post meridiem in plagam Orientis. Diebus autem anni reliquis in semicirculum umbra quotidie circumfertur.

In locis extra Æquatorem in Zona Torrida sitis, dum Sol movetur in parte Eclipticæ, quæ inter verticem loci alicujus & vicinum Tropicum interjacet, umbræ minorem semicirculo partem subjectæ superficiei pererrant. In locis Zonarum Temperatarum, dum Sol movetur in remotiori

ab

ab illis semiciculo Zodiaci, umbræ minorem semicirculo superficiem perreptant, majorem vero, dum Sol viciniorem Zodiaci semicirculum percurrit. Diebus æquinoctiorum, umbra erecti styli in omnibus Telluris locis (excepto æquatore & polo) in semicirculum circumfertur.

Hæc omnia partim ex inspectione globi, partim ex declinatione Diagrammatum nota & perspicua fient.

PROPOSITIO XIII.

In locis Zonæ Torridæ, dum Sol versatur in arcu Ecliptica inter Tropicum vicinum & loci parallelum intercepto, illis diebus umbra styli erecti bis regreditur & relictas lineas repetit, semel nempe ante meridiem, semel post meridiem. Ipse quoque Sol hisce diebus cursum suum inflectere videbitur.

Sumatur in globo locus aliquis Zonæ Torridæ, & polus elevetur juxta ejus latitudinem, atque describatur parallelus loci, qui Eclipticam secabit duobus punctis. Dico, quod dum Sol movetur in arcu Eclipticæ intercepto inter hunc parallelum & vicinum Tropicum, illis diebus Sol bis videbitur regredi, umbra quoque styli perpendicularis bis regredietur & relictas lineas repetet. Assumatur quodlibet ex illius arcus punctis, & describatur parallelus Solis, quem nimirum Sol in illo puncto existens describit per diurnam circumvolutionem, ex. gr. sumatur 1 gr. Cancri vel Capricorni & ipsorum Tropicorum alter, sic non opus erit paralleli descriptione. Deinde applicetur quadrans vertici. Et applicetur ad paralleli aliquot puncta, donec ad punctum perveniatur, in quo quadrans tangit parallelum. In hoc enim situ vel in hac plaga Sol existens inflectere videbitur cursum suum versus verticem loci, & umbra incipiet regredi à linea Æquatoris versus Meridianam.

Eodem modo si Occidentali parti paralleli applices quadrantem, videbis in illo puncto, in quo quadrans tangit parallelum, Solem relictas plagas repetere & occidere in plaga illa, in qua ante aliquot horas jam fuerat.

Diagrammate, quod amplum satis sit, magis perspicua fiet propositionis veritas. Locus aliquis in Zona septentrionali Torrida sit L, in quo stylus erectus esse concipiatur. Ponamus Solem in initio Cancri versantem & parallelum A B C D E F describentem oriri in plaga L A, erit umbra La. Deinde umbra progredietur versus L o c, donec perveniat ex. gr. in L c (namque in ipsam L o cadere nequit). Ubi Sol erit in plaga ea, quæ tangit ipsius parallelum, nempe in L C. Hic incipiet regredi Sol versus plagam L A, nempe in arcu C G H, & ideo umbra ex L C regredietur versus L a, & sic perveniet demum in Meridianam lineam L m. Ita post meridiem, postquam Sol à plagis L F, L E, pervenit ad plagam L D, quæ tangit parallelum in D, redibit ad priores plagas L E, L F, ubi occidet. Interim umbra eodem modo regredietur, neque ubi ab L m pervenit ad L d, remeabit versus L m usque in L f, ubi Sole Occidente in L F umbra cessabit.

Corollarium. Non itaque præter naturam est, umbram in horologiis sciathericis regredi: sed tum demum miraculum est, si id subito fiat insigni spatio, item si lineas horarias repetat, nempe si stylus non sit perpendicularis, sed axi mundano parallelus: imo etsi sit perpendicularis, non tamen lineæ ipsius umbræ indicant horas, sed lineæ umbrarum axis mundi, cujus pars mente concipitur in horologiis, si absit.

PROPOSITIO XIV.

Dato loco in Zona Torrida, & die uno ex illis, qui-

quibus Sol cursum suum inflectere & umbra styli perpendicularis regredi videtur, invenire plagam in qua Sol tunc erit, & horam quando id fiet.

Elevetur polus pro dati loci latitudine, & locus Solis ad datum diem inveniatur & in Ecliptica notetur, describaturque cretâ parallelus, quem Sol in eo puncto existens describit. Quadrans applicetur vertici & ita circumducatur, donec descriptum parallelum tangat: ita extremitas quadrantis in Horizonte monstrabit plagam quæsitam. Ut autem hora inveniatur, notetur id paralleli punctum, in quo contactus fit, Index ad horam XII cycli collocetur, & volvatur notatum paralleli punctum ad meridianum. Index monstrabit, quot horis ante & post meridiem regressus incipiat.

Propositio XV.

Umbrarum longitudo decrescit, accrescente Solis altitudine; & contra, decrescente Solis altitudine, Umbra accrescit: nimirum ab ortu ad meridiem decrescunt, & à meridie ad occasum iterum accrescunt umbræ.

Sol enim eo propior fit styli vertici, quo magis elevatur supra Horizontem: igitur radius Solis umbram terminans etiam fit propior stylo, & propterea umbra brevior evadit. Porro in meridie Sol maximam habet altitudinem: umbræ itaque longitudo tunc minima erit. In ortu vero & occasu altitudo Solis nulla: itaque umbræ longitudo infinita tunc erit.

Propositio XVI.

Datâ longitudine styli & umbræ invenire Solis altitudinem supra Horizontem, atque inde horam diei, si præterea nota sit latitudo loci & dies anni.

Longitudo styli, umbræ, & radius terminans

umbram faciunt Triangulum rectangulum. Itaque instituatur proportio juxta Propos. xv capit. secundi. Ut longitudo umbræ ad longitudinem styli, ita sinus totus ad tangentem anguli, qui indicat altitudinem Solis.

Deinde ex altitudine hac & latitudine loci atque die anni invenietur hora diei Propos. III capitis XXIX.

PROPOSITIO XVII.

Datâ semidiametro Solis & Telluris, atque Solis à Tellure distantia, investigare umbræ, quam tota Tellus spargit in cælum, longitudinem.

Umbra Telluris Conica est, ut optici demonstrant, & facile ostenditur per Diagramma. Itaque verticis hujus Coni, qui Lunæ Eclipsin facit, distantia à Tellure quæritur: Ea invenitur per hanc proportionem: Ut differentia semidiametrorum Solis atque Telluris ad distantiam datam: ita semidiameter Telluris ad longitudinem umbræ Telluris sive ad axem Coni umbrosi.

PROPOSITIO XVIII.

Datâ Lunæ à Tellure distantiâ & umbræ Telluris longitudine, invenire quanta Lunæ pars obscuranda sit, sive quanta Eclipsis futura sit, si Luna in ipsa Ecliptica hæreat.

Instituatur regula trium juxta hanc proportionem: Ut longitudo umbræ ad excessum hujus longitudinis supra Lunæ distantiam: ita semidiameter Telluris ad semidiametrum coni umbrosi Telluris eâ parte, ubi Luna eum ingreditur.

Deinde: Ut distantia Lunæ ad semidiametrum umbræ inventam: ita sinus totus Canonis ad tangentem anguli visionis, quem dimidia illa umbræ diameter in oculo nostro subtendit: quæ si duplentur, habetur angulus visionis pro integra diame-

tro

tro umbræ illius. Cum hoc angulo conferatur angulus visionis sive semidiameter apparens Lunæ, qui in oppositione Solis sive tempore Eclipsis.

Ex hac comparatione innotescet quantitas obscurationis, quam si in digitis habere cupis (qua mensura exprimere solent Astronomi Eclipsis magnitudinem, & ipsam Lunæ semidiametrum apparentem, quia hæc est duodecim circiter digitorum latitudinis) institues regulam proportionis hoc modo: Ut Diameter Lunæ ad 12 digitos, ita diameter apparens umbræ sive angulus visionis ad digitos Eclipticos.

Propositio XIX.

Quo loca Telluris ab Æquatore vel à parallelo Solis, quovis die, sunt remotiora, eo tam umbra meridiana, quam reliquarum horarum umbræ sunt longiores.

Quoniam enim Sol à vertice eorum locorum est remotior, ideo radius quoque Solis umbram terminans à stylo est remotior, ac proinde umbra eo longius protenditur.

Propositio XX.

Si supra planum aliquod constituatur stylus tali ratione, ut sit pars axis mundi, sive ut axi illi parallelus sit, umbra ejus styli ad aliquam horam cadet in eam planissius lineam, in qua planum hoc secatur à circulo maximo horario sive declinationis sive à Meridiano, in quo Sol ad eam horam existit.

Etenim umbra axis mundi sive styli ita constituti cadit in circuli horarii vel meridiani (in quo Sol existit ad aliquod temporis momentum) planum, neque enim extra hoc planum cadere potest, cum Sol, opacum & umbra in uno sunt plano, ut Propos. prima dictum. Atqui eadem umbra styli cadit in planum, supra quod constitutus est.

ſtylus. Quare cum umbra hæc ſit in hoc plano, & ſit quoque in plano meridiani, quem Sol ad horæ aliquod momentum vel initium tenet, inde ſequitur, quod umbra iſta cadat in communem ſectionem plani hujus & plani Meridiani vel circuli horarii. Si enim linea aliqua ſit in duobus vel pluribus planis, erit in communi horum planorum ſectione.

PROPOSITIO XXI.

Horologium ſciathericum æquinoctiale deſcribere.

Debet planum aliquod ex ligno, charta, ære vel alia materia confectum erigi ſuper Horizontem tot gradibus, quot gradibus Æquator elevatur ſupra Horizontem illum, ſive quot gradus ſunt in complemento latitudinis loci.

Antequam autem erigatur, commodius eſt Sciatherici lineas ducere. Aſſumatur itaque in eo plano punctum pro libitu, atque ex eo tanquam centro deſcribatur peripheria circuli: ducatur per idem centrum linea Horizonti parallela, ſive communi ſectioni Æquatoris & Horizontis, quæ erit linea umbræ horæ ſextæ veſpertinæ & ſextæ matutinæ. Huic ex centro perpendicularis ducatur, quæ erit horæ XII umbra. Deinde dividatur uterque quadrans in tres partes, & ſingulæ harum trium in duas, ita ut ſex arcus in unoquoque habeantur, quorum ſinguli erunt quindecim graduum, atque ex centro ducantur ad arcuum terminos lineæ rectæ, hæ erunt lineæ umbrarum pro reliquarum horarum initiis, quæ inter XII & VI cadunt, quarum numerus & ordo aſſcribendus eſt extremitatibus ductarum linearum: iidem arcus quindecim graduum infra Horizontalem lineam in deſcripta peripheria ſunt ſumendi, pro horis ante VI matutinam & poſt VI veſpertinam, & lineæ

neæ umbrarum ducendæ. Ex centro erigendus est stylus perpendicularis.

Deinde in plano Horizontali (si Sciatherici planum nondum sit erectum) invenienda est linea meridiana, & linea ortus atque occasus æquinoctialis, atque supra hanc planum sciatherici collocandum, ut linea Horizontalis sciatherici sit parallela lineæ isti ortus atque occasus. Ita umbra styli monstrabit horarum initia ad quemlibet anni diem.

Sed quia Sol hujus plani superficiem unam semisse anni tantum illustrat, & alteram altera semisse, ideo in utraque superficie sciathericum dicto modo construendum, ut in una facie tempore Veris & Æstatis, in altera tempore Autumni & Hyemis umbrarum beneficio horæ innotescant.

Facili quoque opera in sciatherico hoc æquinoctiali delineantur circuli qui locum Solis in Ecliptica vel ingressum Solis in duodecim Zodiaci signa indicent, atque parallelos repræsentent, quos Sol in cœlo circumvolutione sua describit. Assumatur enim certa styli magnitudo, atque ea accurate dividatur in decem partes, & harum decem una in alias decem, ut tota linea in 100 particulas secta esse concipiatur. Deinde ex Tabula Declinationum Solis excerpantur declinationes 5 gr. Arietis, 10 gr. 15 gr. 20 gr. 25 gr. 30 gr. sive 1 gr. Tauri, 15 gr. Tauri, 1 gr. Geminorum, 15 gr. Geminorum, 1 gr. Cancri. Harum declinationum complementa ad 90 gr. sumantur & ex Canone Mathematico Tangentes complementorum illorum.

Porro ex centro horologii intervallo Tangentis complementi 5 gr. Arietis describatur peripheria circuli; hæc denotabit Solis ingressum in 5 gr. Arietis & 25 gr. Virginis, & parallelum Solis pro eo die, nimirum cum umbræ extremitas

diurna

diurna circumrotatione in descriptam hanc peripheriam incidet, indicium erit, Solem in 5 gr. Arietis existere vel 25 Virginis. Eodem modo describantur peripheriæ intervallo complementorum 10 gr. Arietis, 20 gr. Arietis, 1 gr. Tauri, 15 gr. Tauri, 1 gr. Geminorum, 15 gr. Geminorum, 1 gr. Cancri. Hæ denotabunt parallelos Solis existentis in illis punctis, & simul in punctis 20 gr. Virginis, 10 gr. Virginis, 1 gr. Virginis, 15 gr. Leonis, 1 gr. Leonis, 15. gr. Cancri.

Eodem modo in altera facie sciatherici describentur peripheriæ pro parallelis Solis, in 5 gr. Libræ & 25 gr. Piscium, in 10 gr. Libræ & 20 gr. Piscium, in 15 gr. Libræ & 15 gr. Piscium, in 1 gr. Scorpii & 1 gr. Piscium, in 15 gr. Scorpii & 15 gr. Aquarii, in 1 gr. Sagittarii & 1 gr. Aquarii.

Singulis hisce peripheriis characteres signorum Zodiaci adscribendi sunt.

CAPUT XXII.

Sciathericum Horizontale sive in plano Horizontali describere.

Per Globum. Elevetur polus pro loci latitudine, & Meridianus, qui præ reliquis in ipsius globi superficie conspicuus & colore & magnitudine, adducatur sub æneum Meridianum, Index ad horam XII constituatur. Volvatur globus, donec Index monstret horam I vel XI, sive donec quindecim Æquatoris gradus transeant æneum Meridianum. In hoc situ globi numerentur in Horizonte ligneo gradus intercepti inter æneum & globi Meridianum, & numerus hic annotetur pro hora I post meridiem & XI antemeridiana.

Deinde iterum volvatur globus, donec Index monstret horam II vel X, & gradus in Horizonte intercepti inter Meridianos illos duos æneum & assumtum annotentur pro hora X & II. Eodem

modo

modo fiat pro horis IX & III, pro VIII & IV, pro VII & V, pro VI & VI (hac non indigemus) pro V & VII, pro IV & VIII, pro III & IX. Gradibus hisce ita annotatis pro singulis ascriptis horis, inveniatur in plano Horizontali linea meridiana, atque ex hujus lineæ puncto quolibet, tanquam centro, describatur peripheria circuli, & ex centro ducatur ad eandem perpendicularis ab utraque parte. Hæc erit linea umbræ ad horam VI antemeridianam & VI pomeridianam. Linea meridiana est umbræ horæ XII linea. In descripta peripheria abscindantur arcus antea notati, incipiendo à linea meridiana versus lineam horæ VI antemeridianæ & pomeridianæ, nempe primo arcus notatus pro hora XI & I, deinde pro hora X & II, pro IX & III, pro VIII & IV, &c. Arcubus ita abscissis ducantur ex centro lineæ ad terminos illos, hæ erunt lineæ umbrarum in reliquarum horarum initiis & fine. Atque horarum numerus extremitati linearum erit ascribendus.

Stylus autem ex centro Horologii supra lineam meridianam ita elevandus est, ut angulus, quem cum ea facit, sit æqualis latitudini loci vel elevationi poli: Sed commodius est Triangulum aliquod fabricare, cujus angulus ad basin sit æqualis latitudini loci. Si in charta sit facta delineatio, ducatur ex centro linea, quæ à peripheria auferat arcum æqualem latitudini loci (à meridiana linea facta numeratione) atque Triangulum exscindatur supra meridianam lineam constituendum. Ita umbra horas monstrabit. Facilis quoque est hujus sciatherici constructio sine globo, quam adolescentes felicius ex ostensione & prævia Præceptoris operatione discent, quam ex verbis facta descriptione.

PRO-

Propositio XXIII.

Sciathericum in plano Verticali describere, quod directe Ortum & Occasum æquinoctialem respicit.

Hujus constructio eodem perficitur modo, quo in Horizontali usi sumus, si modo polus elevetur non juxta loci latitudinem, sed juxta complementum ejus, & deinde stylus quoque juxta hoc complementum elevetur supra meridianam lineam: sed melius hæc ex ostensione & manuductione quam longis præceptis percipiuntur.

Propositio XXIV.

Sciathericum in nostro Horizontali vel alio plano construere, quod indicet horas aliorum locorum à nostro utcunque remotorum.

Potest hoc in eodem sciatherico fieri, quod pro indicandis horis nostri loci conficitur. Primo consideretur, an locus datus versus Ortum vel Occasum à nostro jaceat: si versus Ortum, prius numerabitur in illo hora duodecima, quam in nostro loco: si versus Occasum, serius. Adducatur deinde noster locus ad meridianum, Index ad horam XII, & volvatur globus, donec alter locus ad meridianum perveniat, Index monstrabit, quota hora sit in hoc loco, cum in nostro est XII. Ex hoc facile est colligere horas illius loci, quæ cum nostri loci I, II, III, IV, item XI, X, IX, VIII, &c. conveniant, quæ proinde illis ascribi debent. Sed elegantius hæc sine globo possunt absolvi juxta modum, quo Horizontalia conficiuntur.

Propositio XXV.

Planum elevare supra Horizontem nostri loci, atque in eo plano sciathericum construere, in quo umbræ horarum regredi videantur, sicut in locis Zona Torrida.

Quo-

Quoniam plani elevatio nostro arbitrio relinquitur, ideo eligemus talem, quæ proposito nostro sit commoda: ex. gr. planum ita constituemus supra nostrum Horizontem (sive supra lineam ortus & occasus æquinoctialis), ut axis mundi, sive polus, elevatus sit supra illud gradibus decem. Ita umbra regredi incipiet Sole in 26 gr. Arietis ingresso, singulis diebus id faciet, donec ad 4 gr. Virginis Sol pervenerit.

Sit itaque in loco latitudinis 52 gr. planum ita constituendum & horologium construendum. Erit planum elevandum gradibus 42, ita polus erit supra illud elevatus gradibus decem. In hoc plano construatur sciathericum Horizontale pro elevatione poli decem graduum, eo modo quo diximus Propos. XXII. Ubi jam lineæ umbrarum ex centro horologii ductæ sunt, & satis productæ, deleantur earum partes circa centrum existentes & ipsum centrum, atque stylus perpendicularis erigatur in aliquo lineæ meridianæ puncto ejus altitudinis, qualem Triangulum Gnomonicum exhibebit. Ita hujus styli extremitas umbra sua in lineas umbrarum incidente indicabit horas, & simul umbra apparebit regredi dictis diebus.

Possunt etiam beneficio globi terrestris describi sciatherica meridionalia, polaria, inclinantia atque omnis generis: sed quia ad aliam disciplinam hæc materia pertinet, nempe ad Gnomonicen, ideo inconveniens fore existimo illa omnia hic pertractare,

CAPUT XXVIII.

De Comparatione affectionum cælestium in diversis Telluris locis.

EX consideratione convenientiæ & discrepantiæ apparentiarum cælestium in diversis Telluris locis orta est denominatio incolarum (quam quidam male acceperunt pro Divisione), qua quidam dicuntur Antœci, alii Periœci, alii Antipodes.

Antœci dicuntur incolæ duorum locorum, quæ in eodem quidem ejusdem Meridiani Semicirculo jacent, sed à diversa Æquatoris plaga, unus nempe versus Septentrionem, alter versus Austrum, ita tamen ut ab Æquatore æqualiter distent.

Periœci dicuntur incolæ duorum locorum, quæ in eodem parallelo jacent & in ejusdem meridiani diversis semicirculis. Interdum accipitur pro omnibus incolis alicujus paralleli: sed ad vitandam confusionem abstinebimus hac usurpatione.

Antipodes dicuntur incolæ duorum locorum, quæ è diametro sibi mutuo opponuntur.

NOTA. Vocabula hæc tria ita plerunque usurpantur, ut amborum locorum, quæ comparantur, incolas denotent, sicut nos definivimus illa: interdum tamen, quando certus aliquis locus illis adjungitur, denotant tantum alterum locum, ut cum dicimus, periœci, antipodes illius vel hujus loci.

PROPOSITIO I.

Qui in eodem ejusdem Meridiani semicirculo habitant, illi & meridiem sive horam duodecimam simul habent, & reliquas omnes horas simul numerant.

Etenim

Etenim meridies sive hora diei duodecima definitur per Solis existentiam vel appulsum ad meridianum. Quoniam itaque illa loca Telluris, quæ in eodem Meridiano Telluris habitant, eundem quoque cœli meridianum habent, inde manifestum est, quod Sol eodem momento temporis omnibus in eodem meridiano habitantibus meridiem faciat & horam duodecimam. Porro hora definitur, quod sit vigesima quarta pars temporis illius, quod inter duas vicinas meridies vel inter duos appulsus Solis ad eundem ejusdem meridiani semicirculum intercedit. Quoniam itaque idem est tempus quod inter duas meridies locorum ejusdem meridiani intercedit, erit quoque vigesima quarta ejus pars in omnibus eadem & æqualis, ac proinde simul numerabunt omnes horas à meridie.

PROPOSITIO II.

Qui in diversis Telluris hemisphæriis, qua Æquator facit sive distinguit, vel qui à diversis Æquatoris plagis habitant, illi tempestates anni contrarias habent eodem tempore, easdem autem diverso anni tempore, ita ut altero hemisphærio sit Hyems cum in altero est Æstas, & cum in illo Ver, in hoc Autumnus.

Æstas enim incipit in quovis loco juxta cælestem rationem, Solis nimirum motum, cum Sol minimam distantiam à vertice ejus loci adipiscitur: Hyems, cum maximam. Quoniam autem Sol movetur ab uno hemisphærio in alterum, indefit, ut, quando locis unius hemisphærii appropinquat, ab alterius hemisphærii locis magis magisque recedat, atque adeo Æstas unius hemisphærii cum Hyeme alterius hemisphærii in tempore conveniat, & unius Ver cum alterius Autumno.

In locis Zonæ Torridæ tempestatum vicissitudo

habet

habet aliquid peculiare, de quo abunde diximus capite XXVI.

PROPOSITIO III.

Qui in hemisphærio Telluris Septentrionali habitant, illis faciem ad Æquatorem convertentibus Oriens est à sinistra, Occidens à dextra, Auster in antico, Septentrio à postico. Qui autem in hemisphærio Telluris Australi habitant, illis faciem Æquatori obvertentibus stellæ oriuntur à dextra, occidunt ad sinistram.

Qui in ipso Æquatore habitant, illis si ad polum Septentrionalem convertant faciem, oriens est à dextra, occidens à sinistra; contra, si ad polum australem convertant faciem.

Qui in hemisphærio Septentrionali habitant, illis facie ad Æquatorem conversa Sol in Zodiaci semicirculo boreali ambulans videbitur oriri & occidere in postico: Sed alterum semicirculum perambulans in antico. Contrarium evenit in hemisphærio Australi. Contrarium quoque observabitur, si facies ad polos convertatur.

Hæc manifesta sunt ex consideratione ipsius circumvolutionis: possunt ostensione in globo facta illustrari. Solent autem id mirari nautæ & alii motuum cælestium imperiti, quando ex nostro hemisphærio navigatione perveniunt in Australe hemisphærium.

PROPOSITIO IV.

Antœcorum affectiones cælestes comparatæ inter se, ita se habent.

1. Simul agunt meridiem, mediam noctem, atque omnes horas simul numerant, ut patet ex prima Propos. hujus Cap.

2. Tempestates anni contrarias habent eodem tempore, nempe cum unus locus Ver agit, alter ex-

experitur Autumnum, cum ille Æstatem, hic Hyemem, ut patet ex secunda hujus.

3. Dies unius loci sunt æquales alterius noctibus; Et hujus dies prioris noctibus.

4. Cum unius loci dies accrescunt in longissimum usque diem, interea alterius loci dies decrescunt usque ad brevissimum. Habent enim dies Calendariis oppositos æquales. Ex. gr. Dies unius loci ad xx Aprilis æquatur diei xx Octobris in altero loco.

5. Diebus æquinoctiorum Sol illis simul oritur & occidit, aliis autem diebus uni citius, quam alteri. Duobus quoque illis diebus eandem habet Sol altitudinem supra Horizontes Antœcorum ad singula temporis momenta: aliis diebus diversam.

6. Faciem illis sibi mutuo obvertentibus vel ad Æquatorem respicientibus, uni Sol à dextra videbitur oriri, ad sinistram occidere; alteri contra, à sinistra oriri, ad dextram occidere. Eodem modo omnes stellæ uni à dextra, alteri à sinistra orientur.

7. Cum uni Sol in postico oritur & occidit, alteri in antico oritur & occidit; contra huic in postico, cum illi in antico.

8. Polos diversos elevatos habent æquali elevatione.

9. Stellæ uni loco perpetuo apparentes, sive non occidentes, alteri loco nunquam oriuntur, sed semper infra Horizontem depressæ manent: Contra, quæ huic loco nunquam occidunt, illi nunquam oriuntur.

Hæc omnia ex globo manifesta fient.

Propositio V.

Qui in Æquatore habitant, non habent Antœcos. Periœci autem illorum sunt iidem cum Antipodibus eorum. Poli Telluris non habent Periœcos,

ipsi

ipsi vero sibi mutuo sunt simul Antœci & Antipodes.

Propositionis hujus veritas ex Definitionibus Antœcorum, Periœcorum & Antipodum perspicua est, ideo non indiget probatione.

PROPOSITIO VI.

Dato loco in globo exhibere ejus Antœcorum, Periœcorum & Antipodum locum.

Adducatur datus locus ad æneum Meridianum, & quot gradus inter hunc & Æquatorem intercepti sunt, totidem numerentur ab altera Æquatoris parte: Terminus numerationis erit Antœcorum locus.

Deinde Index applicetur ad horam XII cycli, noteturque punctum meridiani, quod dato loco imminet, item illud, quod loco Antœcorum. Hisce factis, volvatur globus donec Index in cyclo horario monstret alteram duodecimam. Ita punctum globi, quod subjicitur notato Meridiani puncto loci dati, erit locus Periœcorum, & punctum globi, quod subjicitur alteri notato puncto meridiani erit locus Antipodum.

PROPOSITIO VII.

Qui in eodem Telluris parallelo habitant, illis & singulos anni dies noctesque æquales habent: singula quoque stellæ æquali tempore commorantur supra illorum Horizontes: eadem stellæ nunquam occidunt, eadem nunquam oriuntur: Sol singulis diebus & omnes quoque stellæ in eadem illis plaga oriuntur & occidunt, eisdem quoque horis stellæ æque sunt elevatæ supra Horizontem vel infra eum depressæ: eundem polum habent æque elevatum: facie ad Æquatorem vel eundem polum conversa, stellæ illis ab eodem oriuntur latere, ab eodem occidunt: tempestates anni, Ver, Æstatem, Autumnum, Hyemem simul & eodem tempore expe-

experiuntur, exceptis quorundam locorum singularibus proprietatibus.

Hæc ex ipsa motus stellarum consideratione, situque locorum Tellutis, manifesta sunt: in globo, si eligatur unus aliquis parallelus, & juxta ejus latitudinem sive ab Æquatore distantiam, polus elevetur, erit Horizon ligneus omnium locorum illius paralleli Horizon, si nempe singula loca ad meridianum adducantur, atque tunc perspicua erunt ea, quæ Propositio hæc continet.

PROPOSITIO VIII.

Periœcorum affectiones cæleſtes ad se invicem comparata se habent.

1. Primo omnia illa, quæ in præcedenti propositione de incolis unius & ejusdem paralleli commemoravimus, habent communia.

2. Horas diei contrarias numerant reipsa, nomine easdem, nimirum cum in uno loco est meridies & XII hora meridiana, tunc in altero est media nox & XII mediæ noctis. Itaque hujus incolæ numerant I, II, III, &c. à media nocte, dum illi numerant I, II, III, &c. à meridie.

3. Diebus æquinoctiorum Sol occidit uni loco, dum alteri oritur, atque adeo tempus diei unius loci est nox alterius. Aliis vero anni diebus, nempe semisse anni, qua Sol vicinum locis illis Zodiaci semicirculum percurrit, hoc est, Vere & Æstate prius oritur uni loco, quam alteri occidat, atque adeo quibusdam horis vel horarum partibus simul diem habent Solemque conspicuum, nempe dum uni loco Sol versus occasum tendit, alteri jam supra Horizontem emersus ascendere versus meridianum incipit. Altera vero anni semisse, Autumno & Hyeme, qua Sol remotiorem Zodiaci semicirculum decurrit, prius occidit uni loco, quam alteri (Periœcis) oriatur, atque adeo nul-

lam diei, sed aliquam noctis partem communem habent, & Solem aliquibus horis vel horarum partibus depressum infra Horizontem, ita tamen ut uni loco sit finis noctis, alteri initium.

4. Eodem modo stellas illas, quæ ab Æquatore declinant versus polum Periœcis elevatum, quibusdam horis vel horarum partibus simul videre possunt, nimirum antequam uni occidant, alteri jam ortæ sunt; & contra, antequam isti oriantur, huic nondum occiderunt: atque hoc eo majori tempore, quo stella ab Æquatore remotior est versus polum elevatum. Contra, illas stellas, quæ ab Æquatore declinant versus polum depressum Periœcis, nunquam simul vident, sed illæ prius occidunt uni loco, quam alteri oriantur, atque adeo quodam tempore sive quibusdam diei horis vel horarum partibus neutri Periœcorum sunt conspicuæ, idque eo majori tempore, quo stella vicinior est polo, atque illæ stellæ, quæ Antœcis perpetuo supra Horizontem manent, perpetuo Periœcis occultantur.

5. Quem locum Telluris Periœcorum alter in occasu æquinoctiali vel etiam ad occasum habet, eundem alter Periœcorum monstraturus in orientalem plagam digitum dirigit (quarum pars una Antœcis, reliqua Periœcis communis est).

Propositio IX.

Antipodum affectiones cælestes ad se invicem comparatæ, ita se habent.

1. Omnibus anni diebus Sol atque stellæ uni loco oriuntur, dum alteri occidunt: Habent enim eundem Horizontem, etsi diversam ejus faciem.

2. Unius dies alterius nox est.

3. Dies anni oppositos æquales habent, sicut etiam noctes, ita ut unius loci dies longissimus, sit alterius brevissimus.

4. Tempestates anni contrarias eodem tempo-

re,

re, easdem opposito tempore experiuntur, nempe uni Ver, dum alteri Autumnus, uni Æstas, dum alteri Hyems. Et contra.

5. Polos diversos habent elevatos æquali elevatione: ab Æquatore æqualiter distant, sed à diversis ejus plagis: in eodem Meridiano siti sunt, sed diversis ejus semicirculis.

6. Horas diei contrarias revera, nomine easdem numerant, nimirum uni loco meridies est, dum alteri media nox.

7. Quæ stellæ uni loco perpetuo apparent sive supra Horizontem commorantur, illæ perpetuo infra alterius loci Horizontem manent. Item, quæ stellæ diu manent supra Horizontem unius loci, illæ parvo tempore commorantur supra alterius loci Horizontem.

8. Unius loci incolis Sol & stellæ à dextris, alterius à sinistris oriri videntur, si ambo ad Æquatorem converterint faciem, item si uni ab antico, alteri à postico per semissem anni facta permutatione.

Propositio X.

Unius loci Periœci sunt Antœcorum illius loci Antipodes, & Antipodum illius loci Antœci.

Ita unius loci Antipodes sunt Antœcorum illius loci Periœci, & Periœcorum Antœci.

Hæc ex Definitionibus clara satis sunt, neque indigent probatione.

Propositio XI.

Dato loco in globo invenire ea loca, quæ omnes horas & meridiem simul cum dato loco agunt, item illa loca, quæ contrarias horas numerant, & mediam noctem, cum dato loco meridies est.

Adducatur datus locus ad æneum meridianum: sic omnia loca, quæ eidem meridiani hujus semicirculo subjacent, sunt illa, quæ omnes horas

simul easdem numerant: deinde Index ad horam XII cycli collocetur, & volvatur globus donec Index monstret alteram horam XII, sic loca quæ eidem semicirculo ænei meridiani subjacent, sunt illa quæ contrarias horas loci dati horis numerant.

PROPOSITIO XII.

Dato loco in globo invenire illa loca, apud quos dies omnes anni æquales sunt noctibus prioris loci.

Datus locus adducatur ad meridianum, & inveniatur ejus Antœcorum parallelus. Omnia loca in hoc parallelo sita satisfaciunt quæsito.

Sed si quæratur locus, cujus dies æquales sint dati loci noctibus & omnes horæ eædem, tunc solus Antœcorum locus est is qui quæritur.

Si autem omnes horæ contrariæ esse debeant, solus Antipodum locus quæsito satisfacit.

PROPOSITIO XIII.

Dato loco in globo & die anni, invenire horas, quibus incolæ illius loci & Antœci ejus simul Solem videre possunt, sive quibus horis Sol supra utriusque loci Horizontem existet, item horas, quibus in uno loco citius vel prius videtur, quam in altero loco.

Inveniatur longitudo sive tempus moræ Solis supra Horizontem dati loci ad datum diem, juxta Proposit. IV, cap. XXV. Horæ, quibus hoc tempus à viginti quatuor horis deficit, sunt horæ diei in loco Antœcorum. Tot autem horis simul Solem habent elevatum duo hæc loca, quot horarum, vel ipsius dati loci dies est vel Antœcorum, nimirum, illius, qui non major quam duodecim horarum, quantus est in diebus æquinoctiorum, aliis vero diebus minor. Vel, ut clarius dicam, si dati loci dies est minor quam duodecim horarum, tunc Antœci iisdem horis Solem videbunt, sed pluribus,

pluribus, nempe ante illud tempus & post illud. Si vero dati loci dies sit major, quam duodecim horarum, sumendus erit numerus horarum noctis. Tot enim horis Antœci simul Solem videbunt, neque pluribus horis. Et hæ horæ circa meridiem utriusque loci numerandæ sunt, nempe dimidius numerus ante meridiem, dimidius post meridiem, quoniam simul agunt meridiem.

Deinde differentiæ dierum (sive differentiæ inter diem & noctem ejusdem loci) semissis exhibebit horas quibus Sol citius supra unius loci Horizontem oritur atque etiam tardius vel serius occidit, quam alteri loco Antœco.

Propositio XIV.

Dato loco in globo & die anni, invenire horas, quibus incola illius loci Solem simul vident cum Periœcis suis, & quibus horis non simul eum cernunt.

Inveniatur tempus moræ Solis supra dati loci Horizontem ad datum diem, & tempus moræ infra Horizontem, hoc est, quantitas diei ac noctis inveniatur. Differentiæ inter diei & noctis quantitatem semissis indicabit horas, vel horæ partes quibus uni loco Sol prius oritur, quam alteri occidat, & eidem loco serius quoque occidat, quam huic oriatur.

Caput XXIX.

De Comparatione Temporis in diversis Telluris locis.

Propositio I.

Data hora unius loci in globo dati, invenire horam alterius loci dati.

Locus, cujus hora datur, adducatur ad Meridianum æneum, Index ad horam eam cycli horarii,

rarii, qualis datur. Volvatur globus, donec alter datus locus sub Meridianum veniat, Index in eo globi situ monstrabit horam quæsitam hujus alterius loci.

Propositio II.

Datâ horâ nostri loci (vel alterius loci in globo dati) exhibere in globo omnia illa loca, in quibus ad eam horam sit meridies, item illa, in quibus media nox, item illa, in quibus sit hora, quamcunque volumus. De ipsa Tellure proponendum esset & solvendum Problema, si scientifice ageremus. Est enim Telluris affectio. Idem intellige de plurimis sequentibus Problematibus.

Datus locus adducatur ad Meridianum, Index ad datam horam cycli horarii. Volvatur globus, donec Index monstret horam XII meridiei. Ita loca, quæ meridiani semicirculo superiori (à polo elevato ad polum depressum) subjecta conspiciuntur, sunt ea, quæ meridiem ad datum tempus agent. Si vero globus volvatur, ut Index monstret XII cycli inferiorem, loca, quæ eidem meridiani semicirculo subjecta conspicientur, sunt illa, in quibus media nox tunc erit.

Quod si loca cupiamus, in quibus sit alia aliqua hora; volvatur globus donec Index monstret eam horam. Sic loca meridiani semicirculo subjecta sunt ea, quæ quæruntur.

Propositio III.

Datâ Solis altitudine, die anni, & latitudine loci, invenire horam ad tempus illius altitudinis.

Elevetur polus pro data loci latitudine: ex dato die inveniatur locus Solis in Ecliptica, atque is in Ecliptica globi notetur & ad meridianum adducatur. Deinde quadrans applicetur vertici, & in eo note-

notetur gradus datæ altitudinis, Indexque ad horam XII cycli horarii collocetur.

Tunc moveatur globus & quadrans, donec notatus locus Solis cum notato quadrantis puncto conveniat. In eo situ Index monstrabit horam quæsitam.

PROPOSITIO IV.

Datâ plagâ in quâ Sol conspicitur aliquo tempore sui datæ, & datâ latitudine loci, invenire horam diei.

Fiant omnia, ut in præced. Proposit. ut quadrans vertici applicatus sit. Ejus extremitas adducatur ad eam plagam Horizontis, quæ observata fuit. Et volvatur globus, donec notatus locus Solis ad quadrantem perveniat. In hoc situ Index monstrabit in cyclo horam diei. Plagam autem Solis nautæ observant in pyxide sua.

PROPOSITIO V.

Lucente Sole, beneficio globi cognoscere horam loci dati, sive cujus latitudo data est.

Elevetur polus pro data loci latitudine, & constituatur globus ad quatuor mundi cardines. Deinde acicula infigatur loco Solis in Ecliptica perpendiculariter, vel, quod melius, Gnomon sphæricus applicetur Eclipticæ, ita ut apex gnomonis loco Solis incumbat, atque ita ad meridianum adducatur, & Index ad horam XII. Volvatur globus, donec acicula nullam umbram faciat in globo. In hoc situ Index monstrabit horam quæsitam.

PROPOSITIO VI.

Datâ horâ nostræ numerationi invenire quota sit hora ab ortu Solis, hoc est, horam Babylonicam sive Norimbergensem.

Olim Babylonii, hodie Norimbergenses, & quidam

dam alii populi numerant horas viginti quatuor ab uno ortu Solis ad sequentis diei ortum.

Elevetur polus pro dati loci latitudine, & locus Solis ex dato die inventus adducatur ad meridianum, Index ad horam XII cycli horarii. Volvatur globus, donec Index monstret datam horam. Tunc globo immoto manente Index reducatur ad XII. Quo facto volvatur globus ab occasu versus ortum donec locus Solis in Orientali Horizonte appareat: Et in cyclo horario numerentur horæ à XII versus ortum usque ad Indicem. Hæ enim sunt horæ quæsitæ sive Babylonicæ vel Norimbergenses.

PROPOSITIO VII.

Contra, *Data hora ab ortu sive Babylonica, invenire horam nostræ numerationis, quæ à media nocte vel meridie sit.*

Elevetur polus pro dati loci latitudine, locus Solis in Ecliptica notetur & ad Orientalem Horizontem adducatur, Index ad horam XII. Volvatur globus versus occasum, donec Index monstret in cyclo datam horam ab Ortu.

Quo facto, Index reducatur ad horam XII, & dein moveatur globus donec locus Solis reductus sit ad meridiani semicirculum, quem proxime transiit, & numerentur horæ à XII ad Indicem in eam plagam, in quam motus globi factus est. Ita horam nostræ numerationis a meridie vel media nocte reperies.

PROPOSITIO VIII.

Data hora nostræ numerationis, invenire quota hora sit ab occasu Solis præcedente, hoc est horæ Italicas.

Hodie in multis Italiæ locis, olim in Græcia numerant viginti quatuor horas ab uno occasu Solis ad

ad sequentem sive vicinum, ad quas inveniendas ex horis nostræ numerationis ita agimus.

Elevetur polus pro dati loci latitudine: locus Solis in Ecliptica notetur, & ad meridianum adducatur, Index ad horas XII meridianam cycli collocetur. Volvatur globus, donec Index monstret horam datam. Tunc immoto globo reducatur Index ad horam XII, & hoc facto volvatur globus versus ortum, donec locus Solis in Occidentali Horizonte conspiciatur.

Numerentur deinde horæ à XII usque ad Indicem, juxta plagam motus. Hæ enim erunt horæ Italicæ numerationis.

Propositio IX.

Data hora ab occasu Solis sive Italicæ numerationis, invenire quota ea sit hora nostræ numerationis à meridie vel media nocte.

Elevetur polus pro dati loci latitudine, Solis locus in Ecliptica notetur atque ad meridianum adducatur, Index ad horam XII collocetur. Volvatur globus versus occasum, donec Index monstret datam horam Italicam. Tunc immoto globo reducatur Index ad XII. Hoc facto, locus Solis revolvatur ad eum meridiani semicirculum, quem proxime transiit. Sic horæ inter XII & indicem interceptæ (numerando à XII versus ortum) sunt horæ à meridie vel media nocte juxta nostram numerationem.

Propositio X.

Data hora nostra numerationis in dato die invenire quota sit ea hora juxta antiquam Judæorum aliarumque gentium numerationem.

Vetustis temporibus Judæi (ut patet ex sermone Christi de patrefamilias, qui operarios ad vineam colendam conducebat), atque aliæ gentes,

nondum exculta Aſtronomia, ſingulos dies ab ortu Solis ad occaſum diviſerunt in duodecim horas, & noctem in totidem, quæ horæ ideo dicuntur Judaïcæ, planetariæ (ob aliam cauſam), ſed rectius horæ inæquales. Etenim cum neque noctes neque dies inter ſe æquales ſint, ſive æqualis longitudinis, ſed ſemiſſe anni accreſcant, altera decreſcant (exceptis locis Æquatoris) inde fit, ut horæ illæ modo majores modo minores ſint, nimirum accreſcunt cum accreſcente dierum longitudine, decreſcunt hac decreſcente. Verum in locis Æquatori vicinis non magnum eſt hoc incrementum, ut capite xxv oſtendimus, ſed dies omnes totius anni fere æquales, atque inde factum eſt ut populi ab Æquatore remotiores, ut Europæi, nunquam uſi ſint hiſce horis, ſed tantum illi, qui non admodum longe à Torrida Zona removentur vel in ipſa Torrida habitant.

Problema itaque clarius ita proponetur: *Datâ horâ æquali in dato die, invenire horam inæqualem.* Hora æqualis dicitur duodecima pars cujuſvis diei vel noctis: ſive temporis quo Sol ſupra Horizontem vel infra eum commoratur.

Hora inæqualis dicitur vigeſimaquarta pars temporis, quo Sol à meridiani ſemicirculo movetur donec ad eundem ſemicirculum redeat, quod tempus dicitur dies Aſtronomicus.

Ad Problematis itaque ſolutionem ita agimus:

Elevetur polus pro dati loci latitudine: locus Solis in Ecliptica notetur atque ad Orientem adducatur, Index ad horam xii cycli. Volvatur globus donec locus Solis notatus ad Occidentem perveniat. Index monſtrabit horas pro longitudine iſtius diei ſive mora Solis ſupra Horizontem, quæ annotentur. Deinde inveniatur quota ſit data hora ab ortu (vel occaſu, ſi hora aliqua poſt

Solis

Solis occasum data sit) juxta Propos. VI vel VIII. Et instituatur proportio hunc in modum: Ut horæ annotatæ longitudinis totius diei (vel noctis) ad duodecim horas, ita horæ ab Ortu inventæ (vel ab Occasu, si noctis hora data sit) ad numerum horarum Judaïcarum.

PROPOSITIO XI.

Datâ horâ Judaica, in dato die invenire quota ex se hora juxta nostram numerationem. Sive, *Datam horam inæqualem reducere ad horam æqualem.*

Elevetur polus pro dati loci latitudine, locus Solis in Ecliptica ex dato die inventus adducatur ad Orientem, Index ad horam XII: & volvatur globus ad Occidentem, ut in cyclo horario longitudo diei illius in horis æqualibus innotescat, quæ notetur. Deinde locus Solis adducatur ad meridianum, Index ad horam XII, & volvatur locus Solis ad Orientalem Horizontem, Index monstrabit horam ortus.

Deinde fiat, ut 12 ad datæ horæ Judaïcæ numerum, ita inventa longitudo totius diei ad alium numerum, qui si addatur ad horam ortus, habebimus horam à media nocte juxta nostram numerationem: si numerus harum horarum sit major duodenario, rejiciantur 12 & residuus numerus monstrabit horam à meridie.

Quæ in sermone Christi commemorantur horæ Judaicæ, eæ non possunt accurate reduci ad nostræ numerationis horas, quoniam dies anni non additur: itaque hora illius tertia potest esse nona nostra, etiam decima, etiam octava. Ita undecima hora ejus sermonis potest esse nostra septima, potest etiam esse sexta, vel quinta, nimirum prout vel circa solstitium æstivum vel hybernum vel circa æquinoctia dies ille sumatur. Quia autem de æstu diei fit mentio, verisimile est diem intelligi circa solstitium æstivum.

Propositio XII.

Qui à loco aliquo Telluris progrediuntur vel navigant versus Ortum, totoque Telluris ambitu emenso redeunt ad locum, unde abierunt, illi interea temporis una vice sæpius Solem Orientem, Occidentem, Meridiem, mediamque noctem habuerunt, quam incolæ loci, à quo profecti sunt, & ideo quando redeunt, numerant unum diem anni amplius, quam in isto loco, ita ut si in loco hoc sit dies 1 Januarii, illi numerent diem secundum Januarii; si illi diem Saturni, hi diem Solis, &c. Et si bis, ter, quaterve Tellurem circumnavigaverint, totidem quoque dies amplius numerabunt.

Qui vero instituto cursu versus Occidentem circumnavigant totam Tellurem, illi interea temporis una vice rarius Solem occidentem, orientem, meridiem, mediam noctem habuerunt, ideoque quando redeunt, numerant unum diem minus quam in loco isto, nempe 31 Decembris, si in loco fuerit 1 Januarii, & diem Saturni vel ultimam feriam hebdomadis agitent, si in loco hoc fuerit dies Solis vel feria prima novæ hebdomadis. Et si bis, ter, quaterve Tellurem circumnavigaverint, totidem quoque dies minus numerabunt.

Magnæ admirationis hæc res olim fuit ante aliquot secula nautis atque aliis, cum in Occidentem instituto cursu ubi in Orientales insulas pervenissent, ad alios Europæos die uno numerationes Calendariorum discrepare cernerent, adeoque alter alterum vel negligentiæ vel somnolentiæ insimularent. Sed frequentia hujus experientiæ minuit deinde admirationem atque causæ cognoscendæ occasionem Mathematicis suppeditavit.

Neque difficilem habet explicationem, modo Solis motus & meridiani locorum Telluris bene conci-

concipiatur, atque certum diei initium ponatur. Dependet enim à circumvolutione diurna Solis, (non à motu ejus proprio, ut quidam existimarunt) quam incipere possumus à quovis circulo, sed ad faciliorem intelligentiam commodius est à meridie eam incipere, ut dies sit ab uno meridie tempus ad sequentem meridiem, sive dum Sol à meridiani alicujus semicirculo ad eundem semicirculum redit.

Quoniam itaque qui versus ortum navigant, perveniunt ad loca, ubi Sol prius oritur & meridiem agit, quam in loco unde abeunt, inde fit, ut Sole in meridiano ejus loci ad quem pervenerunt, existente, incipiant novum diem numerare, ex. gr. 2 Januarii ubi in loco profectionis adhuc priorem diem numerant, nempe 1 Januarii (si in hoc solverint) eritque differentia unius vel alterius horæ. Hæc anticipatio quotidie accrescit, dum versus ortum proficiscuntur, ita ut dimidiæ diei horas faciat, quando ad oppositum meridiani semicirculum pervenerunt. Hic enim illi meridiem novæ diei agent, quando in loco profectionis media adhuc nox præcedentis diei erit. Ubi deinde pervenerint ad Meridianum quindecim gradibus remotiorem, in illo constituti tredecim horis prius habebunt meridiem, quam in loco profectionis: Et ubi iterum ad quindecim gradibus remotiorem meridianum pervenerint, ibi quatuordecim horis prius habebunt meridiem, quam in loco profectionis, atque ita porro prout ad meridianos vel loca quindenis gradibus remotiora perveniunt, horis quindecim, sedecim, septendecim, &c. prius agent meridiem, & novum diem numerare incipient, quam in loco profectionis, ita ut tandem ubi ad ipsum locum redierint, tunc viginti quatuor horis prius meridiem novæ diei numerabunt, ubi in loco quidem etiam meridies est, sed quæ adhuc re-

respondeat in numero illi meridiei, quam nautæ priori die egerunt.

Contrario modo se res habet cum illis qui versus occasum instituto cursu Tellurem circumnavigantes redeunt ad locum profectionis. Quo enim magis recedunt à loco hoc, eo serius Solem in meridie habebunt, quia sunt in remotiori meridiano, atque ideo serius incipient novæ diei numerationem quam in loco, unde profecti sunt. Ita ut tandem hæc postpositio, ut ita dicam, sive tardior appulsus in reditu integrum diem auferat.

Corollarium I. Si duo ad idem tempus ex aliquo loco Telluris proficiscantur, unus versus ortum, alter versus occasum, atque tota tellure circumnavigatâ redierint simul ad locum illum, ille qui versus ortum instituit iter, duos dies amplius numerabit, quam ille, qui versus occasum profectus est: & si bis Tellurem circumnavigaverint, quatuor dies amplius numerabit, si ter, sex dies, si quater octo dies, & ita porro: Et tamen unum & idem est amborum tempus. Sed horum dies sunt longiores, illorum breviores.

Coroll. II. Idem eveniet si in quocunque loco Telluris obviam sibi mutuo fiant. Atque ex hoc primum & deinde sæpius deprehensa est hæc apparentia. Etenim cum Ferdinandus Magellanes directo in Occidentem cursu, inventoque freto penetrasset in Indiam, deprehensum est à nautis, qui ibi congrediebantur cum aliis Europæis ordinario itinere versus ortum istuc delatis, quod Calendaria sive numeratio dierum, integro die discreparet. Idem deinde ab omnibus, qui Tellurem circumnavigarunt ubi in Indiam pervenerant, observatum fuit.

Coroll. III. Hæc causa quoque est, quod in duobus locis vicinis diversæ diei numeratio observetur, nempe in Insulis Philippinis & Macao urbe

urbe maritima Chinæ, quam Lusitani tenent: Philippinas autem Hispani Castilienses, ut loquuntur. Etenim etsi sub eodem Meridiano jaceant, tamen in Macao numerant dies Calendarii prius quam in Philippinis, & quidem anticipatione unius diei, ita ut in Macao sit dies Solis, ubi in Philippinis est dies Saturni, atque dum in illo loco agunt Pascha, & carne licite atque avide vescuntur, tum in Philippinis est dies Cinerum & abstinentia à carne, Pascha autem sequenti die celebratur. Causa hujus diversitatis est, quod Lusitani in Macao urbe agentes ex Europa versus ortum instituto cursu, nempe ex India, istuc pervenerunt. Hispani autem in Philippinis agentes, ex Europa versus occasum instituto itinere, nempe ex America, istuc pervenerunt. Itaque ex præcedenti Corollario infertur, quoniam hic in Macao & Philippinis congrediuntur fere vel in eundem Meridianum perveniunt, quod illi uno die debeant superare dies posteriorum.

CAPUT XXX.

De Diverso ortu, occasu, altitudine Solis atque aliis apparentiis in diversis Telluris partibus.

PROPOSITIO I.

Globum terrestrem ita suspendere vel constituere, ut lucente Sole partes ea globi illuminentur, quas Sol in ipsa Tellure quovis tempore illuminat, & simul appareat, quibus populis Sol oriatur ad singula temporis momenta; quibus occidat, quibus meridiem agat, quibus omnino occultatus sit: cui loco verticalis sit: ipsum quoque locum Solis in Ecliptica & diem anni: item horam loci.

Locus, in quo globus ita collocandus est, notetur

tetur in ipso globo & ad meridianum adducatur, fiatque in puncto meridiani imminente signum cretâ. Si itaque globus è fune suspendendus est, alligandus est funis huic meridiani puncto, si autem in loco aliquo firmiter collocari debet, trajiciendus erit stylus ferreus ex hoc loco per centrum globi usque ad oppositum punctum, atque hic ferreus stylus Horizontali plano arcte infigendus, ut immobilis sit.

Deinde globus juxta quatuor mundi cardines disponendus, nempe ut Septentrio globi Septentrionem Telluris vel Cæli respiciat, quod inventâ lineâ meridianâ vel per pyxidem nauticam vel acum magneticam facile est. Globo ita constituto, ad singula momenta diei, Sole lucente, licebit in illo globo contemplari partem Telluris illuminatam, partem non illuminatam. Illa vero loca, quæ in medio semicirculo partis illuminatæ jacent, sunt illa, quæ meridiem habebunt ad illud temporis momentum. Illis, quæ in semicirculo Orientali, discernente partem illuminatam à non illuminata, sita sunt, Sol occidit: illis autem quæ in semicirculo Occidentali, discernente partem illuminatam à non illuminata, jacent, Sol oritur.

Ad locum Solis in Ecliptica inveniendum, circa medium partis illuminatæ acicula vel gnomon sphæricus hinc inde perpendiculariter moveatur, donec nullam umbram faciat, punctumque in globo notetur. Hoc enim ad meridianum adductum indicabit hic declinationem puncti Eclipticæ, in quo Sol est tempore observationis, unde pro conditione temporis, Verni nempe vel Æstatis, Autumni vel Hyemis, ipse locus Solis cognoscetur, & inde anni dies.

Ipse quoque locus in globo, cui acicula infixa nullam dedit umbram, est is, cui Sol verticalis est ad illud momentum temporis, & parallelus per hunc

hunc locum transiens exhibet omnia loca, quibus Sol fiet verticalis ad illum diem.

Porro ad inveniendam horam loci, in quo globus ita collocatus est vel suspensus, adducatur is locus, cui Sol verticalis est, ad Meridianum, Index ad horam XII cycli horarii, & volvatur globus, donec locus noster, sive, in quo globus situs est, ad meridianum perveniat. Index monstrabit horam.

Sed quoniam globi circumvolutio fieri non potest, quando is per stylum ferreum Horizontali plano affixus est, ideo commodum erit, si quadrans polo fuerit alligatus vel pars circulo peripheriæ 113½. Hic enim arcus ad aciculæ locum adductus monstrabit declinationem Solis ab Æquatore, unde ipse Solis locus & dies anni invenietur. Idem arcus in Æquatore gradum ostendet, à quo si numerentur gradus usque ad æneum meridianum, & hi gradus in horas & horarum partes mutentur (quindecim gradus unam horam faciunt) habebitur hora nostri loci, siquidem Sol inter Occidentem & meridianum æneum, hoc est nostri loci consistat; sed si inter Orientem & meridianum, horæ inventæ auferendæ erunt à XII, residuus numerus indicabit horas à media nocte.

Si globi polo adjunctus sit talis arcus æneus, qualem dixi, 113 gr. 30 min. poterit is ab extremitate usque ad 47 gr. hoc est ad Solis ab Æquatore recessum perforari atque trusatilis lamina ei inferi, quæ perpendicularem stylum gerat. Sic neque aciculâ neque gnomone sphærico opus erit, minusque errori obnoxia operatio.

PROPOSITIO II.

Globus terrestris ita collocatus, ut in priori propositione diximus, ostendit quoque Lunâ lucente, quibus populis ad momentum quodvis temporis, quo supra nostrum

nostrum Horizontem commoratur, conspicua, quibus oriatur, quibus occidat, quibus verticalis sit.

Hæc omnia manifesta sunt ex præcedenti propositione.

Propositio III.

Quo loca Telluris à parallelo Solis ad aliquem diem sunt remotiora, eo minorem ad altitudinem eisdem horis Sol elevatur supra illorum Horizontem.

Assumantur in globo loca ejusdem meridiani: hæc enim omnes horas easdem & simul numerant. Deinde describatur parallelus Solis pro quovis assumto die. Et manifestum erit, quod quodvis hujus paralleli punctum à locis remotioribus (à parallelo) meridiani longius distet, quam à locis propioribus.

Sol itaque existens supra paralleli istius puncta longius distabit à vertice locorum remotiorum meridiani, quam à vertice vicinorum, atque ideo minus erit elevatus supra illorum locorum quam horum Horizontem.

Propositio IV.

Quo loca Telluris ab Æquatore sunt remotiora vel polo magis vicina, eo magis distant partes Horizontis, in quibus Sol die solstitii & die bruma oritur, ut etiam illæ, in quibus occidit. Idem de Luna atque omnibus planetis verum est.

Assumantur loca quotvis diversæ distantiæ ab Æquatore, & polus elevetur pro singulorum latitudine, notenturque in Horizonte puncta, in quibus Tropicus Cancri & Capricorni illum secant. Instituta comparatione perspicua erit veritas Propositionis. Eodem modo ostenditur hoc: Quo loca ab Æquatore sunt remotiora, eo magis ab ortu æquinoctiali Sol distat in Oriente singulis anni

anni diebus. Vocant autem Astronomi amplitudinem ortivam.

Propositio V.

Stellæ sitæ inter parallelum alicujus loci (extra Æquatorem jacentis) & polum, minus elevantur supra Horizontem locorum inter parallelum hunc & alterum polum sitorum, quam supra Horizontem locorum inter parallelum hunc & polum vicinum sitorum.

Potest in globo terrestri designari parallelus alicujus stellæ, vel tantum punctum notari pro stella, & assumto aliquo loco remotiori à polo, quam stella, parallelus loci designari. Deinde assumto alio loco versus alterum polum sito, inveniatur mora stellæ supra utriusque loci Horizontem. Et manifesta fiet veritas Propositionis.

Propositio VI.

Locis in Æquatore sitis atque vicinis, Sol & stellæ ille ascendunt supra Horizontem usque ad Meridianum atque iterum descendunt: sed locis extra Æquatorem sitis oblique ascendunt & descendunt, & quidem eo magis oblique, quo locus ab Æquatore remotior.

Describatur in globo aliquis parallelus Solis, quales in globo quidam jam delineati sunt, nempe ipse Æquator, Tropicus Cancri atque Capricorni, & quidam intermedii. Deinde poli constituantur in ipso Horizonte, ut Horizon sit locorum Æquatoris, & conspicuum erit, quod parallelorum puncta recte ascendant ab Horizonte ad Meridianum. Deinde elevetur polus pro aliorum quorumvis locorum latitudine, & conspicuum erit, quod eo magis obliqui sint paralleli ad Horizontem, quo polus magis elevatur, hoc est quo ligneus Horizon sit Horizon locorum magis

ab

ab Æquatore remotorum vel polo vicinorum.

PROPOSITIO VII.

Quo locus ab Æquatore est remotior, eo majus tempus signa Zodiaci & reliquæ constellationes requirunt ad ortum suum, ut etiam ad occasum. Meridianos autem omnium locorum æquali tempore transeunt.

Sumantur in globo duo loca inæqualiter ab Æquatore distantia, atque prò singulis seorsim elevetur polus, atque observetur, quantum temporis signum aliquod Zodiaci requirat ad emersionem supra Horizontem, nimirum adducto initio signi ad Orientalem Horizontem, Index collocetur ad horam XII, & volvatur globus, donec integrum signum ortum sit. Index monstrabit horas elapsas interea dum signum ortum fuit. Ex comparatione temporis perspicua erit veritas propositionis.

PROPOSITIO VIII.

Dato die anni invenire vel exhibere in globo ea loca, quibus Sol oritur in plaga aliqua data.

De ipsa Tellure proponi & solvi debebat Problema hoc & sequentia, si scientifice ageremus. Ejus enim sunt affectiones. Sed de globo proponuntur, quia hic Tellurem repræsentat: etsi alia methodo in ipsa Tellure utendum esset, vel aliâ constructione, quæ mente tantum etsi comprehendi possit, sufficit, utut in praxi propter obstacula impediatur.

Idem hoc est cum eo Problemate: Dato die & plagâ, in qua Solis ortus observatus fuit, invenire latitudinem loci illius, sive parallelum, in cujus aliquo puncto nos constitutos esse certum sit. Cujus solutionem tradidimus capite XXIII. Propos. XI.

PROPOSITIO IX.

Dato die & hora vel hora parte exhibere in globo eum locum, cui Sol verticalis tunc est.

Primo locus Solis ex dato die inventus notetur in globi Ecliptica, atque eo ad meridianum adducto fiat signum cretâ in superimminente puncto.

Deinde, inveniantur ea loca, in quorum meridiano Sol existit ad datum temporis momentum, atque ea ad æneum meridianum adducantur.

Hisce factis locus ille, qui notato meridiani puncto subjacet, est quæsitus, nimirum cui Sol verticalis est ad datum temporis momentum.

PROPOSITIO X.

Dato die & hora exhibere in globo omnia loca, à quorum vertice ad illam horam Sol distet gradibus datis. Oportet autem datos gradus non esse plures quam centum & octuaginta.

Vel: Dato die & hora exhibere in globo ea loca, supra quorum Horizontem Sol habeat datam altitudinem vel infra eum datam depressionem. Oportet autem altitudinem datam vel depressionem non esse majorem nonaginta gradibus.

Inveniatur in globo locus, cui Sol ad datam horam verticalis est, atque hic ad meridianum adducatur, & quadrans affigatur puncto imminenti meridiani. Notetur in quadrante gradus distantiæ à vertice datus. Et circumducto quadrante, globo autem immoto manente, omnia loca Telluris, per quæ transit notatus quadrantis gradus sunt ea, à quorum vertice Sol datam distantiam vel supra quorum Horizontem datam altitudinem habet.

PROPOSITIO XI.

Ad datam datæ diei horam exhibere in globo omnia loca,

loca, quibus Sol tunc oriatur, quibus occidat, quibus in meridiano hæreat, & omnia quæ illuminantur, & quæ non illuminantur.

Inveniatur locus in globo, cui Sol ad datum tempus verticalis est: atque is locus ad Meridianum adducatur & polus elevetur pro illius loci latitudine, sive constituatur ille locus in vertice Horizontis. Sic omnia loca illa, quæ sub meridiani semicirculo existente supra Horizontem conspiciuntur, habebunt meridiem: illa vero loca, quæ in Horizontis semicirculo Orientali conspiciuntur, sunt ea quibus Sol tunc occidit: illis autem, quæ in Occidentali Horizontis semicirculo jacent, oritur Sol ad datum tempus. Atque omnia loca supra Horizontem existentia illuminantur à Sole: contra, omnia infra eum sita, carent tunc Solis præsentiâ.

NOTA. Problema intelligendum est de ipso centri Solaris corporis ortu atque occasu. Nam corpus ipsum solare illustrat partem Telluris aliquanto majorem hemisphærio, quæ quanta sit, sequenti Propositione investigabimus.

Corollarium. Licet itaque exhibere loca, quibus Sol oritur, vel occidit, cum nobis est meridies vel media nox. Et contra, illa quibus occidat, cum nobis oritur, quibus tunc media nox, & quibus meridies. In hisce adolescentes se ipsos exerceant.

PROPOSITIO XII.

Datâ semidiametro Solis, Telluris, atque distantiâ Solis à Tellure cognitâ, investigare partem Telluris, quam Sol illuminat.

Sit Telluris semidiameter AB, AC. A centrum. ABCDE circulus Telluris maximus: S centrum Solis, SL, SO, semidiameter Solis, Radii tangentes globum Solis & Telluris sint LB, OC.

OC. Hi enim partem illuminatam à non illuminatâ distinguunt: itaque arcus BDC repræsentat partem superficiei Telluris illuminatam, & arcus BEC partem non illuminatam. Tangentes LB, OC, producantur, donec concurrant in R: & BN parallela AS. In Triangulo itaque BNL dantur NL, excessus SL supra AB, & BN æqualis distantiæ AS: angulus BLN est rectus, quia BL tingit circulum. Quare in Triangulo BLN invenietur angulus NBL, juxta proportionem hanc: Ut BN ad NL, ita sinus totus ad Tangentem anguli NBL. Porro duo anguli LNB, NBL, simul æquantur uni recto sive 90 gr. & BNL est æqualis angulo ASL, sive BAR.

Itaque arcus anguli NBL est æqualis arcui BM, quo PB major est quam 90 gr. sive quam PM. Ita quoque arcus PC.

Si semidiametrum Solis Ptolemaïcam assumamus $5\frac{1}{2}$ semidiametrorum Telluris: distantiam vero AS 1168 Semidiametrorum hisce, inquam, positis, invenietur arcus MB 13 minutorum, quot Sol illustrat de ambitu Telluris ultra semissem MPQ.

Corollarium. Quando itaque Solis centrum oritur aliquibus locis, tunc limbus ejus oritur populis, qui habitant in parallelo Horizontis tredecim minutis infra Horizontem sito. Eodem modo illis, quibus occidit. Et quando centrum occidit, tunc limbus adhuc manet conspicuus, donec centrum occidat populis, qui tredecim minutis remoti sunt à nostro Horizonte.

PROPOSITIO XIII.

Datâ montis altitudine, investigare, quanto citius in vertice ejus Sol videatur oriri, quam ad pedem vel radicem montis, & quanto tardius occidere.

Ex data altitudine inveniatur per Proposit. v.

cap.

cap. IX. intervallum vel arcus ex quo vertex montis conspici potest, sive in cujus termino linea à vertice montis ita ducta, ut tangens sit Telluris, eam stringit: Hæc enim linea indicat radium primum, qui à Sole ad verticem montis pervenire potest directo itinere.

Porro punctum illud Telluris, in quo à linea hæc tangitur, est is locus, cui Sol oritur, quando in vertice montis conspici incipit. Et arcus inter illud punctum & radicem montis interceptus est æqualis illi, quo Sol deprimitur adhuc infra Horizontem radicis montis, quando in vertice conspicuus fit.

Problema itaque huc reductum est: Data depressione Solis infra Horizontem invenire tempus, quod consumitur dum Sol ab illa depressione ad Horizontem movetur. Ex quo simul manifestum est, diversis anni diebus tempus hoc esse diversum. Notetur itaque in globo locus radicis montis, & polus elevetur pro ejus latitudine; quadrans affigatur vertici. Locus Solis ex assumto aliquo die inventus in Ecliptica notetur, punctum quoque Ecliptica oppositum loco Solis. Deinde hoc oppositum punctum adducatur ad Occidentalem Horizontem, & Index ad horam XII collocetur. His factis in quadrante notetur gradus depressionis antea inventus, & volvatur punctum oppositum supra Horizontem donec habeat altitudinem æqualem arcui depressionis (quod ex applicatione Quadrantis cognoscetur). Ita locus Solis infra Orientalem Horizontem habebit depressionem eam. Et index in cyclo horario ostendet tempus interceptum inter hanc depressionem ejus & emersionem supra Horizontem.

Sed quia in hoc negotio fere minutis tantum agitur, ideo præstat calculo, quam globi adminiculo hæc investigare. Invenietur autem, si altitudo

do montis ponatur trium stadiorum sive $\frac{3}{4}$ milliaris Germanici, quod arcus depressionis sit trium circiter graduum, & si latitudo radicis montis sit 38 gr. locus autem Solis in medio circiter Leonis, tempus, quo in vertice prius Sol conspicietur, quam ad radicem montis, esse tantum tredecim minutorum horæ. Unde patet, minus verisimile esse, quod Aristoteles de summis Caucasi partibus refert, & Plinius de Casii montis fastigiis, nimirum illa mane ante ortum Solis & vesperi post occasum ad tertiam usque noctis partem illustrari radiis solaribus. Quanta autem altitudo requiratur ad hoc, docebimus sequenti Propositione invenire.

PROPOSITIO XIV.

Dato tempore, quo in vertice montis Sol prius conspicitur, quam ad montis radicem, invenire montis altitudinem.

Elevetur in globo polus pro latitudine radicis montis, & notato puncto quod loco Solis in Ecliptica opponitur, inveniatur arcus depressionis Solis infra Horizontem pro dato tempore. Deinde ex arcu hoc, tanquam intervallo, ex quo vertex montis videtur, investiganda est montis altitudo per probl. IV capit. IX.

PROPOSITIO XV.

Dato loco Lunæ in Zodiaco, una cum latitudine ejus, invenire vel exhibere in globo omnia illa loca, quibus Luna verticalis sit in ejus diei circumrotatione.

Locus Lunæ ex ephemeridibus excerptus in Ecliptica notetur. Deinde quadrantis una extremitas applicetur polo Eclipticæ, altera puncto in Ecliptica notato sive loco Lunæ, & numerentur in quadrante gradus latitudinis Lunæ, fiatque ad

numerationis terminum in globo signum. Deinde hoc ad meridianum adducto atque cretâ applicatâ describatur parallelus, quem Luna eo die circumvolutione sua describet. Et omnia loca in hoc parallelo sita sunt ea quæ quæruntur.

Eodem modo cum reliquis planetis agimus si detur eorum longitudo & latitudo.

PROPOSITIO XVI.

Dato loco Lunæ in Zodiaco & latitudine, & die anni, invenire horam, qua in loco aliquo dato oriatur, quâ occidat, in qua meridiem aget.

Elevetur polus pro dati loci Telluris latitudine. Locus Solis ex die anni inventus notetur in Ecliptica. Deinde signetur etiam in globo punctum pro loco Lunæ, ut in Propos. præced. monstravimus. Hisce factis, adducatur locus Solis ad meridianum, Index ad horam XII cycli. Et volvatur globus donec locus Lunæ oriatur, vel in meridiano sit, vel occidat. Index enim in cyclo monstrabit horam ortus, meridiei atque occasus.

Eodem modo agimus cum aliis Planetis, Saturno, Jove, &c.

PROPOSITIO XVII.

Exhibere in globo omnia illa loca, quibus Luna oriatur ad datam horam, & quibus in meridiano sit, & quibus occidat, si Lunæ longitudo & latitudo nota sit.

Notetur in Ecliptica locus Solis & locus Lunæ, ut in præcedentibus monuimus: & adducto loco Solis ad meridianum, atque Indice ad horam XII cycli, volvatur globus donec locus Lunæ ad meridianum perveniat, & in cyclo observentur horæ, quæ annotentur, vel in ipso cyclo fiat signum: Indicant enim, quanto tardius Luna ad meridianum quemlibet perveniat quam Sol. Porro loco Lunæ con-

constituto in meridiano, notetur in hoc punctum imminens: vel describatur parallelus Lunæ. Hisce factis adducatur locus Solis ad meridianum & Index ad horam XII, volvatur globus donec inveniatur hora, in qua Luna attinget meridianum hujus loci quemlibet perveniat: Notetur etiam meridiani punctum, quod imminet loco Lunæ. Porro locus is, cujus hora datur, adducatur ad meridianum, Index ad horam datam: Volvatur globus donec Index monstret XII meridiei. Sic loca meridiani semicirculo subjecta sunt illa, quibus Sol meridiem agit ad datam horam: Index reducatur ad XII, atque iterum volvatur globus donec Index perveniat ad notatam antea in cyclo horam. In hoc globi situ, locus qui notato meridiani puncto subjacet, est ille, cui Luna verticalis tunc est.

Hic itaque locus constituatur in vertice Horizontis, omnia loca meridiani semicirculo superiori subjecta sunt illa, quibus Luna tunc in meridiano est: illa vero loca, quæ in Orientali Horizontis semicirculo conspiciuntur, sunt quibus Luna tunc occidit: denique illis locis, quæ in Occidentali Horizontis semicirculo spectantur, Luna oritur ad datum temporis momentum.

Eodem modo agimus cum reliquis Planetis, Saturno, Jove, &c. si eorum longitudo & latitudo nota sit.

Propositio XVII.

Dato die & hora, qua Eclipsis Lunæ futura est vel fuit, exhibere in globo omnia loca, quæ illam videre poterunt, atque in specie illa, quibus Luna tunc in meridiano erit, quibus eclipsata orietur, quibus eclipsata occidet.

Hoc problema à præcedente parum differt: at multo faciliorem solutionem habet.

Ex dato die inveniatur locus Solis, nisi is jam cognitus sit, atque in Ecliptica globi notetur punctum illi oppositum. Hoc enim est locus Lunæ.

Inveniatur locus in globo, cui Sol ad datam horam verticalis est: & hujus loci antipodes inveniantur juxta Propos. VI cap. XXVIII. Hic enim locus erit, cui Luna eclipsata verticalis est. Constituatur hic in vertice Horizontis polo elevato vel depresso pro illius loci latitudine. Sic loca omnia globi, quæ supra Horizontem sunt, poterunt videre Eclipsin illam: Et quæ sub meridiano æneo jacent, videbunt illam in meridiano: quæ in Orientali Horizontis semicirculo jacent, videbunt eam in occasu sive cum Eclipsi occidentem: quæ vero in Occidentali Horizontis semicirculo jacent, videbunt eam in Ortu, sive Lunam eclipsatam oriri.

Verum cum Eclipsis non in uno horæ momento fiat, sed aliquot horas duret, ideo solet dividi in initium, medium, & finem; & horum momenta annotari: itaque de mediæ Eclipsis tempore potissima consideratio suscipienda est.

Præterea cum Luna sit minor quam Tellus, illustrabit partem minorem quam est hemisphærium, à minoris quoque partis incolis simul videtur, ita ut iis qui in Orientali Horizontis semicirculo jacent, non sit amplius conspicua: illis vero qui in Occidentali, nondum appareat: sed concipiendus est quidam circulus Horizonti parallelus, qui partem illustratam terminet. Quantum autem differat hæc pars ab hemisphærio, sive quanta sit ea superficiei Telluris portio, investigabimus sequenti Propositione.

PROPOSITIO XIX.

Data semidiametro Lunæ atque Telluris & distantia earum, invenire quanta portio Telluris à Luna illustretur in plenilunio.

Ab-

Absolvitur Problema hoc eodem modo, quo in Propositione XI usi sumus. Sit enim Telluris centrum S, circulus maximus, qui superficiem repræsentet, OFLH. Lunæ centrum A, circulus maximus CPBQ. Ducantur tangentes LB, OC. Hæ enim sunt ultimi radii; qui à Luna ad Tellurem pervenire possunt, atque ideo arcus OHL denotabit partem superficiei Telluris eam, quæ à Luna illustratur, & cujus incolæ Lunam simul videre possunt, quæ quanto minor sit quam hemisphærium, id cognoscemus si angulum HSL sive arcum HL invenerimus. Ducatur BN ex B parallela ipsi AS, erit BA æqualis SN, & NL excessus semidiametri Telluris SL supra semidiametrum Lunæ AB, & BN æqualis est distantiæ AS; angulus vero NLB rectus sive 90 gr. Itaque in Triangulo rectangulo NBL inveniemus angulum NBL hac proportione. Ut NB ad NL. ita sinus totus ad sinum anguli LBN, cujus arcus est is, quo HL differt ab arcu 90 sive quadrante peripheriæ Telluris. Et tanto intervallo distat à circulo maximo peripheria partem Telluris à Luna illuminatam terminans. Ponamus semidiametrum Lunæ continere partes 4, qualium semidiameter Telluris continet 15 sive $\frac{4}{15}$ semidiametri Telluris: Distantia vero maxima Lunæ à Tellure in plenilunio est 64 semidiametrorum Telluris: Itaque NL erit $\frac{11}{15}$, eritque instituenda proportio hæc: ut 64 ad $\frac{11}{15}$ ita 10000000 ad 1145583, qui est sinus 39 min. Itaque arcus HL minor est quam 90 gr. minutis 39, ac proinde 89 gr. 21 min.

Loco itaque, cui Luna verticalis est, in vertice Horizontis constituto, populi quibus tunc Luna oritur & occidit, non erunt illi, qui in ipso Horizonte conspiciuntur, sed qui in parallelo Horizontis, minutis triginta novem ab eo distant.

Propositio XX.

Data stella cujusvis declinatione, exhibere in globo terrestri omnia loca, quibus ea stella verticalis sit in circumvolutione diurna.

Numerentur in æneo meridiano gradus datæ declinationis ab Æquatore, & in termino numerationis fiat signum cretâ, vel applicatâ cretâ, & globo circumrotato designetur parallelus in globo. Omnia loca in hoc parallelo sita, vel notatum meridiani punctum transeuntia sunt illa, quorum verticem stella illa singulis circumvolutionibus diurnis aliquo temporis momento occupabit.

Propositio XXI.

Data stella alicujus ascensione rectâ, & datâ horâ datæ diei, exhibere in globo terrestri omnia loca, in quorum meridiano stella ea existit ad datam horam.

Numerentur in Æquatore dati gradus ascensionis rectæ stellæ, & fiat signum cretâ. Locus quoque Solis ex dato die inventus adducatur ad meridianum, & notetur gradus Æquatoris in meridiano existens. Arcus Æquatoris inter duo hæc notata puncta interceptus annotetur. Vel, quod idem est, in horas & horarum scrupula mutetur: indicant enim tempus, quod intercedit inter Solis & stellæ illius appulsum ad quemlibet meridianum.

Hisce factis inveniantur loca, in quorum Meridiano Sol existit ad datam horam vel horæ momentum, atque Indice ad XII collocato, volvatur globus donec index monstret horam antea notatam, vel donec annotati gradus Æquatoris transierint meridianum. In hoc situ globi omnia illa loca quæ meridiano subjecta conspiciuntur, sunt illa quæ quæruntur, nimirum in quorum meridiano stella illa erit ad datum tempus.

PRO-

Propositio XXII.

Data stellæ declinatione & ascensione rectâ, & dato quovis diei tempore exhibere in globo, 1. illum locum cui stella tunc verticalis est. 2. omnia illa loca, supra quorum Horizontes stella illa tunc erit, & illa, quorum infra Horizontes tunc erit: item illa, in quorum meridiano meridiei erit, & in quorum meridiano mediæ noctis: item omnia illa loca, quibus stella tunc orietur, & omnia illa, quibus tunc occidet.

Primo, ex ascensione recta inveniantur loca, in quorum meridiano stella existit ad datum tempus, atque ea meridiano æneo subjecta maneant. Deinde ab Æquatore versus polum numerentur gradus datæ declinationis, atque punctum globi, quod subjicitur termino numerationis, notetur. Hoc enim est locus, cui stella verticalis erit illo tempore. Constituatur illud in vertice Horizontis, polò elevatò pro illius latitudine. Sic illa loca, quæ meridiani semicirculo superiori subjecta sunt, habebunt eam stellam dato tempore in meridiano meridiei: Sed quæ loca in meridiani semicirculo inferiori conspicientur, habebunt eam in meridiano mediæ noctis: Atque illa loca, quæ in Orientali Horizontis semicirculo conspiciuntur, sunt ea quibus stella ad id tempus simul occidit: illis vero, quæ in Occidentali Horizontis semicirculo jacent, stella ea tunc simul orietur.

Propositio XXIII.

Exhibere in globo terrestri omnia loca, quibus Sol, Luna, atque omnes stellæ tanto tempore infra Horizontem occultantur, quanto nobis vel alteri dato loco supra Horizontem commorantur.

Noster locus vel alius datus locus adducatur ad meridianum, & inveniatur parallelus Antœco-

rum. Omnia loca in hoc parallelo sita sunt ea, quæ quæruntur, ut in globo monstrari potest, si polus elevetur pro dati loci & deprimatur pro hujus paralleli inventi latitudine.

Propositio XXIV.

Causam ostendere, cur dies celerius augeantur & minuantur circa æquinoctia, tardius circa solstitia, ubi multis diebus nullum videtur esse incrementum vel decrementum, idque excepto Æquatore, in omnibus Telluris locis, eo tamen magis, quo ab Æquatore sunt remotiora.

Ex. gr. Assumamus triginta dies ante æquinoctium vernum (ab xx Februarii ad xxi Martii), & triginta dies post Solstitium hybernum sive Solstitium Capricorni (à xxi Decembr. ad xxi Januarii); Ostendenda est causa, cur excessus diei xxi Martii (sive mora Solis supra Horizontem) supra longitudinem diei xx Februarii sit multo major, quam excessus diei xxi Januarii supra diem xxi Decembris.

Locus Solis pro singulis illis quatuor diebus notetur in globi Ecliptica, nempe i gr. Piscium, Arietis, Capricorni, & Aquarii, atque describantur paralleli Solis, quorum duo jam existunt in globo, nempe Æquator ipse & Tropicus Capricorni. Conspicuum itaque erit, quod Æquator sive parallelus Solis in i gr. Arietis multo longiori intervallo absit à parallelo Solis in i gr. Piscium, quam parallelus Solis in i gr. Aquarii à parallelo ejusdem in i gr. Capricorni existentis. Inde fit, ut non multo major portio paralleli i gr. Aquarii exstet supra Horizontem, quam paralleli i gr. Capricorni sive ipsius Tropici Capricorni, istæ autem portiones denotant moram Solis supra Horizontem illis diebus. At multo major portio Æquatoris sive paralleli i gr. Arietis extat

supra

ſupra Horizontem quam paralleli 1 gr. Piſcium. Quoniam itaque arcus hi extantes ſupra Horizontem denotant moram Solis ſupra Horizontem, hæc autem eſt ipſa dierum longitudo, inde colligimus magnum vel parvum incrementum declinationis Solis ab Æquatore (ſive punctorum Eclipticæ) eſſe cauſam iſtius inæqualis incrementi dierum. Verum in locis ipſius Æquatoris omnes dies æquales ſunt, adeoque nullum hic eſt incrementum vel decrementum: etſi ſol circa dies Solſtitiorum ſtare, hoc eſt altitudinem meridianam parum mutare videatur.

Majorem autem reperiri inæqualitatem decrementi iſtius & incrementi dierum, quo loca ab Æquatore ſunt remotiora, manifeſtum fiet, ſi polus elevetur pro diverſorum locorum ab Æquatore diſtantia, & in utroque ſitu conſiderentur arcus parallelorum elevati ſupra Horizontem.

Propositio XXV.

Locis Zonæ Torridæ in ipſo Æquatore ſive medio Zonæ Torridæ ſitis Sol multo celerius a vertice recedit, quam locis quæ vicina ſunt Tropico Cancri vel Capricorni.

Notetur in meridiano æneo globi gradus aliquis ex. gr. quintus ab Æquatore. Et aſſumto alio loco in Zona Torrida, ex. gr. cujus latitudo ſit 18 gr. adducatur hic ad meridianum, fiat ſignum cretâ in hoc, & numerentur ab eo verſus Tropicum gradus quinque in meridiano æneo, atque iterum hic fiat ſignum creta. Oſtendendum eſt, quod Sol paucioribus diebus removeatur à locorum Æquatoris vertice gradibus quinque in meridie, quam à vertice alterius loci totidem gradibus.

Volvatur globus donec aliquod Eclipticæ punctum veniat ſub notato meridiani puncto Æqua-

tori vicino, & numerentur gradus Eclipticæ inter 1 gr. Arietis vel Libræ & inter illud punctum, atque arcus hic annotetur: Deinde volvatur globus iterum, donec transeat aliquod Eclipticæ punctum per notam in meridiano factam pro loco, atque hoc Eclipticæ punctum notetur: rursus volvatur donec per punctum quinque gradibus remotum & notatum aliud Eclipticæ punctum transeat, quod iterum notetur: atque arcus inter duo postrema Eclipticæ puncta numeretur, qui multo major deprehendetur, quam ille qui prius annotatus fuit, & proinde Sol plures dies in hoc arcu hærebit quam in isto arcu, adeoque tardius à vertice loci secundi recedet, quam à vertice loci in Æquatore assumti.

GENERALIS GEOGRAPHIÆ LIBER TERTIUS, nempe COMPARATIVA PARS

De affectionibus ex comparatione locorum.

CAPUT XXXI.

De Longitudine loci.

DEFINITIONES.

Circulus longitudinis loci alicujus in Tellure dicitur circulus transiens per locum illum & ambos Telluris polos. Dicitur etiam *Meridianus*, quia loci meridianus & circulus longitudinis loci sunt unus idemque circulus, sed ratione distinguuntur, quoniam Meridianus respicit ad motus stellarum, circulus longitudinis ipsam Telluris extensionem, nullâ habitâ cælestium motuum ratione. Verum frequentata magis & commodior est usurpatio Meridiani, ideoque nos etiam hac voce utemur. In Globis & Mappis conspicui sunt, per denarios quosque Æquatoris gradus transeuntes.

2. *Longitudo loci* dicitur distantia Meridiani ejus loci à certo aliquo Meridiano, sive dicitur arcus Æquatoris aut paralleli interceptus inter Meridianum illius loci & certum aliquem Meridianum. Hic Meridianus, à quo reliquorum locorum Meridiani numerantur, ab occasu versus Ortum dicitur *Meridianus primus. Longitudo* autem *ipsius Telluris* dicitur ejus extensio ab Occi-

dente in Orientem concepta secundum lineam Æquatoris. Meridianus primus in Mappis & Globis magnitudine & colore præ reliquis insignis est atque in oculos incurrit.

3. *Distantia* unius loci ab altero dicitur linea brevissima inter duo illa loca in Telluris superficie intercepta.

4. Punctum quodvis in Globo & Mappis locum aliquem Telluris vere repræsentare & exhibere dicitur, si ad reliqua Mappæ puncta eum habeat situm & distantiam, qualem locus Telluris, quem repræsentare debet, ad alia Telluris loca, quæ à reliquis Mappæ punctis repræsentantur.

Propositio I.

Dimensioni Telluris sive extensionis ab Occidente in Orientem vel secundum Æquatorem, Natura nullum posuit initium vel terminum, sed omnia loca & singula possunt assumi pro initio, atque primus Meridianus in eis constitui.

Ad hæc rectius intelligenda, res paulo altius repetenda est, quoniam quidam mysteria nescio quæ hic latere existimant. Omnis superficies tam plana quam curva duabus dimensionibus vel extensionibus (sicut linea unâ & corpus tribus) mensuratur & determinatur, ut notum est ex Geometria & communi vita; quarum extensionum una dicitur longitudo superficiei vel figuræ illius, altera dicitur latitudo, atque altera ad alteram perpendicularis concipitur. Neque hæ extensiones naturâ suâ differunt, sed eam quam pro longitudine assumsimus, licet assumere pro latitudine, & contra: plerunque tamen si duæ hæ extensiones sint inæquales, longissimam assumimus pro longitudine, brevissimam pro latitudine.

In figuris autem ordinatis, ut Triangulo æquilatero, Quadrato, &c. duæ illæ extensiones omni-

no

no æquales sunt, neque ulla differentia est inter longitudinem & latitudinem. Est autem figura superficiei Telluris Sphærica, & latitudo à longitudine non differt revera, sed tantum juxta nostros conceptus quales nos in ea concipimus distinctioris cognitionis ergo. Duæ vero illæ extensiones in Sphærica superficie concipiuntur commodissime ita (ut in aliis curvis superficiebus) si primo in ea assumatur peripheria semicirculi ducta ab uno puncto ad oppositum, atque hæc linea constituatur una extensio superficiei illius, deinde pro altera extensione assumenda erit peripheria priorem peripheriam in medio secans ad angulos rectos (ita enim in omnibus figuris sumuntur longitudo & latitudo) atque hæc circa totam superficiem extendi donec in seipsam redeat, concipitur, ut ita superficies curva in planum extensa cogitetur. Quoniam itaque primo assumta peripheria sive extensio est tantum semicirculi, erit illa latitudo globi: posterior autem sive altera extensio erit longitudo globi, quoniam longior est, quam prior extensio, quippe quæ in seipsam redit & integri circuli peripheria est. Alii appellationis aliam afferunt causam, nimirum quod minor pars Telluris à polo ad polum cognita esset antiquis, major vero ab Occidente in Orientem.

Porro in globorum superficiebus licet quamvis semiperipheriam assumere pro latitudinis extensione, atque ejus perpendicularem pro longitudinis extensione, & proinde in Telluris quoque superficie idem facere liceret: verum quia commodius est ad memoriam, si assumantur peripheriæ, quarum termini vel ipsæ etiam peripheriæ præ reliquis peripheriis in superficie ista aliquid peculiare & insignem proprietatem habent, ideo in Telluris superficie pro latitudinis extensione assumta est merito peripheria aliqua inter polos

Telluris ducta, & quoniam huic peripheriæ nulla alia est perpendicularis, quæ simul per ejus medium transeat, præterquam Æquatoris linea, ideo pro longitudinis Telluris extensione assumendus fuit ipse Æquator.

Sic itaque, ut puto, clare satis explicatum, propter quam causam latitudo Telluris inter polos, pro longitudine ipsa Æquatoris linea fuerit assumta.

Hæc latitudo & longitudo Telluris non est confundenda cum latitudine & longitudine locorum, sive punctorum in Tellure, ideo autem eisdem vocabulis exprimuntur, quia latitudo locorum sive punctorum sumitur in peripheria latitudinis Telluris ipsius, atque ejus pars est: longitudo vero locorum sive punctorum sumitur in peripheria longitudinis Telluris, nempe in ipso Æquatore atque ejus parallelis.

Impropria tamen est hæc usurpatio, quia latitudo & longitudo proprie, ut dictum est, figuris & superficiei tantum conveniunt: punctum vero nec longitudinem nec latitudinem habet. Atque istam homonymiam sive diversam usurpationem vocabulorum Latitudinis & longitudinis adolescentes observare debent, quia frequenter in lectione Geographorum occurrunt, nimirum *alia est usurpatio & significatio, cum dicimus longitudo & latitudo Hispaniæ, Galliæ, &c.* quia tunc in propria significatione sumuntur hæc vocabula: Est enim Hispania figura, sicut etiam Gallia & aliæ provinciæ, ac proinde longitudo tunc denotat Hispaniæ longissimam extensionem, latitudo vero brevissimam, quæ usurpatio convenit cum ea, qua tot Telluris superficiei latitudinem & longitudinem assignari antea diximus. *Alia vero est significatio*, cum dicimus, latitudo loci istius vel longitudo, si per locum intelligamus punctum aliquod vel urbem

aut

aut insignem locum, quia tunc latitudo denotat distantiam loci ab Æquatore; longitudo vero distantiam à certo meridiano. Et meo quidem judicio, confusionis vitandæ ergo præstaret hac usurpatione vocabulorum latitudinis & longitudinis abstinere, & pro illis adhibere hæc, Distantia ab Æquatore, Distantia à primo Meridiano: verum cum tot jam seculis hæc homonymia recepta sit, ideo vix abolere eam poterimus. Et ideo nos quoque in sequentibus vocabula hæc, latitudo & longitudo loci, usurpabimus pro distantia loci ab Æquatore, distantia Meridiani loci à Meridiano primo.

Porrò latitudo loci, sicut latitudo totius Telluris, habet insignia Telluris puncta pro initio numerationis, nempe polos & Æquatorem: at longitudo Tellutis quia circa totam Tellurem extenditur atque in seipsam recurrit, nullum habet certum initium & finem, sed ubique est initium, ubique finis, quoniam peripheria infinitæ lineæ similis est. Quare quodlibet Æquatoris punctum potest assumi pro initio longitudinis Telluris, & Meridianus per illud punctum transiens pro primo Meridiano, à quo Meridiani omnium Telluris punctorum numerentur vel longitudo eorum supputetur.

Cur autem in singulis Telluris punctis duas illas distantias, nempe unam ab Æquatore, alteram à certo Meridiano, inquiramus, illud Propositione III dicemus.

Propositio II.

Primum Meridianum & initium numerationis pro longitudine locorum constituere & determinare in globo Telluris.

Diximus in præcedenti Propositione, quod singula Æquatoris puncta possint assumi pro initio exten-

extensionis Telluris secundum longitudinem, atque ab ejus meridiano numerari locorum longitudines. Sed quoniam non simul omnia assumi possunt, sed præstat unum figere principium sive eligere certum aliquod punctum (id autem arbitrio hominum relinquitur), ideo Geographi certum in Telluris superficie locum sumserunt per quem ductus Meridianus primus esset, atque in Æquatore, ubi hunc secat, initium numerationis longitudinis locorum indicaret. Verum non eundem omnes locum sumserunt sive eundem pro primo meridiano, sed diversos. Ptolemæus elegit vicinum Fortunatis Insulis, quas uno tantum gradu removet à primo, & hinc versus Orientalem plagam per Africam atque Asiam numerat Meridianos reliquos & longitudinem locorum. Cum enim liberum esset eligendi initii arbitrium, maluerunt Veteres simul habere rationem portionis Terræ, quam habitari ab hominibus sciebant; quæ portio non in seipsam recurrit, sicut ipsius Telluris superficies, atque adeo in ea portione potest assignari initium longitudinis atque finis in alio puncto. Quoniam itaque Ptolemæi seculo insulæ Fortunatæ erant ultimæ in Occidentali plaga ex omnibus Terris, quas tunc cognitas habebant, ideo ab eo termino Ptolemæus incepit numerare longitudinem Terræ & ad Orientales regiones progressus finem numerationis Meridianorum fecit in ultimo Asiæ littore Sinensi.

Sed cum ante aliquot secula diu post Ptolemæi ævum inventæ essent plurimæ regiones Terræ habitatæ versus Occidentem atque ingens illa America detecta, tunc Geographi nonnulli promoverunt initium numerationi longitudinis versus Occidentem. Quidam enim meridianum Insulæ S. Nicolai, quæ una est ex adjacentibus promontorio Viridi Africæ, primum fecerunt; Hondius

dius vero insulam S. Jacobi in Mappis suis elegit.

Alii Meridianum insulæ unius ex Flandricis sive Azoribus, quæ *del Corvo* dicitur, pro primo assumserunt, propterea quod in hac insula & vicino mari acus Magnetica nullam declinationem à linea meridiana habere deprehensum sit, & ipsam Septentrionalem atque Australem Cardinem monstrare. Hoc initium Mercator in suis Tabulis observat.

Sed cum neque alia loca desint in Tellure, ubi acus Magnetica id faciat, neque in omnibus Meridiani hujus loci id faciat, ideo alii Geographi existimarunt, illam causam non esse sufficientem, & quidam in littore procurrente Brasiliæ primum Meridianum defixerunt: recentiores, inprimis Belgæ, ad Fortunatas seu Canarias Insulas regressi elegerunt in una illarum dicta Teneriffa montem, qui altissimus censetur totius Telluris, appellatum *el Pico de Teneriffa*, atque ab hujus Meridiano instituendam esse censent longitudinis locorum numerationem, propterea quod insignem & multis seculis durabilem locum ad istud negotium existiment eligendum esse, de quo sequentibus seculis non facile dubitatio apud posteros existat, & præterea non sine gravi ratione Ptolemaïcam & tot seculis observatam assignationem deserendam esse. Galli hodie ab anno 1634. primum Meridianum observant eum, qui per Occidentalem partem insulæ Ferri (*de Ferro*) una è Canariis transit, quod initium ipse Rex Galliæ Ludovicus XIII jussit suos nautas & Geographos observare.

Astronomi quoque diversa loca pro primo Meridiano assumunt. Tychonici enim ad Uranoburgum situm in insula Freti Danici eum solent defigere, atque ad illum locum cælestes motus supputare, atque inde ad alia loca accommodare. Alii

alia

alia initia tenent, prout alium atque alium Ephemeridum ſcriptorem ſequuntur. Scriptores enim Ephemeri ium, ut etiam Tabularum Planetariarum ſupputatores ad ſui loci quiſque meridianum ſolent ſupputare motus Planetarum & apparentias, ut Origanus ad Francofurtenſem, Maginus ad Venetum (quia Patavina Academia Venetorum eſt) Eicſtadius ad Stetinenſem. Lansbergius in ſuis Tabulis ponit Goeſam Zeelandiæ Reinholdus in Prutenicis Regium montem Boruſſiæ.

Verumenimvero ut libere, quod ſentio, dicam, omnis hæc autorum diſcordia ſine ulla ſufficienti ratione enata eſt, ita ut illi qui primi Ptolemaicum initium loco moverunt, culpandi ſint. Perinde enim eſt, quodcunque hujus numerationis initium aſſumatur in Tellure, ſive locus ſit inſignis ſive ultimus ad Occidentem ſive ad Orientem, modo reliquorum locorum ſitus & diſtantia ad eum accurate cognoſcatur, & illa varietas initii meridianorum multis confuſionibus & difficultatibus Geographicorum ſcriptorum lectionem gravat. Quoniam tamen Magnetis declinationis à linea meridiana cognitio magnæ eſt utilitatis & dignitatis, atque ea declinatio creſcit ad certum uſque meridianum, & deinde rurſus decreſcit, non exiſtimo incommodum eſſe ad obſervationes declinationis Magneticæ & faciliorem comparationem augmenti & decrementi illius, ſi aſſumatur primus meridianus ille, in quo acus Magnetica nullam vel exiguam facit declinationem, modo talis aliquis meridianus daretur, in cujus nempe omnibus locis vel ſaltem plurimis acus magnetica id faceret.

Cæterum cum Belgæ hoc tempore obſervent montem Teneriffæ pro initio longitudinis, atque hodie in omnes Telluris partes navigent, ideo conveniens videtur idem initium cum illis agno-

ſcere

ſcere ad faciliorem intelligentiam diariorum, quæ edere ſolent.

In leſtione autem autorum id ſibi obſervandum ſciant adoleſcentes, ubi mentio fit longitudinis loci vel meridiani certi numerati, quod tunc conſiderare debeant, quodnam autor ille initium longitudinis ſtatuerit, vel per quem locum duxerit primum meridianum. Ad eum enim aliorum locorum longitudinem exquirere debent.

Propositio III.

Datâ loci alicujus latitudine & longitudine, ſive datâ loci diſtantiâ ab Æquatore & certo aliquo meridiano, qui in Mappis vel Globo reperitur, ipſius loci ſitum & punctum in Mappis & Globo exhiberi. Vel ita: *Si in aliquo Telluris loco terra vel mari verſemur, qui nobis incognitus ſit, ſive cujus ſitum ad alia Telluris loca ignoramus, nota autem ſiat nobis hujus loci latitudo & longitudo, inde inveſtigare hujus loci ſitum in Tellure atque ab aliis locis diſtantiam.*

Hoc eſt problema illud, propter quod adeo anxie & magna induſtria methodus quæritur, qua longitudo loci quovis tempore, quo in eo verſamur, poſſit inveniri. Atque ideo, etſi prius de longitudinis hujus inventione fuiſſet agendum, tamen mihi magis conſultum viſum fuit, ipſum problema, propter quod illa longitudo quæritur, præmittere, idque eam ob cauſam, cum de longitudine hac prolixe agendum ſit, ne adoleſcentes faſtidio corripiantur, ignorantes quem ob finem tanti laboris opera ſuſcipiatur & tam variæ viæ tentandæ ſint.

Etenim nautæ (nam terreſtria itinera non ita indigent hac cognitione) à littoribus longe progreſſi & in Oceano verſantes, quia viam itineris confecti propter varia impedimenta non poſſunt accu-

accurate scire, atque in Mappis suis notare, sæpissime ignorant, in quo loco Telluris versentur, qualem hic locus situm habeat ad illa loca, quæ petunt vel petenda sunt, si salvi & incolumes evadere velint, atque ideo etiam ignorant, in quam plagam dirigenda sit navis. Ad illius vero cognitionem nulla promtior methodus est, quam si loci illius latitudinem & longitudinem, hoc est, distantiam ab Æquatore & certo aliquo meridiano Telluris, habeant perspectum, vel investigent. Et loci quidem latitudinem variis modis noctu per stellas, die per Solem investigare haud difficili opera docuerunt illos Mathematici, quales modos tradidimus in prioribus (qui enim existimant, solius acus magneticæ beneficio id cognosci, suam imperitiam in hac disciplina produnt). Ex qua latitudine inventa cognoscunt, in quonam parallelo Telluris versentur, quod quidem non levis est quæsiti pars: sed cum infinita sint illius paralleli puncta, nondum ex illa latitudinis cognitione sciunt, in quonam paralleli puncto hæreant. Hoc autem cognoscerent, si scirent, in quoniam meridiano constituti sunt, sive quot gradibus hic meridianus ab aliorum locorum aliquo meridiano distet. Etenim ubi hic meridianus parallelum antea inventum secat, istud punctum est locus in quo sunt. Ita enim in omnibus disciplinis Mathematicis observatur, ut quando de puncti alicujus loco quæritur, is plerunque non aliter inveniatur quam per duarum linearum sectionem.

Sit itaque cognita loci alicujus sive puncti in superficie Telluris latitudo & longitudo. Invenietur ejus puncti situs sive locus in globo ita:

Numerentur in meridiano æneo ab Æquatore gradus latitudinis, atque ad terminum numerationis applicata creta describatur parallelus loci sive circulus latitudinis. In hujus itaque aliquo puncto

puncto constitutos nos esse, sive hujus aliquod punctum esse id quod quæritur, certum est ex inventa latitudine. At ipsum hoc punctum porro ex inventa longitudine cognoscitur. Adducatur enim is meridianus sive locus, à quo illa longitudo numeratur, sub æneum meridianum (si per initium hujus numerationis transeat meridianus, vel si meridianus primus globi sit ipsum illud initium, tunc non opus est ad æneum meridianum adducere) atque in Æquatore ab eo puncto, quod in meridiano est, numerentur gradus cognitæ longitudinis versus Occasum vel Ortum, prout data fuerit. Terminus numerationis adducatur ad meridianum æneum (nisi per illum transeat aliquis meridianus). Ita meridianus hic repræsentabit meridianum, in quo punctum quæsitum sive locus incognitus necessario situs est. Atqui antea inventus est parallelus, in quo idem quæsitum punctum situm esse ostensum fuit. Quare quæsitus locus est punctum illud, ubi meridianus inventus, & inventus antea parallelus, se mutuo secant, nempe illud paralleli punctum, quod sub meridiano æneo conspicitur. Paulo prolixius explicavi negotium, ut Lectores simul causam & demonstrationem perspicerent: Sed *facillima praxis est hoc modo:*

Numerentur gradus datæ longitudinis in Æquatore ab illo puncto, quod initium est datæ longitudinis: terminus numerationis adducatur ad æneum meridianum, atque ab æquatore in meridiano numerentur gradus latitudinis datæ. Terminus hujus numerationis est locus quæsitus, sive puncti, in quo locus incognitus jacet.

In Mappis rectilineis, ut sunt omnes nauticæ, fit ita: Gradus latitudinis numerantur in lineis descendentibus seu lateralibus, atque applicata regula ducitur parallelus loci, in quo certum est

locum

locum ignotum jacere. Deinde in transversis lineis, summa & ima, numeratur longitudo, & applicata regula ducitur linea meridiana; ubi hæc secat priorem, is est loci quæsiti punctum.

Expeditius ita: Applicata regula ad gradus longitudinis datæ in transversis lineis, sumitur deinde circini intervallo in linea laterali alterutra pars ea, quæ inter datum latitudinis gradum & punctum summum vel imum interjacet, atque circini hoc intervallo ad regulam accommodato statim habetur quæsiti puncti locus in Mappa.

Hujus itaque situs simul ad omnia loca perspicitur, unde facile est colligere, in quam plagam navis dirigenda sit, si ad hunc vel istum locum velint pervenire.

In Curvilineis Mappis eodem modo agimus, nisi quod lineis rectis curvas ducere necessum habemus.

Hic est *primus usus* & insignis utilitas inventæ longitudinis in arte Nautica.

Secundus usus multo maximus est ipsa Constructio Globi & Mapparum, quia eo modo, quo indicavimus, per latitudinem & longitudinem cognitam omnia loca in globis & mappis consignantur, ut in sequentibus dicetur, neque possibile fuisset globum terrestrem construere, nisi locorum longitudines notæ & investigatæ fuissent. Atque inde fit, ut globi & mappæ plurima loca falso exhibeant loco, quia longitudo eorum vera non fuit cognita.

Tertius usus cognitæ longitudinis locorum est etiam insignis, nimirum quod ex illa cognoscimus facillime, temporis diversitatem in diversis locis & qua hora horæve parte singula phænomena cælestia in diversis regionibus accidant vel conspiciantur, de quo in sequenti Propositione dicetur.

Quar-

Quartus usus, quod ex differentia longitudinis duorum locorum & latitudinis invenitur distantia locorum. Jam satis explicata utilitate cognitæ longitudinis accedimus ad ipsius inventionis methodum.

PROPOSITIO VI.

Sol, omnes stellæ atque omnia in cœlo concepta puncta (ut Æquatoris & parallelorum puncta) singulis horis à cujusvis loci Meridiano removentur vel recedunt gradibus quindecim, in uno horæ scrupulo $\frac{3}{60}$ removentur quindecim minutis, & proinde in quatuor horæ scrupulis recedunt uno gradu, nempe in cujusvis stellæ parallelo sumta distantia.

Etenim hora nihil aliud est, nisi vigesima quarta pars temporis, quo Sol à loci cujusvis meridiano ad Occidentem delatus per imum cælum atque Orientalem Horizontem redit ad meridianum eum, hoc est, per integram peripheriam circumvolvitur. Censetur autem peripheria gradibus 360. Et si 360 dividas inter 24, reperies quindecim gradus respondere uni horæ. Itaque Sol in una hora removetur gradibus quindecim à cujusvis loci meridiano. Eodem quoque tempore cum Sole omnes stellæ circumrotari per integram peripheriam ad meridianum deprehenduntur. Quare & illæ singulis horis recedunt à quovis meridiano gradibus quindecim, & in quatuor horæ scrupulis uno gradu.

Potest hoc etiam in globo monstrari vel illustrari. Assumatur enim & notetur quodvis Æquatoris punctum, eoque adducto ad meridianum Index collocetur ad horam XII cycli. Volvatur deinde globus, donec Index monstret primam horam, atque deprehendes punctum Æquatoris notatum recessisse quindecim gradibus à meridiano, sive, ut vulgo loquimur, quindecim Æquatoris gradus transiisse meridianum: si deinde iterum

volvas

volvas globum, donec Index monstret horam 11, 111, 1V, &c deprehendes singulis horis punctum notatum recessisse quindecim gradibus longius à meridiano. Eodem modo idem deprehendemus in quovis parallelo, quem Sol atque stellæ extra Æquatorem motu diurno describunt.

Corollarium. Quæ itaque loca sita sunt in meridianis quindecim gradibus à se invicem remotis, eorum ille qui orientalior est, numerat omnes horas prius, quam alter locus, una hora: Ex. gr. 8, 9, 10, 11, 12, 1. cum alter 7, 8, 9, 10, 11, 12, &c. Si triginta gradibus distent meridiani, orientalior numerabit 8, 9, 10, 11, 12, 1, cum alter 6, 7, 8, 9, 10, 11. atque ita porro si quadraginta quinque gradibus sejungantur, tribus horis anticipabit orientalior locus numerationem loci occidentalioris, si sexaginta gradibus, horis quatuor, &c. Et proinde eandem cælestem apparentiam planetarum ut Eclipses, conjunctiones, &c. quam occidentalioris loci incolæ vident hora 8, vel 9, 10, 11, &c. eandem orientalioris meridiani loci videbunt hora 9, 10, 11, 12, siquidem quindecim gradibus sit orientalior, sed si gradibus 30, vel 45, vel 60 sit orientalior iste Meridianus, duabus, tribus vel quatuor horis citius vidisse eam loca illius meridiani existimabuntur, cum tamen eodem tempore & simul viderint, sed tempore diversimode denominato, hoc est nomine diverso, revera eodem.

Contra, si duorum locorum unus numeret horam 8, 9, 10, 11, 12, &c. dum alter locus numerat 9, 10, 11, 12, 1, vel si iis horis eandem Eclipsin videant incolæ, erit meridianus illius loci à meridiano hujus loci remotus vel orientalior gradibus quindecim, si duas horas in numerando anticipes, gradibus triginta; si tres horas, gradibus 45: si quatuor horas, gradibus 60, atque ita porro.

Ex

Ex quo patet, si detur ad idem temporis momentum hora in diversis locis, haberi quoque longitudinem unius loci ab altero.

Nota. Quod diximus de Sole & Luna, nimirum quindecim gradibus removeri ea sydera à quovis meridiano in una hora, non minus ac aliæ stellæ & cœli puncta, & quod omnes stellæ æquali tempore circumvolvantur ad meridianum cum Sole; hoc, inquam, si accurate loqui velimus, non est omnino verum. Etenim Sol serius redit ad meridianum quam stellæ fixæ & punctum quodvis Æquatoris, propterea quod Sol non manet fixus in uno Eclipticæ loco, sed versus Orientem in Ecliptica continuo movetur interea, dum versus Occidentem circumrotatur, & proinde quando stella, vel punctum Æquatoris, quod cum Sole simul recedit à meridiano aliquo, altero die redit ad eum meridianum, tunc Sol nondum pervenit ad eum, sed aliquantum remotus est, ita ut post tria vel quatuor horæ scrupula demum ad eum perveniat. Atque inde fit, ut stellæ quibus una unni parte Sol vicinus est, ita ut cum eis oriatur & occidat, quoniam Sole recedente rursus ab illis singulis diebus citius ad meridianum perveniat aliquot minutis, quæ progressu multorum dierum ita accrescunt, ut stella tandem duabus, tribus, quatuor, & quinque horis ante Solem perveniat ad meridianum. Proinde in una hora Solis, plures particulæ de Æquatore & parallelis transeunt Æquatorem, quam quindecim gradus. Sed cum adeo exigua sit hæc differentia à motu Solis proprio profecta, ut vix decem secunda minuta addat in una hora arcui Æquatoris quindecim graduum, ideo in meridianorum comparatione negligitur, & quæ loca hora una discrepant in numeratione ad idem tempus, eorum meridiani quindecim gradibus Æquatores ponuntur distare

stare à se invicem; quæ duabus horis, ea triginta gradibus; quæ tribus horis, ea quadraginta quinque gradibus, &c.

Propositio V.

Datis ad unum idemque tempus, sive Ad unam eandemque apparentiam cælestem datis horis atque minutis horariis nostri loci atque alterius alicujus loci, invenire quot gradibus nostri loci meridianus ab alterius loci meridiano remotus sit, hoc est, invenire longitudinem nostri loci ab illo.

Hujus solutio ex modo dictis jam facilis est, quia ostensum est, si locus aliquis una hora anticipet numerationem horarum alterius loci, illius meridianum ab hujus esse magis Orientalem gradibus quindecim, si duabus horis, triginta gradibus; si tribus horis, quadraginta quinque gradibus, &c.

Datarum itaque horarum differentia commutetur in gradus & minuta Æquatoris, nimirum pro singulis horis numerando gradus quindecim; pro $\frac{1}{4}$ horæ, gradus tres & minuta quadraginta quinque; pro horæ scrupulo unum gradum. Inventi gradus & minuta indicabunt meridianorum distantiam, nimirum si horæ nostri loci fuerint plures quam alterius loci, erit noster meridianus ab altero versus Orientem situs, si pauciores, versus Occidentem.

Propositio VI.

Datis iterum horis atque scrupulis horariis diversorum locorum ad unum idemque tempus sive ad unius ejusdemque apparentiæ cælestis tempus, & dato uno loco vel unius loci Meridiano in Mappis & Globo, exhibere etiam alterius loci meridianum vel longitudinem in Mappis & Globo.

Differentia horarum atque scrupulorum horarium

riorum commutetur in gradus Æquatoris & minuta. Deinde consideretur, utrum horæ ejus loci, cujus meridianus in Globo & Mappis datur, sint pauciores vel plures quam alterius loci, cujus meridianus quæritur. Si pauciores, alter hic meridianus versus ortum situs erit à dato meridiano; si plures, versus occasum. Adducatur itaque datus locus ad meridianum æneum (nisi per eum transeat aliquis meridianus), & ab Æquatoris puncto simul existente in meridiano numerentur gradus atque minuta ex horarum differentia inventa, idque versus occasum vel ortum, prout collegimus alterius loci situm (facilius per Indicem horarium ad XII applicatum, & voluto globo, donec Index monstret differentiam horarum). Terminus numerationis notetur cretâ, atque sub æneum meridianum adducatur: ita hic æneus meridianus erit quæsitus meridianus & punctum Æquatoris indicabit ejus longitudinem.

In Mappis iidem gradus atque minuta à dato meridiano numerentur in transversis lineis summa atque ima, & applicata regula ducatur linea (nam in rectilineis ut sunt nauticæ, præcipuus problematis usus). Hæc erit meridianus quæsitus.

PROPOSITIO VII.

Invenire longitudinem loci, in quo versamur, incogniti, sive, invenire meridiani in quo versamur, distantiam ab aliquo meridiano noto sive cujus situs in Mappis & Globo exprimitur vel exprimi potest.

Hoc est illud problema, cujus solutionem tantopere nautæ à Mathematicis exoptant, quod artem Nauticam fere perfectam & nulli fere errori obnoxiam redderet, quod duobus hisce seculis (quibus incredibili antiquis conatu & successu per totum terrarum orbem atque omnia vasti O-

ceani loca Europæi navigarunt) tantorum virorum ingenia exercuit & torsit, in quod denique Angli, Galli & Belgæ ad quinquaginta millia floren. singuli fere constituerunt præmium & mercedem Inventori vel solutionem exhibituro. Cæterum nemini hactenus palmam in medio positam rapere licuit, etsi varias vias & methodos tentaverint & proposuerint, atque quidam suarum inventionum amore capti rem à se confectam existimantes præmia illa ab Anglis, Gallis, & Belgis postulaverint: verum re examinata deprehensum est, illorum solutiones magno laborare defectu, neque sufficientes esse, ut mox videbimus. Nautæ Belgæ atque Germani interdum juxta latinam phrasin problema exponunt, Die lengde von ein orth zu finden: sed pleruque alia phrasi utuntur, dicentes, Ost und West finden / oder suchen/ quasi dicas Orientalem & Occidentalem plagam quærere, quæ equidem phrasis & modus loquendi admodum ab ipsa re alienus est, ut vel hinc manifestum sit, quantam licentiam & potestatem vulgus obtineat in novis terminis atque phrasibus etsi ineptis formandis & introducendis.

Ista enim phrasi effectum est, ut homines artis Nauticæ & Geographiæ imperiti ignorent, quid nautæ sibi velint, cum de inveniendo Oriente & Occidente loquuntur: existimant enim plerique illos hoc quærere, quod verba dicunt, nempe Orientalem & Occidentalem plagam, quod tamen falsum est, & quæstione indignum.

Etenim hasce plagas in quovis loco maris constituti sciunt ejusdem acus magneticæ quæ Septentrionem & Austrum indicat, beneficio, quia in pyxide plagæ omnes notantur, atque etiam sine pyxide cognita plaga Septentrionis & Austri facillimum est ostendere plagam Orientis & Occidentis; quippe facie ad Septentrionem conversa

Oriens

Oriens est à dextra, Occidens ad sinistram: Contra, facie ad Austrum conversa, Oriens est à sinistra, Occidens ad dextram. Hoc itaque non est id quod quæritur, sed loci longitudo, hoc est, quanto acu Æquatoris meridianus loci istius removeatur versus occasum vel ortum à certo aliquo meridiano. Cur itaque nautæ, dicat aliquis, tam alienam phrasin assumserunt? Causa est, quod vulgus fere omnia confuse atque superficie tenus tantum concipit & levi ex similitudine cum aliis rebus vocabula & phrases imponit, ut patet ex appellatione Americæ, quam vulgo vocant Indiam Occidentalem (quia aliquot annis post detectam Indiam proprie dictam ipsa quoque reperta fuit), & appellatione Convolvuli Hispanici, herbæ, quæ cum nostro Convolvulo exiguam habet similitudinem. & pluribus exemplis hoc ostendere facile est. Ita etiam se res habet cum phrasi hac, Orientem & Occidentem quærere. Etenim cum problema hoc, Septentrionem & Austrum invenire, beneficio acus Magneticæ solvatur, & vero problema de invenienda loci longitudine maximi quoque sit momenti, cuperentque nautæ æque facilem modum habere, quo illam cognoscere possent, atque loci latitudinem, & præterea illa longitudo numeretur ab Occidente in Orientem in Æquatore, ideo propter levem hanc similitudinem & rationem usurparunt phrasin hanc, Orientem & Occidentem invenire, cum hic non plaga aliqua quæratur, sed distantia meridianorum. Hæc propterea explicanda putavi, quia plurimos sciebam phrasi ista nautica in errorem & falsos conceptus abduci, vel saltem ignorare, quid illa significetur.

Hisce jam missis ad ipsam Problematis solutionem accedamus. Variii modi à variis excogitati sunt, ut dictum est, quibus ad solutionem perve-

niri posse opinati sunt. In eo omnes consentiunt, absque cœlo id fieri non posse, hoc est, sine apparentiis & motu planetarum, sicut ipsa loci latitudo non potest inveniri absque Solis vel stellarum aspectu (de Terrella enim Magnetica nimis dubia & errori obnoxia res est). Sine tamen Planetarum apparentiis id fieri posse certum est, si horologium automaton nulli errori & defectui obnoxium possimus fabricari.

Ostendimus in Propositione præcedente, si ad unius ejusdemque apparentiæ cælestis tempus nota sit hora cum scrupulis horariis, qua in duobus diversis locis ea apparet & conspicitur vel observatur; ostendimus, inquam, facile esse tunc ex horarum differentia invenire longitudinem unius loci ab altero. Quoniam itaque in Calendariis & ephemeridibus (ingenti sane Astronomiæ liberalitate & beneficio), habemus consignata ad singulos dies & horas loci alicujus phænomena omnia & motus Planetarum, ut sunt Eclipsis initium, medium, finis, item Lunæ conjunctio cum Planetis aliis, ingressus in Eclipticam, &c. ideo in incognitæ longitudinis loco versantes si inquiramus horam (& scrupula horæ) qua idem phænomenon conspicimus in hoc loco, inde inveniemus differentiam nostræ horæ ab hora illius loci, ad quem Tabulæ supputatæ sunt, & hinc porro meridiani, quo versamur, distantiam à meridiano, quem sive cujus horas Tabulæ indicant, atque ita habemus loci quæsitam magnitudinem. Neque consistit difficultas in horæ & scrupulorum horariorum inventione, quoniam illa ex stellæ aut Solis altitudine vel plaga cognoscuntur facili negotio, sed difficultas est in defectu talium apparentiarum cælestium, quæ ita observari possint.

Etsi vero alii quoque modi sint, quibus sine horarum cognitione & Planetariorum motuum confidera-

ſideratione loci longitudo inquiratur, illi tamen hic locum non habent, quia non ipſam primo longitudinem, ſed ipſum locum exhibent, & alia requirunt, quæ in illis caſibus, ubi longitudo quæritur, æque ignorantur, quos modos in ſequentibus explicabimus. Jam enim tales modos quærimus, quibus illa loci longitudo inveniatur, ubi ſitus loci incognitus eſt. Qui modi omnes præſupponunt cognitionem & comparationem temporis, quo apparentia aliqua motus Planetarii in duobus diverſis locis conſpicitur. Inepti autem ſint ad hoc negotium illi motus, qui admodum tardi ſunt, ita ut multis horis nulla vel exigua differentia in loco eorum Planetarum deprehendatur. Ex. gr. Saturnus progreditur in Ecliptica in una hora vix quinque ſecundis minutis. Etſi itaque ex ephemeridibus haberi poſſit tempus & hora, quæ ſit in illo loco quando Saturnus in Ecliptica (hoc eſt, in puncto orbitæ ſuæ ubi hæc ſecat Ecliticam) erit, tamen quia tardiſſime movetur, indeſit ut multis horis, ſi obſervationes inſtituantur, in eodem loco hærere videatur, & proinde non poſſit ipſum horæ momentum cognoſci in loco, ubi ſumus, quando in ipſo illo minuto hærent, & proinde neque horam noſtri loci conferre cum hora loci Tabularum.

Ita Sol, ſingulis horis in Ecliptica promovet $2\frac{1}{2}$ circiter minuta prima (quia integro die gradum circiter promovet), qui motus nimis tardus eſt ad hoc negotium, quia utcunque accuratæ obſervationes inſtituantur ad initium & finem horæ, idem locus Solis reperietur, adeoque facile error duarum, trium, &c. horarum hic obvenire poſſet. Sciendum enim eſt, quod modi tales eſſe debeant, ut in inveſtigatione etiam ſemitriceſimæ partis horæ error præcaveri poſſit,

hoc est, ut phænomenon illud cælestе quod ad investigationem adhibendum est, intra duo scrupula horæ sensibiliter varietur. Si enim ad duo scrupula horæ idem omnino & in eodem statu, quoad sensum & diligentem observationem, maneat, non poterimus certi esse de horæ parte qua id contigerit in cœlo revera; & si erratum sit in observatione per duo scrupula horæ, tunc in longitudinem irrepet error dimidii gradus, ut meridianum nostrum, in quo tunc sumus, in Mappis & Globo existimemus esse & notemus eum, qui non est verus sed dimidio gradu $7\frac{1}{2}$ milliaribus Germanicis in Æquatore à vero remotus sumenda; itaque sunt talia phænomena planetarum, quæ intra duo scrupula horæ vel etiam ad unum scrupulum aut si potest fieri ad dimidium scrupulum varientur. Talia autem nulla sunt nisi hæc. 1. Lunæ Eclipsis initium, medium, finis. 2. Lunæ longitudo sive locus in Zodiaco. 3. Lunæ distantia à stellis fixis, vel appulsus ad illa. 4. Lunæ ingressus in Eclipticam sive in puncta Orbitæ suæ, ubi hæc secat Eclipticam. 5. Conjunctio, distantia, & Eclipses Planetarum Jovialium, nimirum quatuor illorum Planetarum, qui circa Jovem nostro hoc demum seculo ope Telescopii reperti sunt circuitum facere, ingenti sane miraculo, unde Copernicana hypothesis magnum nacta est confirmationis argumentum.

Modus primus per Lunæ Eclipsin.

Hic modus optimus est & satis accuratus, si modo singulis noctibus Eclipses fierent. Eo momento temporis, quo conspicimus adhibito Telescopio Eclipsis Lunaris initium vel medium, tunc, inquam, observetur stellæ alicujus fixæ altitudo vel plaga, & simul Elevatio poli inventa sit antea, vel simul ex aliqua stella in meridiano con-

consistente investigetur. Ex altitudine stellæ hora cum scrupulis invenitur satis accurate, ut deinde docebimus ex Astronomia, & facilius absque altitudinis inventione si stella in meridiano versetur. Hæc itaque inventa hora cum scrupulis conferatur cum hora & scrupulis, qua Ephemerides exhibent ejus Eclipsis initium, vel medium (quæ horæ respiciunt meridianum, ad quem Ephemerides supputatæ sunt). Sic itaque inventa est ad idem tempus vel ad eandem apparentiam cælestem hora duorum locorum; nempe nostri loci & meridiani Ephemeridum: Et meridianus Ephemeridum notus est. Itaque longitudinem nostri loci à meridiano Ephemeridum inveniemus, si differentiam horarum utriusque loci convertamus in gradus & minuta Æquatoris, sicut Propos. v diximus. Et quoniam in Mappis datur & Globo meridianus Ephemeridum notus est vel facili negotio signari potest, ideo ab eo numerabimus inventos gradus in lineis transversis Mappæ versus occasum vel ortum prout horæ nostri vel ignoti loci fuerint pauciores vel plures quam horæ meridiani Ephemeridum, & per terminum numerationis ducenda erit linea meridiana. Ea est meridianus nostri loci in quo tum versamur, sive in quo observatio ea Eclipsis instituta fuit.

Modus secundus per Lunæ locum in Zodiaco.

Etsi præcedens modus, per Lunæ Eclipsin negotium expediens, sit accuratissimus, tamen quoniam Eclipses eæ raræ sunt neque omnes in omnibus locis conspicuæ, ideo modus hic Problema non solvit sufficienter, neque nautas in mari incerto vagantes juvare potest: sed magis commodus est ad constituendas & inveniendas locorum terrestrium, ubi Mathematici agunt vel proficisci pos-

ſunt, atque omnium fere locorum longitudines, quas ſcimus, per iſtum modum inventæ ſunt: namque ex annotati temporis, quo conſpecta ſunt Eclipſis initia vel media, comparatione facile eſt unius loci ab altero longitudinem invenire, ut ſatis ſuperque explicatum eſſe puto. Verum nautarum uſus requirit phænomenon vel apparentiam, quæ ſæpius nempe ſingulis noctibus ad minimum (ſi diebus non liceat) accidat, quoniam ſingulis noctibus accidere poteſt, ut in loco ignoto verſentur tempeſtatibus ſeducti. Frequentius phænomenon eſt Lunæ locus in Zodiaco, ſed obſervatio & calculus admodum moleſtus & perplexus requiritur propter parallaxes duplices, ut vix præcaveri poſſit non dico parvus ſed inſignis error dimidiæ vel etiam integræ horæ, unde falſus meridianus invenitur à vero remotus multis milliaribus, nempe centum & pluribus.

Minus tamen aberrabitur ſi exſpectetur horæ momentum, quo Luna meridianum occupat; *tunc enim ſatis accurate invenietur longitudo loci quæſita hoc modo*: Ubi accurate obſervatum fuerit, Lunam in meridianum veniſſe loci, ubi ſumus, ſtatim capienda eſt altitudo alicujus ſtellæ (elevatio poli præſupponitur antea inventa) inſignis, atque ex hac & elevatione poli licebit inquirere horam: ſed præſtat per ſtellam aliquam in meridiano tunc hærentem id facere, ut deinde monebimus. Porro ex cognita hora inveniatur, quodnam Eclipticæ ſive Zodiaci punctum in Meridiano tunc hæreat, ſive medium cæli occupet (ut loquuntur Aſtronomi) quod etiam facile eſt, ut in Lemmate ſecundo docebimus. Sic itaque ad horam noſtri ſive ignoti loci habebimus cognitum locum Lunæ in Zodiaco. Deinde ex Ephemeridum Tabulis inveniatur hora, quæ in meridiano Ephemeridum ſit, ubi Luna in eo Zodiaci loco

verſatur,

versatur, quod in Introductione Ephemeridum docetur, neque difficile est. Sic itaque rursus habebimus ad idem tempus horas duorum locorum, nempe loci in quo versamur, cujus longitudo ignota est, & loci ejus, ad cujus meridianum Ephemerides supputatæ sunt, & cujus situs in Mappis habetur & Globis.

Quare ex differentia temporis invenietur longitudo loci nostri quæsita, ut in præcedenti modo satis monstratum est.

Modus tertius, per distantiam Lunæ à stella fixa est aliqua.

Quoniam Lunam in Meridiano observare plurimis noctibus non licet, quando nimirum non multum à Sole remota est post & ante novilunium, atque adeo phænomenon hoc non satis frequens est, ac usus nauticus requirit, propterea aliud quod frequentius sit, à nonnullis phænomenon in Lunæ motu, consideratur, atque ex eo inveniendæ longitudinis modus traditur, nimirum appropinquatio & recessus Lunæ à stellis fixis. Inde enim locus Lunæ verus investigari potest ad datum observationis momentum. Sed calculus propter parallaxes & obliquorum Triangulorum sphæricorum solutionem atque varios casus adeo est difficilis, ut neque nautis inservire possit, neque adolescentes ejus præceptis onerare velim, sed potius omittere. Requirit enim ingenium in calculo hoc versatissimum, quale nulli fere vel paucissimi adolescentes ad Geographiam discendam afferunt.

Hasce autem modi hujus difficultates, Monachus quidam Galliæ, Duillerius nomine, evitari vel superari posse singulari sua methodo existimat. Edidit enim ante duos circiter annos libellum, in quo veram & nautis commodam inven-

tionem longitudinis se tradere profitetur (etsi multa alia admiscuerit) eumque librum primo inscripsit Regi Galliæ, deinde (quoniam fortassis nihil impetraverat à Rege) Ordinibus Belgii Fœderati, atque hoc ipso, quo hæc scribebam tempore, promissum præmium postulavit; Cæterum in libro eo duas tradit regulas, quæ tamen parum discrepant, sed prior est magis intricate & obscure proposita, neque nautis commoda, præterea impingit in Geometrica Euclidis theoremata (autor autem affirmat, ex hoc vitio nullum in praxin redundare errorem); ideo in fine fere libri altera addita est facilior methodus, quæ hæc est: Globum cælestem accuratissime factum habere oportet, in quo Ecliptica & poli Eclipticæ accurate sint designata. 2. Ephemerides Solis & Lunæ præsto esse debent nullo vitio laborantes (autor è Rudolphinis Tabulis supputatis se adhibuisse affirmat, & cælo congruas deprehendisse). 3. Ex istis ephemeridibus excerpenda est longitudo (vel locus in Ecliptica) & latitudo Lunæ pro istius diei, quo observatio instituenda est, meridie. Deinde quadrantis ænei crassi una extremitate applicata ad polum Globi Eclipticæ, altera ad locum Lunæ in Ecliptica, numeretur in quadrante latitudo Lunæ, & in Globo fiat punctum ad terminum numerationis: ita hoc punctum repræsentabit Lunam in Globo & ejus situm ad meridiem istius diei. Eodem modo per ephemerides notetur locus Lunæ in Globo pro meridie sequentis diei. Hisce factis sumatur Charta exiguæ latitudinis & longitudinis, atque hæc applicetur ad Globum supra illa duo puncta (in hoc consistit totum autoris artificium, ut ipse fatetur) & notatis in charta iisdem punctis atque applicata regula ducatur linea ab uno puncto ad alterum. Hæc linea repræsentabit portionem orbitæ seu viæ Lunæ; per quam eo die in cælo motu proprio

prio movetur. Hisce factis observetur de cælo distantia Lunæ à certa aliqua stella (ad idemque momentum horæ scrupula de cælo cognoscenda), & gradus observati capiantur circino in circulo aliquo globi maximo, atque uno circini pede defixo in stellam, alter pes moveatur, donec orbitam Lunæ prius in charta notatam secet; punctum sectionis notetur. Deinde quadrans iterum applicetur ad polum Eclipticæ, ita ut per notatum punctum transeat ad Eclipticam: ita in hac ostendet locum Lunæ in Ecliptica ad tempus observationis. Porro supputetur, quota hora in meridiano Ephemeridum sit quando luna illud Eclipticæ punctum obtinet: hoc enim tempus si conferatur cum hora observationis nostræ, dabit differentiam temporis, unde facilis est inventio longitudinis. Omitto hic alia de æquando tempore & quibusdam aliis præcepta. Ita putat autor evitari parallaxium & refractionum difficultates, & longitudinem satis accurate inveniri. Mihi plurima hujus methodi vitia esse videntur: sed quia eo primum tempore, quo jam priora typis subjecta erant, nactus sum, non potui ad accuratius judicium ferendum regulas ejus excutere.

Modus quartus per Lunæ ingressum in Eclipticam.

Orbita Lunæ secat Eclipticam duobus punctis, in quæ quando motu suo proprio pervenit, versatur in Ecliptica, aliis temporibus extra eam movetur recessu maximo quinque graduum. Observandum itaque exacte est tempus in loco ignotæ longitudinis, quo tempore Luna Eclipticam attingit. Porro ex Ephemeridibus excerpitur hora ad meridianum Ephemeridum, in qua ille ingressus fiat. Deinde ex comparatione temporis nostri sive

ignoti loci cum tempore meridiani Ephemeridum habetur differentia temporis, unde longitudo loci nostri à meridiano Ephemeridum invenietur. Sed hic modus etiam propter difficilem praxin inutilis censendus est. Difficulter enim observari potest ingressus Lunæ in Eclipticam, calculus perquam intricatus & errori obnoxius.

Modus quintus per Planetas Joviales.

Hoc phænomenon Lunæ phænomenis in hoc negotio præferendum esse plurimi judicant, propterea quod parallaxibus non sint obnoxii hi Jovis satellites, & præterea in omni Jovis situ supra Horizontem præbeat commodam observationem. Quatuor sunt planetæ, magni Galilæi inventum, qui circa Jovis tanquam Domini sui centrum moventur, adeo exigui, ut libero visu videri nequeant, sed tantum adhibito Telescopio. Horum motus (proprius, quo circa Jovem moventur, namque diurnum motum cum omnibus stellis, motum in Ecliptica cum Jove & reliquis planetis communem habent) est celer. Qui enim proximus est Jovi, is circuitum suum absolvit die uno cum octodecim horis & semisse horæ. Secundus diebus tribus cum horis tredecim & triente. Tertius diebus septem, horis duabus. Quartus & supremus diebus sedecim cum horis octodecim. Horum motuum progressus ad singulas horas calculandus est, & ideo in communibus Ephemeridibus non reperitur, sed in aliis libris habentur eorum ephemerides. Si iraque horum motuum beneficio investigare cupimus longitudinem loci, perfectissimo Astroscopio instructi esse debemus, & nocte illo ad Jovem (si supra Horizontem loci illius sit) converso observare conjunctionem duorum illorum planetarum, vel conjunctionem cum Jove aut similem appa-

apparentiam, atque ad id momentum temporis simul horam loci invenire ex alicujus stellæ meridiano situ vel altitudine. Deinde Ephemerides horum satellitum Jovis consulendæ sunt, atque inde hora & horæ scrupula eximenda, quibus talis conjunctio fiat in meridiano, ad quem illæ ephemerides supputatæ sunt. Sic itaque rursus habebimus duorum locorum horam ad unius ejusdemque phænomeni tempus. Unde ex differentia horarum, si in gradus vertatur, inveniemus longitudinem loci nostri à meridiano Ephemeridum, qui notus est.

Modus sextus per Horologium Automaton.

Quoniam modi omnes, quibus per cælestia phænomena longitudinem locorum invenire docuimus, laborant eò defectu, quod non singulis noctibus appareant (de Luna enim notum est, de Jovis vero satellitibus eodem modo se res habet, quoniam Sole eis & Jovi vicino cum eo occidunt & oriuntur), & præterea insignem difficultatem observandi in navi & maris fluctibus conjunctam habeant, ideo non pauci relictis Lunæ atque satellitum Jovis apparentiis confugiendum censent ad horologium automaton, atque in id omni studio artifices automatarios jubent incumbere, ut automaton parent, quod nulli vitio sit obnoxium, ita ut viginti quatuor horas indicet eodem tempore, quo Sol circumvolvatur & diem sive viginti quatuor horas efficit, neque vel anticipet vel postponat indicium.

Si itaque tale automaton confici posset, aptissimum esset & facillimam inventionem longitudinis præberet nautis. Etenim antequam è loco aliquo abirent, observanda esset accurate hora loci illius ad aliquod tempus (quod non est difficile), & auto-

automaton ad illam horam disponendum. Ita deinde singulis sequentibus diebus horas istius loci indicabit, si nulli vitio obnoxium sit. Quando itaque illo loco relicto perventum fuerit ad alium locum, cujus longitudinem sive meridiani distantiam à meridiano loci discessus scire cupimus, nihil restat agendum, nisi ut observetur in hoc loco de cælo hora (quod die per Solem, nocte per stellas fit non difficili opera, ut in Lemmate dicemus) hujus loci, & simul inspecto automato videamus, quænam hora tunc sit in loco sive Meridiano, unde discessimus. Sic habebimus horas duorum locorum ad idem temporis momentum. Differentia itaque illarum horarum si commutetur in gradus & minuta, ut sæpius jam dictum est, ostendet longitudinem loci nostri à meridiano loci, unde discessimus, ac proinde gradus illi in Mappis vel Globo numerati ab hoc meridiano, unde profecti sumus, exhibebunt meridianum, in quo sumus.

Verumenimvero utcunque magnam in talis perfectionis automato fabricando industriam hactenus posuerint artifices, nemini tamen ea felicitas contigit, ut tale paraverit. Etenim & materiæ conditio, ex qua fiunt automata, impedit talem perfectionem, & diversitas aeris tollit perpetuam motus æqualitatem. Namque aëre frigido existente tardius moventur automata, quam aëre calido, adeo quidem ut automaton quod Belgæ in Nova Zembla hyemem agentes in ædibus suis collocaverant, omnino à motu cessaverit, etsi multo majus pondus ei addidissent, quam antea ferre solebat. Ad defectum hunc horologiorum automatorum corrigendum vel supplendum quidam jubent singulis diebus horologium disponendum ad horam illius loci, in quem tunc perventum est (eam autem horam in quovis loco de cælo observari posse diximus). Sed licet hoc fiat, nihi-

nihilominus magnus in longitudinis inventionem irrepet error.

Etenim si secundo die profectionis ex automati horis comparatis cum horis loci ad quem perventum est, inveniatur longitudo hujus loci sive meridianus, & vero horæ automati non omnino accurate cum horis loci, à quo profectum est, consentiant, inde fiet, ut vitiosa longitudo assumatur & falsus meridianus in mappis notetur pro loco navis, ad hunc diem. Sequenti die nempe tertio iterum falsa longitudo invenietur, atque ea numerata à falso meridiano præcedentis diei duplicabit vitium. Quarto die rursus augetur, & triplicabitur vitium: quinto die quadruplicabitur, atque ita porro. Ex. gr. si horologium spatio viginti quatuor horarum deficiat à cælesti motu & revolutione per decimam quintam horæ partem (quam perfectionem raro superant nostri artifices), erit inventa ex ea longitudo integro gradu major vel minor (nam $\frac{1}{15}$ horæ efficit unum gradum), & proinde in mappis signabitur meridianus pro loco illius diei falsus, qui nempe à vero per gradum sive per quindecim milliaria abest. Tertio die quia iterum automaton peccat decimâ quintâ horæ parte, erit iterum vitium unius gradus in longitudine, cumque prioris diei signatus meridianus etiam uno gradu absit à vero, atque ab eo fiat numeratio pro meridiano tertii diei, erit jam hic meridianus duobus gradibus à vero remotus, hoc est triginta milliaribus in Æquatore: quarto die tribus gradibus, quinto quatuor gradibus, hoc est 60 milliaribus, ita ut tandem putata longitudo & signatus meridianus longe absit à meridiano in quo tunc navis est. Hæc itaque causa est, cur neque hic modus perfectus sit, & proinde à nautis negligatur. Hoc ipso, quo hæc scribo, tempore fuerunt Hagæ, qui talis automati fabricam Ordi-

nibus

nibus hujus Reipublicæ promiserunt & præmia promissa petierunt: sed adhibiti arbitri harum rerum periti insufficientiam ostenderunt.

LEMMA.

Quoniam in singulis præcedentibus modis inveniendæ longitudinis investiganda fuit hora de cælo ad tempus observationis, ideo hic ex Astronomia explicabimus modum quo id fiat (nam de elevatione poli, quæ etiam requiritur, diximus capite XXIII). De die Sol adhibendus est, nocte stellæ illustres. Utroque tempore præstat exspectare tempus, quo Sol vel stellæ in meridiano sint, atque ad reliqui temporis horas & scrupula horaria cognoscenda exactissimum automaton adhibere. Etenim intra dimidii diei spatium parum aberrabit automaton, si magnâ diligentiâ factum sit. Et ita non habebimus opus elevatione poli ad hoc negotium, quam tamen scire debemus propter parallelum.

De die itaque Sole in Meridianum delato scimus horam in illo loco esse duodecimam, atque adeo ad ipsum hoc momentum temporis automaton disponendum est ad sequentis temporis indicandas horas. Quod si ante meridiem observandum sit phænomenon, disponatur automaton ad ipsum tempus observationis, atque deinde diligenter observetur Solis ad meridianum appulsus, atque tunc inspecto automato cognoscentur horæ à tempore observationis ad meridiem seu XII horam elapsæ, unde ipsius observationis hora cognoscetur.

Verum si extra meridianum constituto Sole, velis de cælo investigare horam, observetur altitudo Solis ad phænomeni tempus. Deinde in Triangulo sphærico ex datis tribus lateribus quæ sunt ele-

elevationis poli complementum (sive loci à polo distantia), complementum declinationis Solis ad eum diem & complementum observatæ altitudinis Solis; ex tribus, inquam, hisce lateribus Trianguli Sphærici invenietur angulus quilibet, in hoc autem inveniendus est ille qui à complementis declinationis & elevationis poli comprehenditur, sive qui complemento altitudinis Solis opponitur: quod quomodo fiat, studiosi ex sphærica Trigonometria petant. Quomodo per globum ex altitudine Solis ad quodvis tempus inveniatur hora, docuimus cap. XXIX Propos. III, quod quidem Geographiæ studiosis plerisque satisfaciet, cum non ita accuratam horæ partem quærant, sed in arte nautica calculus est adhibendus, etsi per Planisphærium Catholicon quidam solvant, sed metuo nimium vitium in horariis scrupulis. Nocturno tempore stellæ, ut dixi, adhibendæ sunt, & quia plerunque una vel altera in meridiano haberi potest, ideo non opus est aliam extra meridianum existentem adhibere, sed præstat eligere aliquam in meridiano hærentem, vel id tempus exspectare, quo aliqua vicina meridiano accedat in ipsum. Sumatur deinde ex Tabulis Astronomicis stellæ illius ascensio recta, & simul ascensio recta puncti illius Eclipticæ, in quo Sol ad eum diem versatur: Et si Solis ascensio recta fuerit minor, auferatur ab ascensione stellæ; si major, sumatur ejus complementum ad 360, & hoc addatur stellæ ascensioni. Gradus hoc pacto acceptos commuta in horas & scrupula horæ: hæc erunt quæsita ad tempus observationis.

PROPOSITIO VIII.

Alios modos inveniendæ longitudinis exponere, qui proprie & primario non longitudinem, sed locum ipsum puncti, (cujus longitudo sive meridianus

nus tantum quæritur) *exhibent: quibus tamen ad locorum terrestrium longitudinem constituendam, vel examinandam uti commodum est.*

Primus Modus.

Datâ duorum locorum distantiâ & utriusque latitudine invenire longitudinem unius loci ab altero, in mappis vero nauticis & globo ipsum loci ignoti punctum, si alter locus datus est (est autem semper unus locus cognitus vel datus).

Si calculo Trigonometrico accuratam longitudinem velis exquirere, inveniendus erit angulus in Triangulo Sphærico, cujus omnia latera dantur, nempe distantia in gradus conversa, complementa latitudinis sive locorum à polo distantiæ: supputatio autem fieri debet anguli comprehensi à lateribus duobus, quæ sunt complementa latitudinum, sive quæ sunt arcus inter ambo loca & polum intercepti. Methodus ex Trigonometria sphærica est petenda.

Verum *in mappis nauticis & globo ipsius puncti ignotus locus ita invenitur ex datis.*

In Mappis nauticis. Data distantia intervallo circini ex appositâ scalâ sumitur, & uno pede in datum locum defixo alter pes circumducitur donec attingat vel secet parallelum alterius latitudinis, quæ est loci ignoti. Punctum contractus vel sectionis est locus quæsitus sive ignotus. Aliæ vero mappæ ad hoc negotium ineptæ sunt, neque ipsæ nauticæ accuratam locorum distantiam exhibent, de quo pluribus loquemur capite sequenti.

In Globo. Data distantia convertatur in gradus & minuta, atque intervallo circini in Æquatore sumantur. Deinde in Meridiano notetur gradus latitudinis ignoti loci, pes vero circini unus collocetur in loco dato, & volvatur globus donec

donec alterius pedis extremitas attingat punctum globi notato meridiano signo subjectum. Id erit quæsitus locus. Vel describatur parallelus latitudinis loci ignoti cretâ, & deinde uno pede circini in locum datum defixo alter circumducatur, donec parallelum illum secet, vel tangat. Punctum hoc tactus vel sectionis est locus quæsitus, cujus longitudo tunc in Æquatore numeratur.

Modus secundus.

Datâ plagâ, in qua locus aliquis incognitus (cujus situs incognitus est) jacet à loco noto sive dato, & utriusque loci latitudine datâ, invenire illius loci ignoti longitudinem à loco noto & ipsum locum in mappis nauticis globo exhibere.

Per datam plagam intelligimus hic angulum interceptum inter meridianum alterutrius loci & lineam ab uno loco ad alterum ductam, quod in globo vel per Diagramma commodius explicatur. Si itaque calculo longitudinem velis investigare loci unius ab altero, solvendum erit Triangulum sphæricum, in quo dantur duo latera (nempe complementa latitudinis utriusque loci), & angulus alterutri lateri dato adjacens, inquiritur autem angulus comprehensus à duobus datis lateribus. Hic enim quæsitam longitudinem exhibebit.

In Globo vero & Mappis nauticis non opus est longitudinem invenire, neque potest primo inveniri, sed ipse locus ignotus ex datis invenitur.

In Globo: Locus datus adducatur ad meridianum, polus elevetur pro ejus latitudine & applicetur ei quadrans verticalis: Describatur etiam cretâ parallelus ad latitudinem alterius incogniti loci. Tunc quadrantis extremitas applicetur datæ Horizontis plagæ, in qua nempe alter ignotus locus à noto loco jacet. Punctum paralleli ubi qua-

quadrans eum secat vel tangit, est quæsitus locus, cujus longitudo in Æquatore numerabitur.

In Mappis nauticis. Ducatur parallelus ad latitudinem ignoti loci. Deinde ex dato loco ducatur linea pro data plaga, punctum ubi hæc secat parallelum, est locus quæsitus. Si autem plaga Loxodromica detur, aliter agendum esset, de quo capite XXXIX.

Modus tertius.

Datâ plagâ & distantiâ unius ignoti loci ab altero cujus latitudo data est, invenire longitudinem illius ab hoc: in globo autem & mappis, si hic locus detur, illius quoque situm exhibere.

Si calculo investigationem experiri libet, dantur in Triangulo sphærico duo latera (complementum latitudinis loci noti & distantia ab ignoto in gradus conversa) & angulus comprehensus ex plaga data: inquirendus ex tribus hisce datis est angulus oppositus distantiæ. Hic exhibebit alterius loci longitudinem à loco altero sive noto.

In Globo autem & mappis nauticis invenitur ipse locus ita: Elevetur polus pro dati loci latitudine, quadrans applicetur vertici, & altera extremitas applicetur ad datam Horizontis plagam. Deinde distantia data in gradus conversa numeretur in quadrante à vertice. Terminus numerationis erit locus quæsitus in globo. Si vero sine ipsius loci designatione quæratur tantum longitudo, hoc est, si Triangulum sphæricum per globum placeat solvere, fiet illud simili modo. Exempla dabimus in capite XXXIII, quod etiam de sequentibus tenendum est. Ibidem quoque uno exemplo ostendimus, quomodo per planisphæsium talia problemata solvantur. De hisce omnibus

bus sicut etiam de methodo logarithmica Præceptores edocere possunt discipulos suos, si capaces nacti fuerint, & studiosos harum rerum. Nautæ vel calculum vel planisphærium adhibent. Globi enim usus in navi minus commodus est.

In Mappis nauticis. Ex dato loco ducatur linea pro data plaga, & intervallo circini capiatur in scala, apposita locorum distantia, atque uno pede defixo in locum datum alter pes in linea ducta pro data plaga collocetur. Punctum hoc erit locus quæsitus, sed tamen non accuratus, ut sequenti capite docebimus.

Modus quartus.

Datâ loci ignoti à duobus notis distantiâ, exhibere illum & notum facere in globo & mappis, calculo vero inquirere ejus longitudinem.

In Globo. Sumatur circini intervallo distantia una (in gradus conversa) in Æquatore, & pede uno in locum unum ex datis (cujus distantia jam sumta fuit) defixo describatur arcus in superficie globi altero pede, qui cretam in extremitate habeat.

Eodem modo sumtâ distantiâ ab altero loco describatur ex hoc tanquam centro arcus in superficie: punctum, in quo hic arcus priorem secat, est quæsitus locus.

In mappis nauticis eodem modo agendum est, nisi quod datæ distantiæ non in gradus mutantur, sed in apposita scala sumuntur. Verum si locus sit à datis aliquantum remotior, nimis magnus error committetur, quia mappæ hæc non præstant accurate.

Inventio autem longitudinis per calculum quia multum habet difficultatis & diagramma requirit, ideo malui vivæ Præceptoris informationi

& osten-

& ostensioni relinquere, quam hic multis verbis describere.

Modus quintus.

Datis duobus locis in Tellure, & plagis quibus tertius aliquis ignotus locus situs est ad illa, invenire hunc tertium locum in Tellure, mappis, globo, & calculo longitudinem hujus loci inquirere.

In Globo. Duorum datorum locorum unus adducatur ad meridianum, & polus elevetur juxta ejus latitudinem, quadrans applicetur vertici atque alterâ extremitate ad plagam Horizontis datam (in qua nempe ad locum huncce notum tertius ignotus jacere ponitur, & ad marginem quadrantis cretâ acuminatâ describatur peripheria subtilis sive exiguæ crassitiei. Deinde alter datus locus adducatur ad meridianum & polus elevetur juxta ejus latitudinem, quadrans affigatur vertici, altera extremitas datæ Horizontis plagæ, in qua nempe tertius locus ignotus ponitur jacere ad huncce notum locum. Punctum, in quo margo quadrantis secat peripheriam antea cretâ delineatam est quæsitus locus tertius.

In Mappis fit ita: Ducatur linea ex uno dato loco pro data plaga tertii loci; eodem modo ex altero dato loco ducatur linea plagæ. Punctum, in quo duæ hæ lineæ se mutuo secant, est locus quæsitus.

Eodem modo in ipsa Tellure agendum esset, si scientifice agere vellemus: neque enim in scientia curamus impedimenta & obstacula, modo modum mente comprehendamus.

Calculum, quo longitudo loci ignota invenitur ex datis hisce, relinquamus vivæ Præceptorum voci & delineationi, si aptos & capaces discipulos nacti fuerint.

Sed

Sed jam satis superque de longitudinis inventione dictum est, cujus amplissimum usum explicavimus Propositione II.

Propterea etiam hic subjungo Tabulam Longitudinis & Latitudinis præcipuorum Telluris locorum, ut adolescentes exercitii materiam habeant, cujus quoque insignis est utilitas in tota Geographia. Collegi eam è variis autoribus: attamen incertos esse plerosque numeros non inficior, & propterea unicuique autor sum, ut cognitis magis certis hæc deleat & illa substituat.

TABULA LONGITUDINIS ET LATITUDINIS LOCORUM.

Nomina locorum.	Latitud. gr.	Latitud. min.	Longit.	Longit.
Adrianopolis Thraciæ.	43	0	53	
Ænipontum.	46	55	35	
Ætna mons Siciliæ.	38	20	39	
Agra in Mogoris regno.	34	38	87	7
Alba Græca, sive Belgrado, in Hungaria.	47	40	45	
Alexandria Ægypti.	30	58	60	30
Algerium Africæ.	32	30	22	
Amstelodamum.	52	26	26	30
Ancona.	43	40	38	30
Angola Africæ Austr.	9			
Antiochia Syriæ.	37	0	75	15
Antverpia.	51	16	26	
Alepo Syriæ.				
Aquileia Italiæ.	45	12	34	
Aquinum D. Thomæ.	41	56	38	30
Aquisgranum.	50	48	27	30
Aden Arabiæ.				
Ostium Araxis fl.	46	0	81	0
Arbela.	35	52	89	
Ostia Argentei fluvii.	35			
Argentoratum.	48	44	27	50
Ariminum.	43	50	35	
Armusa, Ormus.	27	24	95	57
Aromata promontor. Africæ, hodie Guardafu.	14	20	88	40
Ascalon.	32	27	67	20
Athenæ.	37	15	53	0
Avenio, Avignon.	43	52	23	0
Augusta Vindelic.	48	21	33	0
Aurasicum, Aurange.	43	30	26	30
Aureæ Chersonesi, Malacca.	2	0	161	

Au-

Nomina locorum.	Latitud. gr.	Latitud. min.	Longit.	Longit.
Aurelia.	47	30	22	0
B.				
Babylon Chaldæorum, hodie Bagdet.	33	50	73	30
Bactra, ſ. Badagſan.	39	26		
Badena Helvetiæ.	48	44	31	
Bamberga.	49	56	31	45
Barcelona Hiſpan.	41	24	18	30
Baſilea Helvetiæ.	47	3	28	30
Belgradum, ſ. Alba Græca.	47	40	45	0
Banda inſula.	6		115	55
Beneventum.	42	0	41	
Bengala Indiæ.	23			
Berlinum German.	52	50	36	30
Berna Helvetiæ.	46	25	29	45
Berga Norwegiæ.	60	30	27	30
Bethlehem.	31	50	65	45
Biturigæ.	46	45	22	40
Bononia Italiæ.	43	54	34	30
Brandeburgum.	52	36	35	30
Brema.	53	10	30	15
Brixia.	44	30	32	30
Brugæ Flandriæ.	51	19	24	45
Brunduſium.	40	0	42	30
Brunſviga.	52	30	32	40
Bruxella Brabant.	50	48	26	
Buda Hungariæ.	47		42	
Burdigala.	44	30	18	
Byzantium, Conſtantinop.	43	5	56	
C.				
Cæſar-Auguſta, Saragoſſa.	41	45	14	15
Caieta.	40	50	38	20
Caletum Galliæ.	52		16	2
Calecut Indiæ.	11	0	104	
Calis Hiſpaniæ.	17	0	5	10

Nomina locorum.	Latitud. gr.	min.	Longit.	
Campen Frisiæ.	52	40	27	15
Cameracum.	49	40	25	
Candia in Creta.	35	15	54	10
Cantuaria Angliæ.	53	40	21	
Capernaum.	34		70	48
Caput Bonæ spei.	35		38	
Caput Viride.	13			
Chalcedon, Scutari.	43	7	56	26
Coburgum.	50	20	31	30
Colonia Agrippinæ.	50	56	28	15
Compostella S. Jacob.	42	30	10	15
Comorinum Indiæ.	7			
Complutum Hisp.	41	40	10	30
Confluentia, Coblentz.	50	30	27	30
Conimbrica Lusitaniæ.	40	0	10	45
Constantia, Costnitz.	47	30	32	0
Constantinopolis.	43	5	56	
Corduba Hispan.	37	50	9	40
Cochin Indiæ.	9	30	116	38
Corfinium, Corfu.	38	45	45	10
Corinthus.	36	55	51	15
Corsicæ medium.	40	50	31	
Cracovia Poloniæ.	50	0	46	
Cremona.	44		33	
Cuba insula.	22			
Cuzco Peruviæ.	15			
D.				
Damascus.	33	20	69	30
Dantiscum.	54		44	
Daventria.	52	30	28	4
Drepanum promont.	37		37	
Dyrrachium.	41	27	46	0
E.				
Eboracum Angliæ.	57	20	20	
Ecbatana Tauris.	40	52	89	13

Eden-

Nomina locorum.	Latitud. gr.	Latitud. min.	Longit.	Longit.
Edenburgum Scotiæ.	56	10	19	0
Edessa.	38		74	47
Eislebia.	51	46	32	30
Ephesus Ioniæ.	37	40	67	40
Epidaurus.	36	25	51	45
Erfordia.	51	10	34	30
Euphrates fluv.	31	15	84	10
F.				
Famagusta Cypri.	35	10	66	45
Fessa Africæ.	35			
Finis terræ.	44	2	4	23
Florentia.	43	40	34	
Forum Julii.	45	12	32	50
Francofurdia ad Mœnum.	50	8	29	30
Francofurdia ad Oderam.	52	20	39	30
Friburgum Brisgoiæ.	48	1	28	
— Misniæ.	50	58	30	39
G.				
Gades.	22	20	6	
Gandavum.	51	8	25	30
Geneva.	45	45	28	0
Genua Italiæ.	43	50	30	0
Goa Indiæ.	18	30	106	
Gorlicium Silesiæ.	51	0	35	45
Goslaria.	52	0	32	40
Granata Hispaniæ.	37	50	11	0
Groninga Frisiæ.	53	12	28	0
H.				
Halberstadium.	52	10	32	40
Hamburgum.	53	44	33	0
Haffnia Daniæ.	55	43	36	45
Herbipolis.	49	57	30	10
Heidelberga.	49	22	31	45
Hispalis.	38	5	13	15
Hydrus Italiæ, vulgo Otranto.	41	26	45	20

Nomina locorum.	Latitud. gr.	min.	Longit.	
J. I.				
Java.	10			
Jerosolyma.	31	55	70	30
Ilium.	41	0	55	50
Ingolstadium.	48	30	34	
Juliacum.	52		27	30
L.				
Lima Peruviæ.	12			
Lipsia.	51	17	34	30
Lisbona.	39	0	11	30
Londinum Angliæ.	51	32	20	30
Lovanium.	50	50	26	30
Lubeca.	54		31	20
Luca.	43	30	33	
Lucerna Helvetiæ.	46	34	26	
Lugdunum Galliæ.	45	0	26	15
Luneburgum.	54		34	50
Lutetia.	48	52	23	15
M.				
Mechlinia.	51	15	26	50
Magdeburgum.	52	20	31	20
Mecha.	23		65	36
Magellanicum fretum.	54			
Moguntia.				
Majorca insula.	39	35	18	25
Malepum S. Thomæ.	14			
Manicongo Africæ.	7			
Mantua.	44	30	32	45
Marpurgum.	51		30	10
Massilia.	42	20	26	45
Meaco Japoniæ.	36			
Mediolanum.	44	35	31	0
Melite insula & civitas.	34	40	38	45
Meroe Ægypti.	16	25	61	30
Messana.	38	30	40	30

Metæ.

Nomina locorum.	Latitud. gr.	min.	Longit.	
Metæ. Metz.	49	12	27	30
Minorca insula.	40	10	19	30
Moluccæ insulæ.	0	0		
Monachium.	48		32	50
Monasterium.	52		28	10
Mons regius Borussiæ.	54	20	46	45
Mons Pessulanum, sive	43	10	22	15
Monspelium Galliæ.	42	40	25	
Moscovia.	56			
Mozambique Africæ.	15			
N.				
Nancæum Lotharing.	49	20	28	25
Narbona.	43	0	21	
Neapolis.	40	50	38	15
Nicea.	41	40	57	0
Negropontus insula, olim Bœotia.	38	15	53	40
Nola Campaniæ.	40	45	40	15
Norimberga.	49	24	35	45
Noviomagus.	47	0	18	
O.				
Olmutz Moraviæ.	49	30	41	
Oxonium Angliæ.	51	50	19	30
P.				
Panama Americæ.	8			
Palermo Siciliæ.				
Pelusium, Damiata.	31		64	50
Pernambucum Brasiliæ.	7			
Philippinæ insulæ.	12			
Praga. Q.	50	6	36	30
Quito in Peru.	20			
R.				
Ragusa.	42	30	44	40
Rhodus insula.	36	0	58	0
Riga Livoniæ.	58	30	46	45

Nomina locorum.	Latitud. gr.	min.	Longit.	
Rupella, Rochelle.	45	15	18	15
Roma.	42	2	36	15
Rostochium.	54	0	34	45
Rhotomagus.	49	15	22	0
S.				
Saguntum.	39	40	14	36
Salmantica.	41	12	13	
Samos insula.	41	15	52	40
Sardinia.	38			
Sidon.	34	35	68	
Siene.	25	50	62	
Soffata Africæ.	20			
Spira.	49	20	27	40
Spoletum.	42	45	36	20
Stetinum.	53	36	36	45
Stockholmia.	58	50	37	
Strigonium.	47	20	9	15
T.				
Tanaïs ostia.	52	34	66	
Taprobana sive Sumatra.	0			
Tarentum.	40		45	30
Tarragona.	41		16	20
Tauris.	41			
Tigurum Helvetiæ.	47	0	30	30
Trajectum.	53	20	26	30
Treveris.	49	30	26	
Tridentum.	45	20	33	40
Tubinga.	48	24	31	
Tunetum.	32	30	33	0
Tyrus.	34	8	68	0
V. U.				
Varna, Chiechia.	42	48	82	47
Venetiæ.	45	20	35	0
Vienna.	48	22	39	
Vilna.	53	30	52	

Ulys-

Nomina locorum.	Latitud. gr.	Latitud. min.	Longit.	Longit.
Ulyssipolis, Lisbon.	39	38	5	20
Ulma.	48	24	31	45
Viatislavia.	51	10	39	30
Wittebergа.	51	54	36	
Wormatia.	40	45	28	
Zeilon insula.	7			

Usus Tabulæ latitudinis maximus satis in præcedentibus explicatus: præclarum quoque longitudinis cognitæ multorum locorum usum indicavimus in fine Proposit. III hujus. Ex gr. Datâ horâ unius loci vel ephemeridum, quæ erit cum Eclipsis Lunæ fiet, vel Sol arietem ingreditur, vel conjunctio Solis & Lunæ, vel appulsus alicujus Planetæ ad Stellam fixam, &c. invenire quotâ horâ futura sit in alio loco, cujus longitudo in Tabulis annotata reperitur vel aliunde scitur. Ad hujus horæ cognitionem nihil aliud facimus, quam ut sumamus differentiam inter longitudines duorum illorum locorum, eamque in horas & horæ minuta convertimus, & horis datis loci unius addimus, si longitudo illius minor, contra si major sit, auferimus ab illis. Ita cognoscimus quænam hora sit in altero loco, ubi phænomenon illud incidit.

Verum capite sequenti illustrissimus usus hujus Tabulæ apparebit.

Porro, cum admodum necessarius sit in Geographia & arte nautica usus Declinationis & Adscensionis rectæ stellarum fixarum, adjungo hic primæ magnitudinis stellarum Catalogum cum declaratione & ascensione recta ad annum 1650. Ex Astronomia enim notum est, quod progressu temporis in hisce mutatio fiat propter motum stellarum proprium super polos Eclipticæ. In usu

vero ipſo Tabulam talem omnium ſtellarum habere convenit, quia non ſemper commoditas iiſdem ſtellis utendi. Nos vero hæc tantum pro exercitio adoleſcentum ponimus, ut in hiſce propoſita problemata exerceant. Ad Aſtronomiam pertinet hoc negotium, ſed uſus tum in aliis tum in Geographia etiam inſignis.

Aſtronomia vero docet, quomodo ad ſingulos annos inveniatur declinatio & aſcenſio recta.

TA-

TABULA DECLINATIONIS

Et Ascensionis recta Stellarum, ad annum 1650.
S *denotat declinationem Septentrionalem,* A *Australem.*

Nomina stellarum.	Declinatio.			Asc. recta.	
Primæ magnitudinis.	*gr.*	*min.*		*gr.*	*min.*
Oculus Tauri.	15.	46.	S.	64.	0.
Regulus sive Cor Leonis.	13.	39.	S.	147.	27.
Cauda Leonis.	16.	32.	S.	172.	59.
Spica Virginis.	9.	17.	A.	196.	44.
Cor Scorpii.	25.	34.	A.	242.	4.
Lucida Aquarii.	31.	24.	A.	339.	28.
Arcturus Bootis.	21.	4.	S.	209.	59.
Lucida Lyræ.	38.	30.	S.	206.	17.
Cauda Cygni.	44.	3.	S.	307.	23.
Capella.	45.	35.	S.	72.	44.
Pes Orionis sinister.	8.	38.	A.	74.	29.
Syrius, Canis major.	16.	13.	A.	97.	26.
Humerus dexter Orionis.	7.	18.	A.	84.	7.
Canis Minor.	6.	6.	S.	110.	17.
Canopus in Argo navi.					

CAPUT XXXII.

De situ Locorum mutuo & compositione globi terrestris & mapparum.

PROPOSITIO I.

Dato loco in Tellure, reliquorum locorum situm ad illum invenire.

Situs autem loci unius ad alterum dicitur plaga in qua hic ad illum jacet, sive angulus positionis, hoc est angulus quem facit meridianus dati loci cum linea sive peripheria ab hoc loco ad alterum ducta. Ex. gr. Si in urbe Amstelodamo simus, & cupiamus scire, quonam situ ad illam jaceant reliqua loca, nempe Roma, Constantinopolis, Stockholmia, & Leida, Alcmaria, Haga Comitis, Ultrajectum, &c.

Modus Primus.

Ad quæ loca aspectus ex dato loco conceditur, illorum situs ad hunc instrumentis accurate observari potest. Goniometricum enim constituatur in excelsa turri vel loco dati loci, ita ut Horizonti parallelum sit, atque inventâ lineâ meridianâ applicetur huic una instrumenti regula, altera vero dioptras habens dirigatur ad locum conspicuum. Arcus peripheriæ inter duas regulas interceptus est angulus positionis istius loci observati ad hunc, & ex eo plaga ejus nota erit.

Ita omnium vicinorum locorum situs sive positio observanda erit. Deinde in hæc loca conferemus nos, & ex hisce aliorum locorum situm rursus eodem modo observabimus, deinde in hæc atque ita per totam Telluris superficiem agere possemus, nisi aliæ viæ notæ essent, quibus facilius ad quæsitum perveniri potest.

Modus

Modus secundus.

Si in globo habeantur proposita loca, adducatur locus datus ad meridianum, & polus elevetur pro eius latitudine, quadrans affigatur vertici, atque applicetur uni & aliis locis, quorum situm scire cupimus ad nostrum. Extremitas quadrantis in Horizonte monstrabit angulum positionis & plagam quæsitam. Dicemus itaque Romam, Constantinopolin, &c. jacere ab Amstelodamo versus hanc vel istam plagam inventam. Quam ut in ipso mundo concipiamus, nota debet esse meridiana linea sive plaga Septentrionis & Austri, item Orientalis & Occidentalis (nempe æquinoctialis). Ex hisce enim bene conceptis reliquæ intermediæ plagæ facile concipiuntur. Repetenda hic sunt ea, quæ capite xx, de Plagis dicta sunt.

Modus Tertius.

E mappis rectilineis, si loca proposita in eis reperiantur, facile est situm horum ad illum vel oculis perspicere. Per datum enim locum recta linea meridiana concipitur Septentrionem & Austrum monstrans, atque alia linea per eundem transversa sive parallelum loci denotans, quæ indicat plagam Orientalem & Occidentalem. Ex hisce plagæ intermediæ, in quibus singula loca conspiciuntur, facile concipiuntur, vel ductis lineis & quadrante peripheriæ accuratius cognoscentur, si opus sit accuratiore cognitione. Non tamen accurata est hæc methodus nisi in mappis particularibus.

In curvilineis mappis minus apte, minus accurate plagæ vel situs locorum ad alium exquiruntur.

Modus quartus.

Data duorum locorum latitudine & longitudine, accuratissime invenitur situs unius ad alterum, calculo Trigonometrico, tam vulgari quam Logarithmico vel Catholico Planisphærio, vel etiam globo. Habetur enim Triangulum Sphæricum, in quo dantur tria: nempe complementa latitudinis utriusque loci & angulus comprehensus ab hisce, qui notus est ex differentia longitudinis. Quæritur autem angulus oppositus vel adjacens alterutri datorum laterum. Hic enim indicabit angulum positionis unius loci ad alterum & ipsam plagam. Diagramma & viva Præceptoris informatio facient hæc adolescentibus magis perspicua. Et hic elucet usus Tabulæ latitudinis & longitudinis locorum.

Modus quintus.

Ex data distantia loci à duobus locis, vel etiam ex data distantia & latitudine invenitur plaga ejus sive situs ad alium locum per Sphæricorum Triangulorum solutionem, ut ex Diagrammatibus adolescentes informari possunt. Hic enim ea pluribus exponere supervacuum esse puto.

Modus sextus.

Data duorum locorum latitudine, & distantia, invenitur plaga unius ad alterum, triplici methodo, ut dictum est.

Possunt etiam alia data proponi, è quibus investigare possumus plagam.

PROPOSITIO II.

Dato loco in Tellure vel Globo exhibere omnia loca, quæ ad datum locum in una aliqua data plaga vel dato situ jacent.

Ex

Ex. gr. Cupimus scire omnia loca, quæ ab Amstelodamo jacent in plaga Euroboreali.

Elevetur polus pro dati loci latitudine, atque locus ad meridianum adducatur, quadrans affigatur vertici, & altera extremitas applicetur datæ plagæ Horizontis. Sic conspiciemus omnium locorum quæsitorum dimidiam partem, nempe quæ margini quadrantis adjacent in globo, altera dimidia pars infra Horizontem est ad punctum vertici oppositum.

Pro ipsa Tellure constructio facilior est: nempe per datum locum ducatur peripheria maximi circuli, quæ cum meridiano illius loci faciat angulum positionis datum. Omnia loca in semiperipheria sunt quæsita.

PROPOSITIO III.

Dato loco in Tellure vel globo, exhibere omnia illa loca, ad quæ datus locus unum aliquem datum situm seu plagam habet.

Ex. gr. Cupimus scire omnia loca, ad quæ singula Amstelodamum jacet in plaga Zephyro-boreali.

Potest etiam Problema majori delectatione proponi ita: Dato loco in Tellure vel globo ut Amstelodamo, exhibere omnia illa loca, à quibus dum proficisci cupimus ad datum locum Amstelodamum, iter instituendum est à singulis locis versus unam eandemque plagam datam.

Præcedens problema erat locale planum, quia locus quæsitorum punctorum fuit peripheria circuli, quæ in plano exhiberi potest, & semper in uno plano sita est. Sed præsens problema est Solidum, vel potius ad superficiem. Quæsitorum enim punctorum locus in superficie globi non est peripheria aliqua circuli (excepto eo casu, si plaga data sit Septentrionalis vel Australis). Sed peculiaris

culiaris aliqua curva linea solida, hoc est, quæ non in plana superficie sed curva, Sphærica nempe, existere potest: neque tamen est Loxodromia (de qua capite proprio dicemus) sed linea curva sui generis utrinque terminata. Ad eam vero lineam concipiendam vel ipsa loca in globi superficie, datus locus adducatur ad meridianum. Deinde si plaga data sit Orientalis, certum est quod quæsita loca sita sint in parte globi versus occasum à dati loci meridiano remota (contra si Occidentalis plaga data sit) & si quidem plaga data sit una ex illis, quæ ab ortu vel occasu vergunt versus Septentrionem, quæsita loca jacebunt inter Austrum & dati loci verticalem primarium. Contra, si plaga data sit una ex illis, quæ ab Ortu vel Occasu versus Austrum vergunt. Si itaque data plaga sit ortus vel occasus æquinoctialis, erit locorum quæsitorum locus curva aliqua linea incipiens à dato loco & terminata in polo vicino, sita à parte Orientali meridiani, si data plaga sit occasus, sed ab Occidentali, si datus sit ortus, & concipienda ut ista linea. ita: Sint quærenda vel exhibenda loca, à quibus Amstelodamum jacet versus occasum æquinoctialem. Quoniam omnium locorum plaga sive verticalis quadrans respiciens ortum vel occasum æquinoctialem incidit in punctum Æquatoris, quod nonaginta gradibus abest à meridiano singulorum locorum, ideo primo concipiatur à dato loco ducta plaga ad occasum æquinoctialem sive ad punctum æquatoris in Horizonte situm. Certum itaque est, quod omnia loca quæsita debeant ita sita esse à parte orientali Meridiani Amstelodamensis, ita ut plaga eorum sive verticalis primarius occasum respiciens secet quadrantem Æquatoris inter puncta in Occidente & Meridiano sita. A singulis igitur hujus quadrantis punctis concipiantur peripheriæ maximæ per Amstelo-

ſtelodamum tranſeuntes, & ex eiſdem punctis tanquam polis meridiani ducti. Puncta, in quibus prius conceptæ peripheriæ ſecant ſuos ſingulæ meridianos, ſunt quæſita: ea autem faciunt curvam talem qualem dixi, quæ in polum ſe induit, neque infinita eſt. Unde patet manifeſtum diſcrimen inter hanc curvam lineam & Loxodromiam. Hæc enim non oritur in itineribus verſus ortum vel occaſum æquinoctialem inſtitutis. Hujus autem, de qua jam agimus, omnes ſpecies ita ſe habent, ut inter duorum meridianorum, quorum diſtantia non ſuperat 90 gradus, quadrantes contineantur & in polum incurrant.

Ubi autem plaga aliqua intermedia inter Cardines datur, ex. g. quæruntur loca, quibus Amſtelodamum jacet verſus Zephyro-auſtrum, ſive in plaga gradibus quadraginta quinque à ſingulorum locorum meridianis verſus occaſum ab Auſtro remota. Primo itaque concipiatur à parte meridiani Amſtelodamenſis orientali (in hac enim loca quæſita ſita eſſe debere manifeſtum eſt) alius meridianus, qui cum Amſtelodamenſi faciat angulum 45 graduum, ſive inter quem & Amſtelodamenſem interceptus arcus Æquatoris ſit 45 graduum. Hic erit terminus quæſitorum locorum, neque ultra eum in aliquo meridiano aliquis locus reperiri poterit quæſito ſatisfaciens. Concipiatur ab Amſtelodamo in iſtum meridianum ducta perpendicularis peripheria. Porro quia plaga data vergit verſus Auſtrum ab occaſu, inde certum eſt, quod loca quæſita debeant ſita eſſe in ſpatio Trianguli, cujus latera ſunt 1. ducta modo perpendicularis. 2 pars meridiani iſtius inter ductam peripheriam & polum vicinum intercepta. 3. pars meridiani Amſtelodamenſis inter Amſtelodamum & polum vicinum.

In hoc ſpatio linea curva, cujus omnia puncta quæ-

quæsito satisfacient, sita est, quæ ab Amstelodamo ad polum usque curvo itinere prorepet. Ad descriptionem illius, concipiendi vel ducendi sunt multi Meridiani in hoc spatio, & in singulis tale punctum assumendum, ex quo ducta peripheria maxima ad Amstelodamum faciat cum meridiano eo ex quo ducitur, angulum 45 graduum pro nostro exemplo. Ita enim plurima puncta describendæ hujus curvæ invenientur.

Pluribus de linea hac curva egimus in libro de Lineis Curvis. Hic autem, quia proprius ejus explicationis, quippe ad Geographiam pertinentis, locus erat, non debuit omitti.

Propositio IV.

Datâ latitudine loci unius, & distantiâ ab altero loco, atque plaga, in qua alter hic locus ab eo situs est, inveniri plagam alterius hujus loci, in qua prior locus ad hunc alterum situs est.

Facilior erit ex exemplo intelligentia; nempe datur plaga, in qua urbs Hamburgum sita est ab Amstelodamo: quærimus plagam, in qua Amstelodamum urbs sita est ab Hamburgo. Vulgaris enim est opinio, quod contraria plaga sit sumenda, quod falsum est. Et in hoc admodum peccant Mappæ nauticæ & omnes rectilineæ. solutio vera per calculum Trigonometricum vel per Globum aut planisphærium est facilis.

Propositio V.

Globum terrestrem componere.

Ita vulgo de problemate hoc loquuntur confuse admodum. Stylo Mathematico autem ad distinctam intelligentiam ita proponendum est:

Dato in cujusvis Globi superficie puncto aliquo, quod aliquem in Tellutis superficie situm locum repræsentare ponitur (vel data semiperipheria),

pheria), invenire in ejusdem Globi superficie puncta quotvis & lineas, quæ ad datum punctum & ad se mutuo ita sita sint, ut loca & lineæ in superficie Telluris, quæ debent ab illis repræsentari, sita sunt ad locum primo assumtum, & ad se invicem.

Modus primus.

Optima, facillima & accuratissima methodus est, qua ex cognita locorum latitudine & longitudine in ipsius globi superficie loca & puncta quæsita sive Telluris superficiei partes repræsentantia consignantur, quam etsi artifices in conficiendis globis terrestribus qui magno numero divenduntur, non adhibeant (quoniam alio modo id præstari potest, ubi ex copia distractionis vel venditionis sumtus & impensæ refunduntur, qui non quidem majoris est facilitatis & minoris impensæ ad unius globi confectionem, sed ad multorum & innumerorum ejusdem magnitudinis compositionem aptissimus, promtissimus, & minimæ impensæ, de quo tertio loco dicemus); tamen fundamentum ejus constructionis ex hac in globo concepta descriptione dependet, & præterea ubi peculiares globi terrestres insigni magnitudine ex ære conficiendi sunt, atque in ejus superficie loca Telluris designanda, sicut Principes Philomathematici eos habere solent, & hoc, quo scribo, tempore Societas Belgica Indiæ Orientalis fieri curavit Directore Blavio æneum globum, cujus diameter erat quinque pedum, terrestrem nempe, sive in cujus superficie depicta & incisa erant pleraque superficiei Telluris loca, qui globus à Societate dicta missus fuit in Indiam ad Regem insulæ cujusdam dono, quia Rex illius societatis Prætorem Indicum rogaverat ut talem Globum in Belgio fabricandum & ad se deferendum curaret,

pre-

pretium large & liberaliter pollicitus. Præterea hoc ipso tempore Illustrissimus Dux Holsatiæ Fridericus, omnis eruditionis, inprimis Mathematices & Physices, non tantum fautor & promotor, sed etiam peritissimus & diligentissimus Cultor, quem ideo honoris causa nomino, fieri curat sibi Globum, cujus cavitas tantæ esse debet (diameter est pedum) ut in ea aliquis sedere possit commode, & in cava superficie omnes stellæ fixæ appingentur colore aureo vel stellulæ factæ locis convenientibus exiguo stylo infigentur, & Sol in Zodiaco mobilis vel trusatilis, atque instrumento addito exiguo circumrotabitur viginti quatuor horis: ita ut spectator intra cavitatem sedens videat stellas in alio atque alio situ nempe oriri, ad meridiem ascendere, occidere, non aliter sicut nos in ipso cælo stellas facere videmus; Exterior autem superficies, ut ad nostrum propositum veniam, omnia Telluris loca exhibebit, ita ut globus iste simul cælestis & terrestris futurus sit: quando, inquam, in magnorum talium globorum superficie loca incidenda vel depingenda sunt, non possunt tunc vulgari suo modo uti artifices per Mapparum chartaceatum applicationem, neque id in tam magnis & spectandis operibus consultum foret: sed debent tunc in illis globis incidi & coloribus illustrari loca, peripheriæ, ductus fluviorum, &c. quæ in Tellure reperiuntur. Id autem ex Tabula longitudinum & latitudinum (adhibito simul globo alio vulgari, in quo ductus fluviorum, marium, atque Terrarum conspiciantur) fit commodissime ita:

Per datum (vel assumtum pro libitu, si non datum sit) punctum in superficie describatur peripheria maxima globi, quam constituemus pro meridiano istius loci. Deinde sumatur in hac arcus à puncto illo, æqualis latitudini loci, quem punctum

ctum illud repræsentare ponitur: & terminus notetur, atque ab eodem puncto ab altera parte in eadem peripheria sumatur arcus æqualis complemento latitudinis sive distantiæ loci à polo. Hujus arcus terminus erit punctum, quod polum Telluris Arcticum vel Antarcticum repræsentare debet, quia ita situm est ad datum punctum, sicut polus Telluris ad locum, qui à puncto repræsentari ponitur. Vocabimus itaque istud punctum, polus globi. Terminus vero prioris arcus notatus indicat punctum, in quo Æquator Meridianum dati loci secat.

Itaque ex polo Globi intervallo circini à polo illo ad terminum dictum describatur peripheria maxima in globo (quæ tamen facilius describi potest & ab artificibus describitur) quæ erit linea Æquatoris sive Æquator globi.

Deinde sumatur in meridiano polus priori oppositus, & ab uno ad alterum per globi cavitatem & centrum trajiciatur axis ferreus, atque in ejus extantibus partibus affigatur meridianus æneus ab artifice diligentissimo paratus & in gradus divisos habens singulos quadrantes. Debent autem axi applicari illa puncta, ubi o, o, est, sive ubi quadrantum divisiones desinunt, ita ut primi gradus initia ipsi Æquatoris lineæ exacte immineant. Æquator accurate dividatur in gradus. Porro sive dati loci meridianum sive alterius loci velis assumere pro primo, perinde fuerit, sed præstat illum assumere pro primo, quem Tabulæ longitudinum & latitudinum, quibus utendum est in locorum designatione, agnoscunt pro primo, sive à quo numerant reliquorum locorum longitudinem & latitudinem. Si itaque meridianus loci primo dati non est is, quem Tabulæ agnoscunt, sumatur ex Tabula longitudo loci primo dati, atque in Æquatore totidem gradus numerentur ab eo puncto,

ubi

ubi meridianus primi loci eum secat. Terminus numerationis erit punctum pro meridiano primo Tabularum. In quam vero plagam debeat fieri numeratio, notum est, nempe versus occasum: at quænam pars Globi pro Occidentali, quænam pro Orientali à primi loci meridiano habenda sit, ita cognosces. Globum ita pone ut meridiani semicirculus punctum primum continens sit superior, alter inferior, atque aspice Globum, polus autem Arcticus vicinior esse debet, Antarcticus remotior, siquidem datus locus sit polo Arctico vicinus; sed si polo Antarctico, tunc Antarcticus polus vicinior nobis poni debet, ita illud hemisphærium quod à dextra est, pro Occidentalibus locis assumendum, alterum pro Orientalibus.

Cæterum meridiani primi sectione in Æquatore notata, ascribantur gradibus Æquatoris numeri incipiendo à sectione illa, nempe 10, 20, 30, &c. Deinde pro quovis alio loco in repræsentando ita agendum. Excerpatur ex Tabula loci illius longitudo & in Æquatore numeretur à primo Meridiano. Terminus numerationis constituatur sub meridiano, & in hoc ab Æquatore numerentur gradus latitudinis illius loci, quos ibidem è Tabula excerpimus. Punctum globi, quod subjectum tunc est meridiani puncto, ubi latitudinis numeratio desiit, repræsentabit locum illum Telluris. Atque ita cum omnibus locis, ostiis & fontibus fluviorum agendum est, & appellationes cælatura addi. Ita Problemati satisfactum: Namque singula loca in Globo ita sita erunt, sicut in ipsa Tellure.

In praxi tamen non ita omnino agendum in principio, quia præstat assumere pro puncto primo ipsum polum, sive id, quod polum repræsentet: & in ipsa Globi confectione axis additur, cujus extremitates signant polos. Atque meridianus primus

primus Tabularum ſtatim in Globo ſignandus, atque deinde reliqua loca, ut dictum eſt. Raro autem ex Tabulis tales magni Globi fiunt, ſed plerunque ad imitationem alterius minoris Globi, ex quo longitudines & latitudines deſumuntur, & fluviorum tractus, &c. Sic ille, quem Blavius pro Societate Indica fieri curavit.

Modus ſecundus.

Hic modus ad quædam potius loca, nempe unum vel alterum, in globo ſignanda ex aliis datis aptus eſt, quam ut ad totius Globi conſtructionem adhiberi debeat: Utitur autem locorum diſtantiis. Ducatur per datum punctum peripheria maxima vel arcus peripheriæ maximæ, atque in hoc à dato puncto ſumatur arcus, quanta eſt alterius cujuſvis loci à dato primo diſtantia. Terminus arcus erit locus alter. Deinde ſi tertium quemcunque locum ſignare velis, ſume intervallo circini diſtantiam illius tertii à duobus jam ſignatis, atque ex hiſce tanquam centris deſcribantur arcus intervallis iſtis circini. Punctum, in quo hi arcus ſe mutuo ſecant, eſt tertii loci punctum.

Ut dixi, non commodus eſt hic modus ad integram Globi deſignationem; ſed ubi in Globo jam confecto volumus deſignare aliquem locum, qui in illo nondum habetur, & id ex ſola diſtantia nota illius loci à duobus aliis, quæ in globo reperiuntur, præſtare cupimus, quia facile eſt, neque nobis vacat longitudinem & latitudinem hujus tertii ignoti numeris inveſtigare propter moleſtiam calculi. Sic enim hoc modo reperiemus facillime ſitum iſtius puncti vel loci in Globo, & ſimul longitudinem & latitudinem; nimirum Problema tunc hoc eſt:

Data loci diſtantia à duobus locis, quæ in Globo reperiuntur, deſignare in Globo ſitum illius loci,

loci, cujus distantia datur, de quo sequenti capite.

Modus tertius, vulgaris Artificum.

Tertius modus in dato Globo superficiem & loca Telluris exhibendi & repræsentandi est ille, quo artifices utuntur ad Globos illos omnes, quos videmus (exceptis illis magnis, de quibus dictum est) tam terrestres quam cælestes conficiendos, qui equidem nihil habet compendii vel commendationis à facilitate, si in unius tantum Globi superficie repræsentanda sint loca Telluris, sed si in multorum ejusdem magnitudinis Globorum superficie id faciendum sit, qui magno numero divenduntur, ingentem habet praxis hæc præ prioribus prærogativam. Etenim modus hic ita se habet: Concipitur superficies Globi & Telluris divisa esse in duodecim partes (vel plures, si majoris formæ Globi sint conficiendi) per meridianos à polo ad polum ductos, ut ita binis quibusque meridianis sit inclusa duodecima pars superficiei à polo ad polum. Deinde in plano delineatur similis figura tali duodecimæ parte duobus arcubus (qui deinde in Globo faciunt semiperipherias Meridianorum) inclusa, & multis meridianis per singulos Æquatoris gradus ductis atque parallelorum portionibus sive segmentis divisa speciem cancellorum præbet: æquatoris portio in medio est: in polis coëunt omnes meridiani. Deinde sumto uno meridiano pro primo, quem Tabulæ longitudinum agnoscunt, notantur ab eo in Æquatore gradus adscriptis numeris, ut ita in Æquatore gradus longitudinis singulorum locorum numerari possint. Deinde in singulis hisce duodecimam Globi superficiei partem repræsentantibus planis notantur loca pro locis Telluris ad suos quæque gradus longitudinis & latitudinis, quæ excerpuntur è

Ta-

Tabula, & locis ascribitur nomen, fluviorum & sinuum tractus ducuntur, ut etiam terrarum. Hisce ita in charta vel ligno descriptis, fit deinde juxta illud exemplar incisio & cælatura in æris laminas, atque deinde typographico artificio infinita exemplaria in chartam excuduntur. Quæ chartæ postea Globi superficiei applicantur & conjungunturur, ita ut extremitates attingant axem sive polos Globi, in plerisque tamen constructionibus chartæ non attringunt polos, sed tantum fiunt ita, ut attingant circulos Arcticum & Antarcticum, & pro spatiis polaribus peculiares chartæ sumuntur. Ita applicatio est facilior, præsertim in magnis. Ita in Globi istius superficie exhibita sunt omnia Telluris loca, cui deinde additur meridianus æneus, Horizon cum pedimento, cyclus horarius, & Index.

Duo sunt in hac Descriptione, quæ pleniorem explicationem requirunt (reliqua omnia puto clara satis & intelligibilia esse).

1. Quomodo in plano describantur duodecimæ illæ partes vel etiam viginti quatuor, ad quarum exemplar deinde incisio fit in æs?

2. Quomodo chartæ planæ possint applicari curvæ globi superficiei?

Primum fit ita satis commode. Sit exempli causa, applicanda Globo duodecima hemisphærii portio à polo ad Æquatorem. Primo, ex cognita Globi diametro inveniatur peripheriæ maximæ quantitas juxta Archimedeam vel aliam proportionem peripheriæ ad diametrum. Sit exempli causa diameter Globi duorum pedum: & pedis longitudo in charta notata dividatur in decem digitos, & digitus in decem grana, ut centum partes sint in pede, & ducenti in duobus. Fiat, ut 7 ad 22, ita 200 ad $628\frac{4}{7}$ centesimas, sive $6\frac{28}{100}$ pedes pro peripheria. Hujus quarta pars, hoc est,

quadrans peripheriæ erit $157\frac{1}{2}$ centesimarum, sive $1\frac{57}{10071}$ pedum, & duodecima pars $52\frac{19}{21}$ centesimarum sive $\frac{1}{2}$ ped. & 2 centesimarum & $\frac{19}{21}$ unius centesimæ. Hisce inventis in charta ducatur linea longa $52\frac{19}{21}$ centesimarum (ex ascripta scala); ex hujus lineæ medio erigatur perpendicularis longa $157\frac{1}{2}$ centesimarum, quæ erit quadrans (ejus extremitas erit polus), & dividatur in gradus (unius gradus longitudo habetur, si $628\frac{1}{2}$ dividas per 360). Deinde ex polo per singulorum graduum vel decimi cujusque initium describatur peripheria (paralleli erunt), & in hisce peripheriis à ductæ perpendicularis utraque parte circino abscindatur ea portio, quanta est $\frac{1}{24}$ peripheriæ. Quanta autem sit in apposita scala cognoscetur ex proportione parallelorum ad Æquatorem, quam tradidimus capite IV in fine. Signatis ita, in qualibet peripheria vel arcu punctis, ducenda est per ea linea, & chartæ pars lineis hisce terminata abscindenda. Hæc enim Globo applicata occupabit $\frac{1}{12}$ hemisphærii. Applicatio autem fit non difficulter, nempe si parvæ sint portiones, in hisce enim differentia illa inter rectum & curvum parum sensilis est, Telluris præsertim cum charta prius humectetur: ita prompte applicatur. Loca vero in charta illa, antequam applicetur, consignantur ad debitos gradus longitudinis & latitudinis.

PROPOSITIO VI.

Mappas Geographicas componere.

Mathematico stylo ita proponemus problema; *Dato situ plani infiniti sive pro lubitu producendi, repræsentare in illo loca superficiei Telluris juxta Perspectivæ leges.*

Vel

Vel adhuc generalius: *Dato in plano aliquo puncto, quod locum aliquem superficiei Telluris repræsentare ponitur, invenire in eodem plano (infinito), infinita alia puncta & lineas, quæ quam fieri potest commodissime & ad vivum repræsentent superficiei Telluris loca & lineas, sive horum situm ad datum locum & ad se invicem.* Ita, ut puto, melius intelligitur sensus Problematis.

Quoniam paucissimi ex Geographiæ studiosis & cultoribus callent leges Perspectivæ, neque tamen ullam distinctam cognitionem vel intelligentiam de Mapparum Geographicarum constructione & natura adipisci possunt vel earum commoditatibus & vitiis judicare, nisi fundamenta norint, juxta quæ fiunt, ideo pauca quædam in hac doctrina necessaria è Perspectiva arte sunt explicanda. Versatur ars illa, ut cuivis notum est, in repræsentandis in Tabula aliqua omnibus objectis vel corporibus hujus mundi, quæ videntur vel quæ saltem concipiuntur, nimirum ut picturæ partes ita conformatæ sint & sitæ ad se invicem, atque ita etiam visui nostro appareant, oculo in certo loco constituto; sicut ipsius corporis, quod repræsentat, partes. Hic quidem est finis Perspectivæ: Methodus autem, quâ illum obtinere vel præstare allaborant, atque assequi se existimant, est hæc:

Quando punctum, superficiem, vel corpus aliquod cujuscunque figuræ repræsentare volunt in Tabula (sive illud aspiciant, sive tantum ejus ideam mente comprehenderint) concipiunt primo, illud conspici ab oculo uno tanquam puncto, & certum oculo locum sive situm, ex quo aspectus fit, assignant. 2. Deinde concipiunt planum infinitum aliquod, sive tabulam (vitrum vocant, quia melius est ad conceptionem, si planum pellucidum esse intelligatur) inter oculum & objectum

ctum repræsentandum interponi in certo aliquo situ. 3. Denique concipiunt à singulis objecti punctis radios sive lineas duci per planum illud ad oculum. Puncta plani hujus per quæ radii ita penetrare ad oculum concipiuntur, dicunt esse punctorum ipsius objecti repræsentationem sive umbram, ut loquuntur, & connexis punctis hisce per lineas, figuram, quæ inde oritur, in Tabula censent ipsius objecti corporis vel superficiei repræsentationem esse in tali situ oculi, atque oculo in eo situ manenti non aliter apparere hanc figuram plani sive Tabulæ in situ suo manentis, ac si ipsum objectum adspiceret (quod tamen optica non omnino in omibus verum esse docet, & facile est intelligere ex diversa plani interjecti positione. Sed quia melior methodus repræsentandorum objectorum nondum inventa est, ideo illa contenti simus oportet). Exempli causa, sit superficies Telluris & omnes ejus peripheriæ atque loca in Tabula repræsentanda. Concipimus itaque primo, oculum tanquam punctum extra Tellurem in aëre hærere vel situm esse in loco quovis. Deinde inter oculum & Tellurem extendi Tabulam aliquam sive planum vitreum, cujus situs etsi pro libita assumi potest, tamen ita in praxi ad meliorem & ordinatam atque æquabilis formæ figuram assumitur, ut perpendiculare sit ad lineam, quæ ex oculo ad centrum Telluris ducitur. Denique à singulis superficiei Telluris punctis sive locis & peripheriis (ut à punctis Æquatoris, Tropicorum, circulorum polarium, item meridianorum, sicut etiam ab omnibus urbibus, ostiis fluviorum, fontibus, &c.) concipimus duci lineas vel emitti radios per tabulam sive vitrum ad oculum. Illi radii perforabunt Tabulam in certis singuli punctis. Hæc puncta itaque sunt umbræ seu repræsentationes locorum superficiei Telluris, & si puncta illa,

quæ

quæ à radiis ab una aliqua peripheria emissis (ut ab Æquatore, vel à Tropico uno, vel à poli, vel ab aliquo Meridiano) facta sunt, conjungantur ducta linea, sive ea recta fiat, sive curva, hæc erit illius peripheriæ repræsentatio sive umbra, atque ita in Tabula omnes Telluris circulos atque omnia loca habebimus repræsentata.

Quia autem Tellus est rotunda, ideo tota Telluris superficies cum omnibus locis non potest in uno plano commode repræsentari, quia duo Telluris loca unum idemque punctum in plano facerent, & quæ ultra hemisphærium sita sunt, nimis falsa facie repræsentarentur: propterea dimidia superficies Telluris in Tabula aliqua, & altera in alia repræsentari debet. Atque adeo oculus potest intra ipsam Tellurem assumi, nempe quando unum hemisphærium suscipimus repræsentandum, oculus in altero hemisphærio concipitur collocatus, & Tabula inter illum & hæmisphærium repræsentandum. Idem intelligendum est, si tantum pars superficiei, ut Europa, Asia, Hispania debeat in Tabula repræsentari. Tunc enim in ipso centro Telluris possumus oculi locum assumere, si ita placeat.

Ex hisce puto Lectores clare satis posse intelligere naturam & modum hujus perspectivæ artis, qua Telluris loca in plano repræsentantur. Cæterum duo sunt plenius explicanda ex illis, quæ in methodo hac diximus, quia inde dependet varietas & diversitas Tabularum Geographicarum.

Diximus ad repræsentationem assumi punctum pro loco oculi extra objectum repræsentandum, ut extra hemisphærium Telluris, vel extra Hispaniæ, Europæ superficiem. Quoniam itaque circa quodvis objectum infinitum est spatium, atque adeo infinita sunt puncta, in quibus oculus Telluris superficiem (vel Europam, Asiam, si particularis

Tabula sit facienda (contemplans poni potest, & vero si ad diversa puncta ab eisdem objecti sive superficiei punctis ducantur radii qui tabulam eandem penetrent, admodum diverso in loco & situ penetratio radiorum fit, atque adeo admodum diversæ & dissimiles figuræ in Tabula inde oriuntur, inde fit, ut pro vario oculi situ, (quem ei attribuimus extra Tellurem vel extra illam partem, quæ repræsentari debet) varia existat superficiei illius in Tabula repræsentatio.

Sicut enim alia existit frontispicii & parietum domus alicujus repræsentatio, quando oculus eam directe opposito è situ contemplari ponatur; alia, si obliquo è situ, alia si è loco supero, alia si ex infero, & alia atque alia pro diverso oculi situ (quod Præceptores discipulis suis aptis Diagrammatibus explicare possunt); ita quoque alia oritur partium Telluris in Tabula repræsentandarum positio, si oculus constituatur vel concipiatur in aëre tali situ ut ipsi Æquatori Telluris immineat, alia si in axe Telluris protenso vel in alterius hemisphæii semiaxe existere fingatur, alia si loco alicui Telluris alteri imminere concipiatur. Inde enim fit ut tam æquator & paralleli, quam meridiani diversas nanciscantur repræsentationes, quoniam radii ab eis in Tellure existentibus ducti ad oculum, in diversis & diverso situ præditis punctis perforant Tabulam, quod quidem Lectores hoc negotium bene animo concipientes facile intelligent, præcipue si accedat viva præceptoris informatio & ostensio.

Alterum, quod lectoribus ad meliorem intelligentiam considerandum esse in hac methodo existimo, est de causa varietatis in magnitudine Tabularum sive repræsentationum: eandem enim Telluris superficiem sicut & omnia corpora mundi, ut ædes, templum, &c. in magna & parva Tabula exhibe-

re

re possumus. Causa ejus est duplex. 1. Quo oculus à Tellure & quovis objecto longius remotum esse ponitur, eo minorem magnitudinem accipit repræsentatio, nempe manente eodem situ Tabulæ sive vitri. 2. Quo Tabula sive vitrum (in quo debet fieri repræsentatio per radiorum perforationem) propius admovetur oculo, eo minorem formam accipit repræsentatio sive projectura; quo propius objecto, eo majorem.

Cæterum si oculus utcunque removeatur ab objecto (manente Tabula); modo in eadem cum centro Telluris linea removeatur, sive modo in una perpendiculari ad superficiem Telluris lineâ maneat, non ideo ipsa figura projecturæ immutatur, sed magnitudo tantum, similitudo autem manet. Ita quoque si tabula utcunque admoveatur oculo vel versus objectum removeatur, projecturæ omnes diversæ quidem fiunt magnitudinis, sed tamen similes manent inter se invicem & omnia loca simili situ repræsentant, si modo tabula in accessu vel recessu ab oculo situm parallelum observaverit. Sed si Tabula aliam positionem accipiat, item si oculus non tantum moveatur, sed etiam à linea illa perpendiculari recedat, tunc non orientur similes projecturæ, neque loca similem situm in Tabulis habebunt, sed præter diversam magnitudinem erit quoque insignis dissimilitudo in situ locorum, unius ad reliqua.

Verum in projecturis omnium corporum, ut etiam in superficiei Telluris projectura, ita fieri consuevit, ut Tabulæ sive Vitro tribuamus talem situm, ut corpus sive superficiem tangat in eo puncto, ad quod ducta linea ab oculo perpendicularis est ad superficiem corporis, sive quæ ab oculo ad centrum Telluris ducitur: ad minorem vero vel majorem projecturam nanciscendam removemus magis vel minus oculi punctum à Tellu-

re. Sed concipimus tunc Tellurem valde parvam esse.

Hisce in genere de projectura Telluris & origine Mapparum Geographicarum explicatis, iplam methodum illud præstandi edocebimus: ubi primo illud monendum est, an Tabulæ hæ fieri debeant juxta Perspectivæ leges, & an omnes fiant juxta eas. Tabularum enim harum finis est, ut quam fieri potest aptissime & ad vivum exprimant situm locorum in superficie Telluris: quæritur itaque non immerito, An hoc non possit fieri alia methodo, quæ perspectivæ leges non observet? sive enim fiat juxta perspectivæ leges, sive contra eas, modo apte repræsentet locorum situm, recte & bene facta esse censebitur Tabula. Ad illud respondeo, etsi particulares quædam Tabulæ parvæ alicujus provinciæ possint fieri atque etiam fiant alia methodo, nempe per angulos positionis, vel etiam per distantias, ut ultimo loco dicemus, tamen in magna parte superficiei Telluris non posse id alia methodo commodiori fieri, quam juxta leges Perspectivæ, etsi verus locorum situs in Tabulis juxta leges hasce factis, non repræsentetur.

Sciendum enim est ad triplicem finem respiciendum esse & attendendum in confectione harum mapparum. 1. Ut omnia loca ad præcipuos Telluris circulos, nempe ad Æquatorem, parallelos, meridianos, habeant talem situm & distantiam sicut in ipsa Tellure, ut ita ex illis Tabulis locorum singulorum parallelus, distantia ab Æquatore, à Polo, Zona, Clima, &c. conspici possit, quoniam inde dependent plurimæ proprietates regionum, & apparentiæ cælestes. 2. Ut magnitudines singularum regionum eam proportionem habeant, quam in ipsa Tellure 3. Ut loca quælibet eum ad se invicem situm,

eam

eam quoque distantiam habeant, quam in ipsa Tellure.

Ex hisce tribus requisitis primum accurate præstare debent Tabulæ & plerunque præstant, quoniam ex Tabula longitudinis & latitudinis locorum conficiuntur, neque Perspectivæ leges illud impediunt. Secundum vero accurate quidem præstare nequeunt, si Perspectivæ leges observentur, quia superficiei curvæ partes ab oculo remotiores faciunt in vitro minorem repræsentationem, quam partes oculo directe subjectæ: ea tamen inæqualitas exigua est & fit insensilis, si oculus, infinito intervallo à Tellure remotus esse concipiatur. Tertium autem requisitum nullæ tabulæ majores, ut sunt totius Telluris, item quatuor Telluris partium, & majorum provinciarum, præstare possunt, etsi in parvis regionibus utcunque id præstent, & vulgus in magnis quoque Tabulis ea haberi posse opinetur. Verum in ipsa Descriptione hæc plenius explicabimus. Id tantum hic in genere monemus in omnibus Tabulis, quas habemus, & quæ ab artificibus venduntur, universalibus illum locum sumendum esse pro puncto, quod oculo directe subjectum fuerit in projectura; illum, inquam, Telluris locum, qui in medio Tabulæ situs est. Huic itaque oculum imminere concipere debemus. In particularibus quoque plerisque, non tamen omnibus id locum habet.

Porro ad sequentia facilius intelligenda bene fecerint lectores & Præceptores, si varias Tabulas sibi comparent, ut ita verba nostra exemplis illustrare & clariora reddere possint.

Modus primus, oculo constituto in Axe, facilis.

Primo loco exhibeo illam depingendi hemisphærii Telluris methodum, quæ oculum conti-

tuit in aliquo axis Telluris puncto. Exempli gratia, velimus repræsentare hemisphærium Telluris Arcticum, nempe quod inter Æquatorem & polum Arcticum jacet, & loca in eo contenta, hoc est, Mappa Geographica orbis Arctici conficienda fit. Concipiemus itaque oculum constitutum esse extra hoc hemisphærium, ita tamen, ut immineat medio hemisphærii illius puncto, nempe polo Arctico, ut oculus cum Polo Arctico & centro Telluris sit in una recta linea, hoc est, ut oculus sit in axe Telluris. Erit itaque vel in axe à parte Æquatoris versus polum Antarcticum, vel in axe producto à parte poli Arctici. Perinde est, in qua parte ponatur. Pro tabula (sive vitro) in qua repræsentatio fieri debet, assumitur ipsius Æquatoris planum, vel aliquod tangens Tellurem in polo Arctico, si ab hac parte oculus constitui concipiatur. Sed vitandæ confusionis ergo & ut verbis melius exprimere possimus sensum, ponamus oculum in polo Antarctico constitutum esse, Æquatoris planum est Tabula (Tellurem parvæ magnitudinis concipimus). Porro concipimus ab omnibus locis & peripheriis hemisphærii Arctici emitti radios ad oculum (sive polum Antarcticum sive aliud axis punctum occupet) qui radii propterea penetrabunt planum Æquatoris. Puncta, in quibus fit perforatio, exhibent singula Telluris illius hemisphærii loca, & puncta à peripheriarum ex. gr. Tropici radiis perforantibus facta si conjungantur, exhibent lineas, quæ repræsentant illas peripherias. Hac ratione sive methodo fit, ut Æquator sit Terminus projecturæ hujus sive repræsentationis: polus Telluris repræsentetur à centro hujus circuli sive Æquatoris: meridiani faciant lineas rectas per polum omnes transeuntes usque ad Æquatorem. Paralleli Æquatoris, sive circuli latitudinis, Tropicus Cancri, polaris Arcticus &c. etiam

etiam projectura hac circulos sive peripherias efficiant, quarum centrum idem quod Æquatoris, nempe punctum, quod polum Arcticum repræsentat. Loca vero Telluris repræsentantur in suis quæque peripheriis latitudinis & linea meridiana, nempe ubi meridiana linea loci secat parallelum loci, punctum sectionis est loci repræsentatio. Reliquæ autem peripheriæ omnes & semiperipheriæ, quæ in hæmisphærio illo concipi possunt, non faciunt in projectura lineas rectas neque circulares, sed Ellipses: Ex. gr. si velimus loci alicujus Horizontem & verticales circulos repræsentare, illi omnes hac in projectura efficient arcus Ellipticos (sectionem subcontrariam Conicæ doctrinæ quari excipient).

Ad faciliorem imaginationem projecturæ, quâ circuli repræsentantur in Tabula, concipiendus est Conus radiosus: cujus vertex sit oculus, basis sit circulus Telluris repræsentandus, latera sint radii à peripheria ad oculum ducti: hunc porro Conum secari à Tabula, & pro diversa positione diversam fieri sectionem & lineam, quæ projectum est assumtæ peripheriæ in Tellure. Ita quoque ipsa Ecliptica, cujus semissis tantum cum hemisphærio Arctico repræsentatur, facit Ellipsis portionem. Propriè tamen loquendo ipsa Ecliptica non repræsentatur, quia in Tellure non potest concipi immutabilis, sed tantum in certo situ, sive ad certum diei momentum: Atque ejus intersectio cum Æquatore potest assumi in quovis Æquatoris puncto, omnibus tamen Mappis assumitur propter commoditatem intersectio meridiani primi cum Æquatore.

Sic itaque originem & methodum primi generis Tabularum, quæ oculum in axe habent, distinctè explicavimus: jam *quomodo in praxi describenda sit talis Tabula, ex ipsis fundamentis docebimus.*

timus. In plano quovis vel charta assumatur punctum medium P pro polo, & ex illo tanquam centro describatur peripheria magna vel parva (prout Tabulam magnam vel parvam esse cupimus) quam pro Æquatore habebimus. Hæc duo pro libitu assumere licet, reliqua vero puncta & peripheriæ ex illis inveniendæ. Dividatur Æquator in 360 gradus, & ductis lineis rectis per centrum & singulorum graduum initia, erunt hæ meridiani, ex quibus ille, qui ad initium primi gradus ex istis 360 ductus est, pro primo assumendus erit, ita reliquæ lineæ referent reliquos Telluris meridianos & longitudines à primo meridiano. Jam paralleli latitudinum erunt describendi. Quatuor quadrantes Æquatoris sunt, primus 0, 90: secundus 90, 180: tertius, 180, 270: quartus, 270, 0. notentur ad faciliorem appellationem litteris A B, B C, C D, D A, & assumatur unus existis, exempli causa, B C, à cujus singulis gradibus ut etiam à 20 gr. 30 min. & 66 gr. 30 min. ducantur occultæ rectæ lineæ ad punctum D (terminum diametri B D) vel tantum regula applicetur ad D, & circumducatur per singulos gradus quadrantis B C: & 23 gr. 30 min. atque 66 gr. 30 puncta, in quibus hæ rectæ vel regula secat semidiametrum P C, notentur, atque ex P tanquam centro, & describantur peripheriæ per singula puncta in P C accepta. Hæ peripheriæ erunt paralleli latitudinum, quibus in meridiano primo & opposito, nempe A P & C P, possunt ascribi numeri ab Æquatore versus P, nempe 1, 2, 3, 4, usque ad 90, ut ita singulorum latitudo sit conspicua: Sed ad parallelum 23 gr. 30 min. ascribendum erit Tropicus Cancri, ad 66 gr. 30, Circulus Arcticus. In ipsa praxi neque omnes meridiani, neque omnes paralleli, colore notandi sunt, sed tantum decimi quique, reliqui occultis sive cæcis lineis re-

repræsentandi, quoniam usus illorum mox erit impedirent autem deinde locorum appellationis ascriptionem.

Postquam meridiani omnes & paralleli descripti sunt, facile est ex Tabula longitudinis & latitudinis locorum notare ipsa loca superficiei Telluris, nimirum à primo meridiano assumto numeratur in Æquatore longitudo cujusvis loci, ita incidimus in loci meridianum, deinde ex loci latitudine eligimus parallelum ejusdem latitudinis, & punctum, ubi meridianus secat parallelum, est punctum, quod locum assumtum Telluris repræsentat, cujus appellatio illi ascribenda. Ita cum omnium locorum inscriptione sive projectura accipienda agimus, donec Tabula consecta sit.

Si Eclipticæ semicirculus etiam notandus sit in illa, fieri id debet ante locorum designationem. Diximus quod Ellipticam lineam in projectura faciat Ecliptica, ideoque ejus puncta, per quæ ducenda est illa portio Ellipsis, erunt invenienda. Primum punctum sive pro intersectione Eclipticæ & Æquatoris assumitur id, quo primus Meridianus Æquatorem secat, quod propterea Arietis signo notatur. Ultimum vero punctum hujus dimidiæ Ellipsis sive altera intersectio Æquatoris & Eclipticæ, finis nempe Virginis, erit in opposito Æquatoris puncto 180. Intermedium punctum est id, in quo meridianus 90 secat Tropicum Cancri. Ita tria puncta nacti sumus, per quæ transit portio Ellipsis describenda (quæ minor est quam dimidia Ellipsis), quæ sunt puncta initii 1 gr. Arietis, Cancri & Libræ: pro reliquis punctis, ut 1 gr. Tauri, 15, 1 gr. & 15 gr. Geminorum, 1 gr. Leonis, 1 gr. Virginis inveniendis, sumendæ sunt ex Tabula declinationes horum punctorum, & ascensione recta: nempe hic ascriptæ.

Deinde, ubi meridianus 13 gr. vel 4 gr. secat

Declinat. Ascensio recta.

gr.	gr. m.	gr. m.		
15 Arietis & Virginis	5 56	13 48	166	pro Virginis 15 gr.
1 Tauri & Virginis	11 31	27	152	pro initio Virg.
15 Tauri & Leonis	16 24	42	137	pro 15 Leonis.
1 Geminor. & Leon.	20 13	57	122	pro initio Leonis.
15 Geminor. & Canc.	22 41	73	106	pro 15 Cancri.

parallelum 5 gr. vel potius 6 gr. id punctum erit 15 gr. Arietis. Ita ubi meridianus 27 secat parallelum $11\frac{1}{3}$, ubi erit 1 gr. Tauri, sic ubi meridianus 42, parallelum 16 gr. ubi 15. gr. Tauri; atque ubi meridianus 106 secat parallelum 22 gr. 41 min. ibi erit 15 gr. Cancri: ubi meridianus 122 secat parallelum 20, ibi initium Leonis, & sic reliqui meridiani 137, 152, 166, secant parallelos 16, 11, 5, pro 15 gr. Leonis initio Virginis & 15 Virginis. Hisce punctis curvâ lineâ conjunctis, habebimus portionem Ellipsis pro semicirculis Eclipticæ boreali, cujus puncta & gradus in singulis signis facile notabuntur, si pro singulis excerpantur ex Tabulis declinationes & ascensiones rectæ, eo modo quo signavimus gradum 15 gr. Tauri, 1 gr. Geminor. &c.

Hisce factis, absoluta est Mappæ hujus Geographicæ compositio, quæ dimidiam Telluris superficiem repræsentabit, nempe partem inter Æquatorem & polum Arcticum.

Modum hunc facillimum esse, & jucundum, patet ex ipsa Descriptione, & ipsa praxis monstrabit: jam de usu ejus & incommodis dicendum est: Tria requiri in Tabulis, sive propter triplicem finem constructionem fieri, diximus in superioribus. Primum ex illis, nempe singulorum locorum longitudinem & latitudinem satis accurate mon-

strant

ſtrant Mappæ hac methodo confectæ, quoniam ex Tabula longitudinum & latitudinum fiunt : indicant ſimul locorum à via Solis diſtantiam, ſive Zonas. Secundum requiſitum, nempe magnitudinis ſingularum regionum proportionem debitam, Mappæ hujuſmodi non omnino præſtant, quippe regiones quo Æquatori ſunt viciniores, eo majorem accipiunt in projectura hac locum quam habere debebant proportione ſuâ. Verum exigua eſt hæc differentia, propter magnam oculi diſtantiam, & hoc vitium compenſatur eâ commoditate, quod melius notari poſſunt loca, quoniam paucæ regiones circa polum ſunt habitatæ, plures autem verſus Æquatorem. Tertium autem finem, nempe ſitum unius loci ad alia & locorum diſtantiam non poſſunt hæ Tabulæ præſtare, quia lineæ iſtæ, quæ talia in mappis denotant, longe alium habent ſitum & proportionem, quam in ipſa Telluris ſuperficie. Si tamen placeat ad unum aliquem locum expendere reliquorum locorum ſitum & Solis ortum & moram ſupra illius Horizontem, poterit in Mappa delineari illius loci Horizon formâ Ellipticâ hoc modo : Numerentur in Æquatore à dati loci meridiano gradus nonaginta ab utraque parte : Terminorum numerationis unus erit punctum ducendi Horizontis unum, nempe Orientale, in quo Æquator ſecat Horizontem. Alter terminus erit itidem punctum Horizontis pro occaſu æquinoctiali. Porro in meridiani loci oppoſito quadrante numerentur à polo verſus Æquatorem paralleli tot, quotus eſt loci parallelus ab Æquatore. Terminus numerationis indicabit tertium Horizontis punctum, nempe cardinem Septentrionalem. (Cardinis Auſtralis punctum docebimus in mox ſubjungendis invenire, ſi major quam hemiſphærii portio in mappa repræſentetur, namque in ſolo hemiſphærio non repe-

reperitur, nisi Horizon ipsius poli, qui est ipse Æquator.] Sic tria vel quatuor præcipua puncta habebimus, per quæ Horizon transire debet. Ad reliqua puncta invenienda non est commodior vel facilior via, quam globi beneficio: nimirum elevetur polus pro assumti loci latitudine. Deinde in singulis parallelis unum punctum eligatur, per quod primus meridianus transit, atque id adducatur ad Horizontem, quo facto annotetur gradus sub meridiano existens, atque ita in singulis parallelis fiat. Hisce annotatis numerentur à dati in mappa loci meridiano in Æquatore utrinque gradus totidem pro singulis parallelis, nempe pro decimo, xx, xxx, &c. atque ubi meridiani secant parallelos convenientes, illa puncta erunt quæsita, nempe per quæ Horizon est ducendus, poteritque ad illum expendi aliquo modo situs reliquorum locorum.

Potest hac methodo integra fere superficies Telluris repræsentari in una Mappa: nimirum si polus alteruter, nempe Antarcticus, assumatur pro oculo, Tabula vero sive vitrum assumatur alicujus paralleli polo vicini planum, ex. gr. planum circuli Antarctici, si partem Tellutis inter polum Arcticum & circulum Antarcticum exhibere cupias in uno plano, neque aliud restat agendum vel addendum ad priorem constructionem, nisi ut meridianæ lineæ protrahantur, & ducantur paralleli ab altera Æquatoris parte. Deinde Ecliptica ducatur integra, & si placet, Horizon compleatur. Verum enimvero cum partes (& gradus) ultra Æquatorem versus Antarcticum polum sitæ hoc modo multo majores evadant, quam partes circa Æquatorem & in ipso Æquatore, quod est contra rei veritatem, ideo præstat duobus hemisphæriis projecturam facere, ut unum referat Arcticum Orbem, alterum Antarcticum.

Tabu-

Tabulæ juxta hanc methodum descriptæ paucissimæ sunt. Mappis generalibus rectilineis addi solent duæ parvæ Mappæ hac methodo descriptæ, quarum una regiones circa Arcticum polum, altera circa Antarcticum exhibet, quas ad meliorem eorum, quæ dicta sunt, intelligentiam inspicere possunt lectores. Cæterum hæc facilius addiscuntur ex praxi quam præceptis.

Modus secundus, oculo constituto in plano Æquatoris.

Præcedens methodus describendi mappas Geographicas neque apte refert magnitudines & situm locorum, neque commoda est ad describendum hemisphærium inter ambos polos interceptum, atque ut omnia loca in eodem meridiano jacentia repræsentet: præterea conceptui nostro repugnare videtur polum Telluris in ipsum centrum cadere, atque adeo difficiliorem imaginationem Tabulæ ita descriptæ præbent. Propterea alia methodus inventa fuit, quæ quidem aliquantum difficilior est præcedente, sed magis apte & concinne repræsentat loca Telluris, atque polum ab Æquatore removet.

Ad hanc methodum intelligendam, concipimus superficiem Telluris in duo hemisphæria secari à meridiani primi peripheria integra, atque duabus Tabulis exhibemus illa hemisphæria, nempe in una unum, in altera alterum. Oculus constituitur in puncto Æquatoris, quod nonaginta gradibus à primo meridiano removetur: Tabula vel vitrum, in quo repræsentatio fieri debet, assumitur planum ipsius primi meridiani, atque hemisphærium (quod infra illud planum jacet respectu oculi) suscipimus in plano illo repræsentandum. In hac projecturæ forma Æquatoris semicirculus fit linea recta, & is meridianus, qui 90 gradibus à

primo

primo abest, cui oculus imminere concipitur, fiet etiam linea recta: reliqui vero meridiani & omnes Æquatoris paralleli fiunt arcus circulorum, quia Coni eorum secantur à plano Tabulæ sectione subcontraria, cujus rei explicatio è doctrina Conica est petenda, & melius per ostensionem quam verba adolescentibus explicari potest. Eclipsica autem fit Ellipsis portio ob causam in præcedenti methodo adductam.

Descriptio fit ita: Assumto in Tabula puncto E pro centro describitur peripheria circuli magna vel parva, A B C D (prout Tabulam magnam vel parvam habere cupimus). Hæc repræsentat primum meridianum & ejus oppositum, nimirum ducta diametró B D oriuntur duæ semiperipheriæ, quarum una B A D est primus meridianus, altera B C D oppositus sive longitudinis 180. Diameter hæc B D repræsentat meridianum 90 gradibus à primo distantem, & ejus punctum B est polus unus, nempe Arcticus, sed punctum D est polus Antarcticus: diameter autem A C ad B D perpendicularis est linea Æquatoris. Dividantur quadrantes A B, B C, C D, D A, singuli in nonaginta gradus. Porro ad meridianorum & parallelorum repræsentationem sive ad inveniendos arcus meridianorum & parallelorum ita agendum est. Primo Æquatoris linea A C dividenda est in gradus suos, nempe 180 (quia dimidium tantum Æquatorem exhibet), sive A E, E C in 90, hoc pacto: A puncto D ducantur ad singulos gradus semiperipheriæ A B C lineæ rectæ, vel, quod perinde est, regula applicetur puncto D & singulis gradibus semiperipheriæ A B C: lineæ hæ secabunt lineam Æquatoris in 180 partes, quæ repræsentabunt gradus, qui sunt gradus longitudinum, & proinde numeri asserbendi sunt 1, 2, 3, 4, &c. incipiendo à primo meridiano D A B. Per singula ista pun-

puncta 1, 2, 3, & ambos polos B D, describendi sunt arcus circulorum, qui repræsentabunt meridianos. Quomodo autem per tria data puncta, ex. gr. B 1 D, vel B 2 D, &c. sit describenda peripheria, id docet Geometria, nimirum inveniendæ sunt centra pro singulis describendis peripheriis, quæ centra in ipsa Æquatoris linea sunt sita, sicut meridiani D A B centrum est E. Inveniuntur illa puncta juxta Methodum Euclideam propos. 1. lib. 3. si lineæ B 1, B 2, B 3, &c. bisecentur lineis perpendicularibus (facillimum est per normæ applicationem): ubi hæ perpendiculares incidunt in Æquatoris lineam E C protractam, si opus est, ibi sunt centra pro describendis arcubus B 1 D, B 2 D, &c. Sed centra arcuum B 91 D, B 92 D, B 93 D, &c. incidunt in E A, si opus est protractam. Facilior autem in praxi est inventio, si ex B per singulos gradus quadrantum B A, B C, ducantur rectæ usque ad A C protensam, quæ in hac faciant puncta a, b, c, d, e, &c. Ita 1 a erit diameter ejus meridiani, qui per 1 debet transire; & 26 ejus, qui per 2, & ita 3 c, 4 d, &c. Si itaque 14, 26, 30, 4 d, &c. bisecentur, habebimus centra describendorum meridianorum.

Minus autem errori obnoxia & facilior erit operatio (præsertim in magnis Mappis) per Canonem Tangentium, nam sic nullis opus habebimus linearum ductibus. Etenim ad dividendam E A, E C, E B, E D in gradus, ita agimus: Dividimus E B in apposita scala in 100000 partes. Deinde; Ex Canone excipimus Tangentes $\frac{1}{2}$ gr. 1 gr. $1\frac{1}{2}$, 2, $2\frac{1}{2}$, 3, $3\frac{1}{2}$, 4, &c. atque singulos hosce tangentes ex apposita scala sumtos ponimus in E A, E C, E B, E D, ex E, ita bina vicina puncta gradum unum continebunt, est asseriptio facienda, ut prius. Deinde ad centra singulorum meri-

meridianorum in E A, E C, invenienda, sumatur numerus inter B C vel E & quemvis gradum interceptus, atque hujus duplum auferatur à 90 gr. (vel ipse numerus à complemento suo) residui tangens desumatur ex canone, & ponatur ex E in E C vel E A. Terminus erit centrum describendi meridiani per assumtum gradum. Ita cum omnibus meridianis erit agendum. Praxis hæc facilia esse monstrabit. Fundamentum hujus posterioris operationis ad invenienda centra est Theorema Trigonometricum: Differentia tangentium duorum arcuum quadrantem simul adimplentium est dupla ad tangentem differentiæ arcuum. Sic itaque meridiani repræsentantur.

Ad parallelorum arcus ducendos, meridianus D B eodem modo in gradus 180 est dividendus, sicut Æquatoris quadrantes E A, E C, nempe si ex C ducantur ad singulos gradus peripheriæ D A B lineæ occultæ: verum non opus est hac opera, cum ex E A in E B possint transferri eæ partes, puncta sive gradus ab E versus B, hoc est ab Æquatore versus polum numerandi 1, 2, 3, 4, &c. ita ab E versus alterum polum D.

Deinde per singula hæc puncta & cognominis numeri gradus quadrantum A B, C B describendi sunt arcus circulorum, nempe per gradus primos, deinde per initium tertii, &c ita quoque ab altera Æquatoris plaga versus D.

Ita omnium graduum parallelos, & Tropicos atque polares nanciscemur cum meridianis prius inventis.

Ad designandam Eclipticam duplex est methodus. Vel enim ponimus eum Eclipticæ situm in Tellure vel supra Tellurem, ut intersectio ejus cum Æquatore, sive initium Arietis immineat loco E, & in hoc situ, Eclipticæ semicirculi nempe à 1 gr. Cancri ad 1 Capricorni projectura in Tabula est

linea

linea recta: nempe ab A numerentur 23 gr. 30 m. versus B, & à termino numerationis per E ducatur diameter. Hæc repræsentabit Eclipticæ semicirculum in eo situ. Quæ linea eodem modo in gradus suos dividetur, sicut semiæquator A C. Punctum enim in quadrante B C, ubi circulus arcticus incidit, nempe $66\frac{1}{2}$ gr. est id, ex quo si ducantur rectæ ad singulos gradus semiperipheriæ F A D G, secabunt E F in 90 gradus & eodem modo E G: quibus deinde numeri & signa Arietis, Tauri, Geminor. &c. asscribenda.

Sed si situs Eclipticæ poriatur talis, ut intersectio ejus & Æquatoris immineat loco A in primo meridiano, tunc fiet ejus projectura Ellipsis portio: cujus duo puncta sunt A, C, tertium id, in quo meridianus 90 secat Tropicum Cancri, reliqua puncta invenientur eo modo, quo in primo modo explicavimus, nempe si habeantur declinationes & ascensiones rectæ 15 gr. Arietis, 1 gr. Tauri, 15 gr. Tauri, &c. Ubi enim paralleli pro singulis declinationum gradibus secant meridianos pro singulis ascensionibus rectis sumtos, illa sectionum puncta sunt 15 Arietis, 1 Tauri, &c. per illa itaque si ducatur curva linea, habebimus Eclipticæ projecturam. Atque hoc modo plerunque exhibetur in mappis Ecliptica, quoniam ita in hemisphæriis ambobus quasi continua manet.

Porro ad inscribenda loca singula hisce Tabulis, excerpendæ sunt ex Tabulis singulorum locorum longitudines & latitudines, atque ubi parallelus latitudinis loci cujusvis secat meridianum longitudinis ejusdem loci, id punctum repræsentat illum locum in Tabula, cujus appellatio asscribenda: atque ita omnia loca designantur.

Potest etiam simili methodo integra Telluris superficies una in Tabula repræsentari, nempe si non planum ipsius meridiani primi assumatur pro

vitro,

vitro, sed aliud ei quidem parallelum, sed oculo valde vicinum: sic enim & integri paralleli & integri meridiani sive meridiani singuli suis oppositi continui describentur. Sed admodum diversa à vera Telluris superficie inde orietur apparentia, & propterea omittitur ab artificibus, qui potius duo hemisphæria in una Mappa exhibent. Utile tamen fuerit, ut adolescentes in hisce quoque se exerceant. Commodius tunc erit, oculum constituere in ipso primo meridiano A, ut ita B D sit primus; Æquatoris linea erit non A C, sed alia ex puncto rectæ E D ducta ipsi A C parallela, quæ in tot gradus dividetur, quot sunt in arcu ablato, eodem artificio.

Secunda laus est, quod hemisphærium inter polos interceptum apte exhibet.

Tertia, quod latitudines, longitudines singulorum locorum, distantiam ab Æquatore & polo ita fere exhibet, sicut in ipsa Tellure jacent.

Incommoda sive defectus sunt, 1. Quod Æquatoris gradus inæquales habet, nimirum quo propiores sunt primo meridiano D A B vel opposito B C D, eo sunt majores, & propterea regiones Telluris æquales in hisce Tabulis etiam fiunt inæquales, sicut in præcedenti modo (Hic defectus ex parte corrigitur, si oculus removeatur longissime à Tellure): nempe regiones circa E fiunt minores: circa A, C, majores quam ex proportione debebant esse: eodem modo regiones circa polos B, D, fiunt majores, quam debebant. 2. Situs unius loci ad alterum non potest commode expendi, neque distantias locorum inde venari licet.

Modus tertius, quartus & quintus, de rectilineis mappis.

Exponuntur quoque venales ab artificibus map-

pæ

pæ Geographicæ Universales rectilineæ, nimirum in quibus tam circuli longitudinis (meridiani), quam latitudinis (parallelí) designantur per rectas lineas, quod quidem juxta Perspectivæ leges impossibile est, neque potest ullus oculo & vitro assignari situs vel positio, ut ambæ species circulorum, nempe & latitudinis & longitudinis fiant lineæ rectæ, sed alterutra tantum species per rectas repræsentari potest. In prima, quam explicavimus, methodo meridiani vel longitudinis circuli fiunt rectæ lineæ juxta Perspectivam, & circuli latitudinis fiunt circuli, non rectæ: in methodo autem quinta sequenti latitudinis circuli fient rectæ lineæ, sed meridiani curvæ ellipses. In aliis Modis, qui juxta Perspectivam instituuntur, ambæ species fiunt curvæ lineæ, excepta una adhuc methodo, juxta quam meridiani fiunt lineæ rectæ, sed circuli latitudinis fiunt Hyperbolæ, nimirum si oculus constituatur in centro Telluris (terrellæ) & aspiciat hemisphærium ab alterutra primi meridiani parte, tabula vero seu vitrum per quod fit aspectus, sit planum parallelum primo meridiano. Ita enim meridiani fient lineæ rectæ, & circuli latitudinis fient hyperbolæ. Divisio lineæ Æquatoris & meridianorum in gradus juxta hanc methodum est facilis: & illi, qui harum rerum varietate delectantur, hunc quoque modum cum jucunditate exercere poterunt: at propter hyperbolarum descriptionem minus ad praxin aptus est: ideo non dicemus de eo plura. Qui eum tentare volunt, viva Præceptoris informatione utantur. Rectilineæ itaque mappæ non fiunt juxta Perspectivæ præcepta, sed potius contra ea, ut dictum est. Duplices vel duorum generum inveniuntur. Quædam tam longitudinis quam latitudinis gradus æquales numerant (Belgæ vocant *gelijckgrade Kaerten*), quales olim fiebant: aliæ vero,

sicut

ſicut hoc tempore conſtruuntur, longitudinis gradus ſive Æquatoris habent æquales (quod eſt contra Perſpectivam), ſed non gradus latitudinis ſive meridianorum. Horum enim magnitudinem verſus polos magis magiſque adaugent, ita ut ad 80 gr. decuplo major ſit gradus quam ad Æquatorem, & deinde verſus polum propiores gradus infinitam fere accipiant magnitudinem, quæ in nulla mappa exprimi poſſit, quod incrementum Perſpectivæ repugnat, quæ tantum concedit triplum pro incremento.

Rectilineæ primi modi ſunt omnium facillimæ. Aſſumta enim A B pro longitudine mappæ dividitur in 180 (pro hemiſphærio uno) æquales partes, quæ erunt gradus: & per ſingulos gradus ducuntur meridiani, nempe rectæ perpendiculares, & in his ſumuntur partes æquales illis, quæ in linea Æquatoris ſumtæ ſunt, & per ſingulas partes (quæ denotant gradus latitudinis) ducuntur rectæ Æquatori parallelæ. Hæ erunt circuli latitudinis. Loca quælibet ſignabuntur, ut in prioribus modis, nempe ubi ejus loci Meridianus & circulus latitudinis concurrunt.

Secundus autem modus mapparum rectilinearum in diviſione Æquatoris in æquales gradus ſeu partes non differt à priori, & propterea aſſumta A B dividitur in 180 æquales partes (pro alterutro hemiſphærio) ſeu gradus, ſicut in priori, & per ſingulos ducuntur rectæ perpendiculares, quæ deſignant meridianos, ſeu circulos longitudinis. Sed ad circulos latitudinis ſeu Æquatoris parallelos deſignandos aliam obſervant methodum. Non enim meridiani dividuntur in gradus æquales, ſed inæquales, ſicut anteà innuimus, ita ut accreſcant ab Æquatore verſus polos. Cauſa autem hujus inventæ conſtructionis eſt, quod Mappæ aliæ non monſtrent veram poſitionem unius loci ad alterum,

rum, vel potius lineam nauticam ab uno loco ad alterum, neque methodum admittant inveniendæ distantiæ. Ista autem duo per hujuscemodi Mappas obtineri posse statuunt. Etenim quia Meridiani per gradus lineæ Æquatoris ducuntur omnes ad se invicem æquidistantes, inde fit ut loca vel puncta in singulis Meridianis sita eo magis supra veram & debitam distantiam removeantur à primo meridiano, quo ab Æquatore magis ad polum accedunt: nimirum distantia in chartis à primo meridiano tantum superat debitam & legitimam distantiam, quantum semidiameter sive sinus totus superat sinum complementi arcus latitudinis cujusvis puncti. Namque ut sinus totus ad sinum complementi latitudinis cujusvis loci, ita gradus unus vel plures in Æquatore ad gradum unum vel plures in circulo istius latitudinis. Et propterea gradus in circulis hisce debebant minores exhiberi quam in Æquatore, & quidem eo magis minores, quo circuli illi sunt polo magis vicini. Sed in Mappis rectilineis, quia meridiani ducuntur æquidistantes, non fiunt minores, sed æquales in omnibus parallelis. Quantum itaque supra debitam magnitudinem augentur gradus in singulis circulis latitudinis, tantundem gradus latitudinis singuli augeri debent in hisce Mappis supra magnitudinem gradus unius in Æquatore. Illud autem fit hac methodo in cujusvis gradus magnitudine designanda. Ut gradus unius quantitas in singulis parallelis ad gradus unius quantitatem in Æquatore, hoc est, ut sinus complementi latitudinis cujusvis paralleli incipientis illum gradum ad sinum totum, ita magnitudo partis in Æquatore, quæ unum gradum designat, ad magnitudinem partis, quæ in meridiano istum gradum denotabit, è cujus principio parallelus ille ducitur. Si autem accuratius velis agere, non sumendus est

ſinus complementi latitudinis cujuſvis paralleli, ſed ſinus complementi latitudinis, quæ incipit gradum, addendus eſt ad ſinum complementi latitudinis, quæ terminat gradum illum, & hujus aggregati dimidium ſumendum pro primo termino in regula proportionis.

EXEMPLUM.

Sit deſignandus terminus in meridiano primo pro primo gradu latitudinis ab Æquatore. ſit autem unius gradus Æquatoris magnitudo decem particularum in ſcala appoſita ſumtarum. Juxta primam proportionem fiet ejus magnitudo æqualis gradui Æquatoris: quia Æquator eſt ipſe parallelus qui hunc gradum incipit: ſed juxta ſecundam proportionem, ſumo ſinum complementi 0 gr. latitudinis, qui ſinus eſt 100000 (nam complementum eſt 90), & addo ad ſinum complem. 1 gr. nempe ad ſinum 89 gr. qui eſt 99985, fiunt 199985, dimidium 99992. Itaque ut 99992 ad 100000, ita 10 (magnitudo gradus in Æquatore vel gradus æqualis) ad $10\frac{80}{100000}$ pro primo gradu, ſed quia incrementum ſupra decem particulas adeo exiguum eſt, ut in Mappa notari non poſſit, ideo gradus hic fit etiam decem particularum, nempe æqualis gradui Æquatoris. Progreſſu autem verſus polos facto magis magiſque accreſcunt gradus. Exemplum. Sit deſignanda magnitudo gradus ſexageſimi, nempe qui inter terminum 59 gr. & initium 61 gr. interjacet. Juxta primam proportionem. Sinus complementi 59 gr. eſt 51503. Itaque

Ut 51503 ad 100000, ita 10 ad $19\frac{3}{5}$. Quare pro quantitate illius gradus ſignanda ſumi debent ex ſcala $19\frac{3}{5}$ particulæ, quarum gradus in Æquatore continet decem.

Juxta

Juxta secundam proportionem ita agendum. Sinus complem. 59 gr. est 51503. Sinus complem. 60 gr. est 50000. Aggregati dimidium est 50751. Itaque ut 50751 ad 100000, ita 10 ad $19\frac{3}{5}$. Quæ magnitudo parum major quam prior, neque eâ operâ digna. Porro quando inventa est magnitudo secundi gradûs solitarii, illa addenda est ad magnitudinem primi gradus: aggregatum erit accrescens latitudo (*de vergrootende breedte,*) quanta sumenda est in meridiano ab Æquatore pro termino secundi gradus. Deinde inventa magnitudo tertii gradûs solitarii addenda est ad accrescentem latitudinem duorum graduum prius positâm, sic habebimus magnitudinem ab Æquatore sumendam in meridiano pro termino tertii gradus. Atque ita agendum cum reliquis gradibus. Porro ut facilior esset studiosis labor, appono hic Tabulam pro terminis singulorum graduum sumendis in meridiano. Sumo autem tales particulas, quales gradus unus Æquatoris ponitur habere 100.

Grad. term.		Grad. term.		Grad. term.	
1	100	29	3032	57	6970
2	200	30	3147	58	7157
3	300	31	3263	59	7349
4	$400\frac{1}{3}$	32	3347	60	7546
5	$500\frac{2}{3}$	33	3499	61	7749
6	601	34	3619	62	7960
7	702	35	3740	63	8175
8	802	36	3863	64	8399
9	903	37	3988	65	8631
10	1005	38	4114	66	8872
11	1107	39	4241	67	9023
12	1209	40	4371	68	9384
13	1311	41	4502	69	9691
14	1414	42	4636	70	9943
15	1517	43	4772	71	10243
16	1621	44	4909	72	10558
17	1725	45	5053	73	10900
18	1830	46	5193	74	11243
19	1936	47	5338	75	11617
20	2042	48	5486	76	12017
21	2150	49	5637	77	12445
22	2256	50	5791	78	12908
23	2364	51	5981	79	13409
24	2473	52	6109	80	13960
25	2583	53	6274	81	14565
26	2694	54	6441	82	15243
27	2806	55	6611	83	16009
28	2918	56	6790		

Signa-

Signatis ita gradibus latitudinis in meridiano primo, ducuntur per singulos illos lineæ parallelæ cum Æquatore, quæ erunt circuli latitudinis. Et locorum singulorum inscriptio sit in puncto, ubi circulus longitudinis & latitudinis ejus loci concurrunt.

Regiones autem circa polos minus apte & nimis contra naturalem dispositionem exhibentur in hujuscemodi Mappis, ideo partes inter polos & circulos polares sitæ solent duabus peculiaribus Mappellis juxta primum Modum factis adjungi Mappæ universali.

Usus Mapparum harum talis est. 1. Longitudo & latitudo locorum invenitur ut in præcedentibus. 2. Dato loco A, ex quo navigatur, & loco B ad quem, exhibetur plaga, in quam dirigenda est navis. Etenim si per A ducatur parallelus & recta A B, angulus quem hæ duæ lineæ faciunt, plagam ostendet. Nautæ alio utuntur modo. 3. Distantiam inter duo data loca inveniri volunt, si circino capiatur intervallum illorum locorum & transferatur in meridianum divisum, ita ut pedes circini æqualiter absint à parallelo, qui medius est inter duo illa loca. Sed hæc minus accurata esse puto.

Modus sextus & septimus.

Ptolemæus in posteriori parte ultimi capitis libri primi Geographiæ alium proponit modum, atque partem Telluris tunc cognitam eo repræsentare docet: In hac Methodo Æquator, & circuli latitudinis fiunt etiam arcus circulorum: Meridiani vero fiunt arcus Elliptici. Oculus statuitur imminere meridiano, qui medius est inter extremos habitatæ Terræ: & quidem medio loco inter extremos gradus cognitæ latitudinis. Verum propter incommoda describendarum Ellipsium, & quia magis ad partem Telluris repræsentandam,

dam, nempe ad habitatam partem excogitatus à Ptolomæo videtur, ideo ab artificibus non adhibetur. Huic is quoque affinis est modus, qui circulos quidem latitudinis exhibet per lineas rectas: sed meridianos semissibus Ellipsium, qualis projectura existit, si in planum meridiani primi conicipias lineas perpendiculares cadere à singulis hemisphærii alterutrius punctis. Oculum autem infinito spatio removeri à Tellure supponendum est, ut ita omnes radii à locis Telluris ad eum ducti possint haberi pro parallelis & perpendicularibus ad planum meridiani primi, sicut Gnomonici dicunt omnes radios à puncto aliquo Solis ad Tellurem emissos adeo parum divergere, ut pro parallelis haberi possint & easdem faciant in umbris apparentias. Est autem non admodum difficilis.

Si itaque hâc formâ placeat Telluris hemisphærium repræsentare, assumatur in plano punctum quodvis E, & ex eo tanquam centro describatur peripheria A B C D, quadrantes sint A B, B C, C D, D A; dividantur singuli in 90 gradus ab A C incipiendo versus B & B. B A D erit primus meridianus, B C D oppositus, recta B D medius inter hosce est nonagesimus à primo B A D. Ducantur ipsi A C, quæ Æquatoris semiperipheriam refert, parallelæ rectæ per singulos gradus quadrantum: illæ referent parallelos Æquatoris, sive circulos Latitudinis, & Tropici atque Polares simul invenientur. Partes, in quas E B, E D, dividitur, per hasce ductas, sunt gradus meridiani B D, qui notentur 1, 2, 3, &c. Eædem partes sumantur in Æquatoris quadrante E A, & quadrante E C, atque assribantur numeri 1, 2, 3 usque ad 180, incipiendo à puncto primo sive proximo ipsi meridiano primo B A D. Ita partes ipsius A E C referent gradus, in quos semiperi-

pheria

pheria Æquatoris dividitur, qui sunt gradus longitudinis: Per quos & polos B, D, sunt ducendæ semiellipses pro meridianis. Quoniam itaque B D est axis major singularum describendarum Ellipsium, semissis vero E B vel E D: axis vero minoris semissis est in diversis diversa, nempe pars ipsius E A, inter E & gradum longitudinis intercepta, idcirco ex datis facile erit apto instrumento describere hasce Ellipses, quod instrumentum hodie satis vulgare est, neque difficilem habet constructionem. Possunt tamen puncta singularum Ellipsium facili negotio inveniri, per quæ liberâ manu ducendæ sunt: sed melius est instrumento eas delineare.

Descriptis ita circulis latitudinum & Meridianis, omnia hemisphærii loca in Mappam hanc inscribentur ad puncta, quibus meridianus loci & circulus latitudinis concurrunt: eritque confecta Mappa. Ecliptica vel rectâ lineâ vel Ellipticâ repræsentabitur eâ methodo, quam in secundi modo Mappis explicavimus, negotio minus operoso.

Hujus methodi Mappæ idem præstare valent, quod præcedentium Modorum Tabulæ, præ quibus insuper hanc habent prærogativam, quod circulorum latitudinis decrementum in magnitudine versus polos manifeste referunt.

Si divisio H G & H K non per linearum ductus fieri possit propter magnam oculi D distantiam, facile erit per calculum invenire particulas illas pro singulis gradibus, nimirum juxta hanc proportionem:

Ut distantia oculi à centro Telluris sumta cum sinu complementi arcûs Æquatoris repræsentandi se habet ad sinum ejusdem arcus, ita distantia oculi à Tabula ad partem lineæ H G vel H K, quæ tantum arcum Æquatoris repræsentabit.

Ex. gr. Ponamus oculum D removeri à centro

Telluris E ſemidiametris illius ducentis : Tabulam vero ſive vitrum H K ſemidiametris centum. Erit itaque D E 200, & D H 100, qualium E B vel E A, E C eſt 1. Inveniemus primo longitudinem ipſius G H K, quæ ſemiperipheriam Æquatoris A B C repræſentare debet in hac oculi & vitri diſtantia. Erit itaque :

Ut D E ad E A, ita D H ad H S vel H K
200 100 1 ad $\frac{1}{2}$ ſemidiametrum Telluris.

Ex quo patet, H K vel H G eſſe debere longitudinis dimidiæ ſemidiametri Telluris, quæ profecto nimis vaſta eſt, cum tantam talem lineam in nullo plano exhibere poſſimus. Ideo pro ipſa Tellure concipimus Terrellam ſive globum terreſtrem minorem, cujus ſemidiameter ſi ſit duorum pedum, erit H G vel H K unius pedis, nimirum ſi oculus ducentis pedibus à centro illius Terrellæ ponatur remotus, vitrum vero pedibus centum.

Si tamen ſcire placet, quantâ diſtantiâ remotus eſſe debeat oculus ab ipſa Tellure, ut ſemidiameter Æquatoris E A vel E C faciat projecturam H G datæ magnitudinis, ex. gr. unius pedis, (quorum ſemidiameter ipſius Æquatoris hoc eſt ſemiſſis axis Telluris continet 19598300) poterit illud inveſtigari hac proportione, ſuppoſitâ tamen vitri ab oculo diſtantiâ, nempe H D 100000

Ut H G ad D H, ita E A ad D E
1 100000 19598300 ad 1959830000000

pedes, quorum 18000 faciunt milliare Hollandicum, ingens profecto diſtantia.

Sed in praxi non aſſumimus ipſam Tellurem, ſed ejus typum ſive Terrellam, à qua non neceſſe eſt oculum tanto intervallo remotum ſupponere : verum ipſa projectura propterea non variatur.

Modus octavus, quo quilibet datus in Tellure locus centrum sive medium Mappæ locum accipit.

Si placeat habere Mappam, in qua omnium locorum situs ad nostrum locum vel ad aliquem datum, ut etiam illorum distantiæ à nostro loco commode queant conspici & inveniri, inventa est methodus, quâ ita Telluris superficies repræsentatur, ut quivis ejus locus datus medium Mappæ locum sive centrum occupet: reliqua loca circa eum tanquam centrum jaceant: quales Mappas amant illi populi, qui vana opinione gaudent, suam regionem in medio totius Telluris sitam esse, ut Chinenses, & olim Judæi.

Cæterum ad Mappam talem describendam, sumamus Amstelodamum debere centrum Mappæ occupare: Ejus latitudinem sive elevationem poli sumemus esse 52 gr. Oculus constituitur in puncto vertici opposito sive in Nadir loci: Vitrum seu tabula est Horizontis planum, vel ei parallelum aliud, si majorem portionem, quam hemisphærium placeat repræsentare, quod in hac methodo commodius est, nempe ut planum saltem per depressum polum transeat.

Assumatur itaque in plano centrum E pro Amstelodamo, & descripta peripheria A B C D, quæ Horizontem referet, dividatur in quatuor quadrantes: hi singuli in 90 gradus: diameter B D sit meridiana: B Septentrionalis cardo: D Auster. Diameter. Ac linea ortus & occasus æquinoctialis refert verticalem primarium. A occidens: Orientalis cardo sive refert locum, qui 90 gradibus abest in verticali primario. Omnes verticales repræsentantur lineis rectis per centrum E ad singulos Horizontis gradus ductis, sed ad vitandam

confusionem præstat omittere, atque infixo ipsi E paxillo regulam circumductilem annectere.

Deinde dividatur B D in gradus 180, nempe ut in prioribus modis, ducendo ab A rectas ad singulos gradus semipersphæriæ B C D. Illud punctum in E B, quod refert 52 gr. arcus B C, erit projectura poli Arctici: notetur literâ P punctum in E D, quod repræsentat 52 grad. arcûs D C (à C versus D numerando) erit projectura intersectionis Æquatoris & Meridiani Amstelodamensis. Notetur literâ Q. Et ab illo versus P ascribantur numeri graduum, 1, 2, 3, &c.

Item à Q versus D, & ab B versus P, nempe 52, 53, 54, 55, &c.

Deinde sumtis punctis æqualium graduum à P, nempe 99 & 99, item 88 & 88, &c. describendæ sunt circa hasce partes tanquam diametros peripheriæ circulorum, quæ repræsentabunt parallelos sive circulos latitudinis, & Tropicos atque polares cum Æquatore.

Ad Meridianos repræsentandos, primo describatur peripheria per tria puncta A P C: Ea referet meridianum, qui nonaginta gradibus abest ab Amstelodamensi. Ejus centrum sit M in B D (protracta, in N punctum, quod polum Antarcticum referat) situm. P N diameter, ducatur per M parallela ipsi A C, quæ sit F H, protracta ab utraque parte in K, L. Porro circulus P H N F dividatur in 360 gradus, & ex puncto P ad singulos gradus rectæ lineæ (vel solâ regulæ applicatione) quæ lineam K F H L secabunt. Per singula sectionis puncta & ambos polos P, N, tanquam per tria data puncta describendi sunt circuli, qui repræsentabunt omnes meridianos: Centra describendorum arcuum in eadem K L sita sunt, nempe eadem quæ per priorem sectionem inveniuntur, sed hac conditione sumenda, ut pro proximo meri-

meridiano à B D N versus A eligatur centrum remotissimum ad L, & pro secundo, secundum ab hoc, &c.

Descriptis ita circulis latitudinum & Meridianorum facile est ipsa Telluris loca inscribere Mappæ. Et conspicuus erit omnium illorum situs ad Amstelodamum. Porro in regulam affigendam loco Amstelodami debent inferri eædem partes, in quas E B divisa fuit, & numeri graduum asseribendi (vel milliaria ex commutatione graduum.) Ita enim circumductâ regulâ ad singula loca statim sciemus, & quanto intervallo distent ab Amstelodamo, & in qua plaga jaceant respectu ejus. Quomodo beneficio Globi talis Tabula sit conficienda monstrabimus in Modo quarto Particularium.

Modus primus Tabularum Geographicarum Particularium.

Satis de Mapparum Generalium sive Universalium constructione diximus: jam locos postulat, ut etiam Particularium sive Specialium compositionem doceamus. Partes itaque Telluris, quas in Mappa repræsentare volumus, sunt vel magnæ vel parvæ. Si magnæ, ut Europa, Asia, Africa, America, commodum erit instituere Delineationem juxta modos explicatos pro Mappis Generalibus: in diversis tamen partibus diversi modi sunt commodiores. Africa & America, quoniam per eas transit Æquator, non exhibentur commode per primum Modum, sed aptissime juxta secundum, oculo constituto in plano Æquatoris supra meridianum medium inter extremos, qui Africam vel Americam claudunt. Propterea in hisce Mappis Æquator est linea recta, paralleli vero & meridiani sunt arcus circulorum. Sed ad

Europam & Asiam repræsentandam modus primus & sextus sunt magis commodi. Ad terras polares sive Zonas Frigidas aptissimum esse Modum primum diximus in illius explicatione.

Primum itaque ducenda est in plano linea recta pro meridiano loci, cui oculum imminere volumus, atque ea in gradus dividenda est juxta methodum explicatam in præcedentibus, & qui gradus erunt latitudinis, quorum numerus ascribendus est. Deinde ex Tabulis excerpenda est latitudo utriusque paralleli, nempe qui regionem illam terminat ab utroque latere quod polos respicit. Harum latitudinum gradus in linea recta sive meridiano oculi sunt notandi, & per illa puncta ducendæ rectæ lineæ perpendiculares, quæ Mappam claudent versus Septentrionalem & Australem plagam. Deinde paralleli & meridiani ducendi sunt ad singulos gradus: & loca inscribenda sunt, donec Mappa perfecta sit.

Modus secundus describendi Tabulas particulares.

Verum in regionibus non ita magnis sed tantum mediocribus vel parvis aliâ methodo uti consueverunt artifices. Primo ducitur linea transversa in extremitate Tabulæ pro circulo latitudinis, in quo regionis describendæ fines Æquatorem respicientes jacent. In ea sumuntur partes æquales tot, per quot gradus longitudinis regio illa extenditur ab illa parte. Deinde ex medio hujus lineæ ducitur perpendicularis, quæ tot partes habeat quot sunt gradus latitudinis inter regionis terminos versus Æquatorem & polum. Hæ autem partes quantæ esse debeant, cognoscitur ex proportione gradus circuli maximi ad gradum paralleli, qui ab inferiori transversa linea repræsentatur. Per terminum hujus perpendicularis ducitur

alia

alia perpendicularis sive inferiori lineæ parallela, in qua totidem gradus longitudinis sumendi sunt, quot in linea inferiori, & quidem æquales illis ipsis lineæ inferioris, si quidem latitudines hæ neque ab Æquatore neque à se invicem multum distent.

Sed si magna sit ab Æquatore distantia, vel si magnus sit excessus ultimæ latitudinis regionis supra illam, quæ Æquatori vicina magis est, non erunt partes (gradus) in superiori transversa linea sumendæ æquales partibus lineæ inferioris, verum minores esse debent juxta proportionem, quam gradus istius paralleli remotioris habent ad gradus paralleli inferioris, quæ proportio cognoscitur è Tabula, quam capite IV posuimus.

Postquam ita in linea superiori & inferiori sumtæ sunt partes pro gradibus longitudinis, lineæ rectæ ducendæ sunt per partium ejusdem numeri initium & finem: quæ rectæ repræsentabunt lineas meridianas. Denique per singulos gradus ejus perpendicularis, quam ex inferioris lineæ medio puncto erigere jussimus, ducendæ sunt per singulorum graduum initia parallelæ lineæ ipsi inferiori, quæ indicabunt parallelos latitudinis. Ultimo loca inscribenda sunt ad puncta, in quibus singulorum locorum latitudinis parallelus & longitudinis meridianus concurrunt. Ita perfecta erit Mappa Geographica pro data regione.

Modus tertius describendi Tabulas particulares.

In parvi tractûs provinciis repræsentandis plerunque utimur alia methodo, quam in prioribus explicavimus, nimirum ut situm unius loci ad alterum & locorum distantiam accuratius exhibeant Tabulæ. Methodus in eo consistit, ut angulos positionis unius loci ad alios per instrumenta Mathematica inveniamus & deinde apte in

chartam transferamus. Sint, exempli gratia, quinque loca alicujus regionis in Tabula disponenda juxta situm & distantiam suam; appellabimus ea loca A, B, C, D, E. Primo eligemus ex hisce illum, A, ex quo reliqua vel plurima ex illis commode possunt conspici; & adhibito instrumento observabimus angulos positionis ad singula loca, nimirum angulos inter lineam meridianam loci, in quo observamus, & inter plagas reliquorum locorum B, C, D, E. Porro in charta vel plano, in quo repræsentare volumus illa loca, sumemus locum A pro libitu, & ex illo descriptam peripheriam secabimus in gradus (quod tamen non est necesse, si habeamus divisum semicirculum, vel aliud Geometricum instrumentum huic usui aptum); unam diametrum assumemus pro linea meridiana loci A, nempe F A G: altera huic perpendicularis H A K monstrabit ortum æquinoctialem extremitate H, occasum K. F est cardo Septentrionalis, G Australis. Sit jam angulus positionis loci B ad A observatus 30 graduum ab Austro versus ortum, numerabimus in quadrante G H tot gradus, & ducemus ex A lineam per illum gradum. Hæc repræsentabit plagam loci B ab A loco. Eodem modo plagæ reliquorum locorum D E in charta sunt notandæ, si observatæ sint. Deinde eligendus est alter locus ex B, C, D, E, cujus distantia ab A nota sit vel inventa, ex. gr. B locus, & in illo adhibitis instrumentis observandæ plagæ reliquorum trium locorum C, D, E. Hisce factis, in charta nostra apponemus scalam milliarium vel leucarum, quæ magna vel parva assumemus, prout magnam vel parvam Tabulam esse cupimus. Et in linea plagæ loci B ab A sumemus notam distantiam, atque ibi signabimus locum B, & per B ducemus parallelam ipsi F G, quæ repræsentabit meridianum loci B,

&c

& descripta peripheria circa B, sicut circa A ducemus ex B lineas, quæ denotent plagas locorum C, D, E, atque ubi hæ lineæ secant illas, quæ ex A ductæ sunt, puncta intersectionum erunt loca ipsorum C, D, E. Atque eodem modo agendum, si plura fuerint loca.

Modus quartus, qui Globum adhibet.

Possumus beneficio Globi terrestris locorum remotorum à se invicem & diversorum regnorum situm & distantiam exhibere in plano; imo totam Telluris superficiem: ita ut datus quivis locus medium occupare videatur, sicut in modo sexto generali explicavimus. Ita ut hic modus possit accenseri modis pro Generalibus Mappis: sed præstat non extendere repræsentationem ultra hemisphærium. Ex. gr. Propositum sit in charta ante oculos ponere omnium locorum situm ad Amstelodamum, & distantiam ab hoc loco. Primo in charta vel plano sumatur punctum medium pro Amstelodamo, notetur litera A. Ex eo describatur peripheria F H G K. F G sit linea meridiana sive Septentrionis & Austri linea: H K sit linea ortus atque occasus. F Septentrionem, G Austrum, H ortum, K occasum monstret. Dividantur singuli quadrantes in gradus nonaginta.

Deinde in Globo adducatur Amstelodamum ad meridianum æneum, & polus elevetur juxta Amstelodami latitudinem, quadrans affigatur vertici, & applicetur ad singula loca, quorum situm ad Amstelodamum in charta repræsentare volumus, ex. gr. ad Galliæ initium, medium & finem, ita ad Italiæ, Hispaniæ, Hungariæ, Sueciæ, &c. terminos, atque annotentur anguli quos quadrans in singulis applicationibus facit cum meridiano, hoc est anguli positionis illorum locorum ad Amstelodamum: præterea gradus quadrantis inter Amstelodamum

damum & ſingula loca, hoc eſt diſtantiæ ſingulorum. Hiſce factis ſeponatur globus, in charta vero ducantur ex A lineæ pro plagis ſingulorum locorum, nimirum quæ cum meridiana linea tales angulos faciant, quales annotati ſunt antea, & quidem inter puncta Cardinalia notata. (quomodo hoc labore ducendarum linearum ſuperſedere poſſimus, monebimus infra.) In hiſce plagarum lineis invenienda ſunt puncta pro ipſis locis, ſumendo diſtantias ab Amſtelodamo, quod duplici modo facere poſſumus. Vel enim parvo intervallo remota ſunt loca, quæ notare volumus, vel magno quidem intervallo, at parvam Tabulam conficere placet; vel denique loca magno intervallo removentur & majoris formæ Tabulam formare animus eſt. In prioribus duobus caſibus, ſufficit ſcalam graduum facere, dividendo lineam aliquam in æquales partes, quarum ſingulæ repræſentent gradum. Ex hac ſcala ſumemus diſtantias ſingulorum locorum antea notatas intervallo circini, & in plagæ ſingulorum locorum lineam inferemus. Terminus erit notandus appellatione loci iſtius. Atque ita omnia loca in Tabula notabimus circa Amſtelodamum.

Sed ſi Mappa ſit majoris formæ conficienda, & regiones remotæ ſint notandæ, non ſufficit ſcalam æqualium partium pro gradibus uſurpare, ſed alio modo dividenda erit linea, nimirum juxta Perſpectivæ leges, quoniam in hoc modo ponimus oculum infra Horizontem Amſtelodamenſem in loco Antipodum, & pro vitro aſſumimus ipſum Horizontem, ſi hemiſphærium repræſentare animus eſt, vel ſi majorem vel minorem hemiſphærio partem, tunc aſſumimus planum Horizonti parallelum, quod tanto arcu ab eo diſtet, quanto pars repræſentanda ab hemiſphærio. Deſcribatur itaque peripheria circuli in alia charta,

ta, M centrum, N O diameter una, P Q altera perpendicularis. Quadrans P Q dividatur in gradus 90, & sumatur infra Q tot gradus, quota pars ultra Hemisphærium est repræsentanda, & per terminum R ducatur ipsi Q M parallela ad M O, nempe R S.

Porro ex O ducantur rectæ ad singulos gradus quadrantis N Q vel N Q R, (si major portio quam hemisphærium exhibendum sit) quæ divident rectam M Q vel S R in partes tales, quæ in projectura indicabunt gradus. Dein assumatur linea, quantamcunque volumus esse distantiam remotissimi loci ab Amstelodamo in Tabula, hoc est quantam volumus esse dimidiam Tabulam. Illa linea ita dividenda erit sicut M Q vel S R divisa fuit: & partes notandæ numeris 1, 2, 3, 4, 5, 6, &c. pro gradibus. Ex hac scala sumtæ distantiæ pro singulis locis ab Amstelodamo si in lineas plagarum inferantur, exhibebunt puncta pro ipsis locis, & confecta erit Mappa, quam cupiebamus.

In praxi supersedere possumus linearum pro plagis ducendarum labore, quippe scalam graduum in regula designare commodum erit, cujus initium si applicetur Amstelodamo, & regula circumducatur ad gradus peripheriæ pro plagis singulorum locorum, poterit statim notari punctum pro quovis loco, numerando distantiam in regula à principio scalæ. Ipsa praxis facilem hanc methodum esse docebit.

Modus quintus. De Mappis nauticis.

Mappæ nauticæ (*Pas-caerte, Zee-Caerte*) rectilineæ sunt, & habent meridianos omnes parallelos, secus ac secundus modus in posteriori membro exhibebat. Duplices sunt, sicut vniversales duplices esse diximus in modo quarto & quinto univer-

versalium, nempe æqualium graduum latitudinis vel inæqualium quas nautæ Belgæ vocant *gelijck Graden Pas-Caerten*, & *wassende Graden Pas-Caerten*: Constructio eadem est, quæ illarum universalium; differentia tantum est, quod partem tantum repræsentant, & plures compassos nauticos exhibent. Denisi dicemus in arte Nautica. Chartæ æqualium graduum fiunt, si repræsentetur pars terræ parum in latitudine varians, sicut sunt Mappæ pro navigatione maris mediterranei: Inæqualium graduum fiunt, si magna sit latitudo.

CAPUT XXXIII.

De distantia locorum.

PROPOSITIO I.

DAtis duobus punctis sive locis in globo, ducere ab uno ad alterum lineam sive arcum, qui sit pars peripheriæ maximæ Globi istius. Sive, In superficie Globi describere peripheriam circuli maximi quæ transeat per duo data puncta.

Concipiamus ductas rectas lineas ab uno puncto ad alterum, & ab ambobus ad centrum Globi vel Telluris, quæ tres rectæ lineæ facient Triangulum, atque ideo in uno plano sunt. Secet hoc planum protensum superficiem Globi: erit sectio peripheria circuli maximi, & arcus inter loca interceptus erit is qui quæritur. Vel, Sumatur circino intervallum quadrantis peripheriæ maximæ, & uno pede defixo in punctum unum ex datis describatur arcus in superficie Globi: Deinde alius arcus pede defixo in alterum datum punctum. Communis sectio horum arcuum erit polus describendæ peripheriæ, sive in quo si designatur pes unus circini, & describatur in superficie Globi peri-

peripheria, habebimus arcum quæsitum inter data loca interceptum.

PROPOSITIO II.

Distantia duorum locorum in superficie Telluris brevissima, sive Via brevissima ab uno loco ad alium est tantum una (exceptis antipodum locis) nempe arcus peripheriæ maximæ, quæ intercipitur inter duo illa loca.

Brevissima duorum punctorum distantia, est linea recta ab uno puncto ad alterum ducta, ut constat ex Archimedea definitione, & ex aliis definitionibus facile est deducere. Itaque etiam duorum locorum in superficie Telluris existentium distantia brevissima est linea recta, quæ ab uno loco ad alterum ducta esse concipitur. At cum Telluris superficies sit convexa curva, inde fit, ut recta illa linea, quæ vere est duorum locorum brevissima distantia, cadat intra cavitatem istius superficiei. Nos vero consideramus illas tantum vias ab uno loco ad alium, quæ in ipsa sunt superficie Telluris, & proinde curvæ lineæ: ideo addimus in Propositione, distantiam brevissimam in superficie Telluris. Inter hasce vias sive interceptas lineas una est, quæ omnium est brevissima, nempe arcus peripheriæ maximæ interceptus inter duo quælibet puncta, ita ductus, sicut in præcedenti Propositione diximus. Quod itaque hic arcus sive hæc curva intercepta linea sit brevior, quam omnes aliæ curvæ lineæ interceptæ circulares (quarum infinitæ sunt) patet ex hoc theoremate Geometrico: Si duarum inæqualium peripheriarum arcus sumantur, quorum subtensa sit æqualis vel eadem, erit majoris peripheriæ arcus minor quam minoris peripheriæ. Etenim omnes curvæ lineæ circulares per duo puncta transeuntes sunt minores peripheriæ Telluris excepto illo

arcu

arcu, qui ſupponitur maximæ eſſe peripheriæ. Quod autem hic arcus etiam minor ſit, quam aliæ curvæ non circulares (ſolidæ lineæ, ut helices) quales infinitæ cogitari poſſunt in ſuperficie Telluris interceptæ inter duo loca, oſtenſum eſt ab aliis: pertinet enim hoc Theorema non ad Geographiam ſed ad Geometriam, quæ etiam oſtendit, quod tantum unicus arcus peripheriæ maximæ duci poſſit ab uno loco ad alium, non plures.

Propositio III.

Diſtantia locorum non mutantur.

Itineraria quidem locorum diſtantia modo major, modo minor eſſe poteſt: at vera & breviſſima diſtantia Geographica manet eadem, niſi ſuperficiem telluris divelli vel diſrumpi concipias. Loca autem hic intelligimus puncta Telluris immobilia ſive immota. Si itaque ſuperficies inter duo loca intercepta ſit facta altior, erit quoque diſtantia locorum facta major; ſi depreſſior, erit minor.

Propositio IV.

Nulla loca Telluris diſtant majori intervallo, quam 2700 milliarium Germanicorum, quorum quindecim ponuntur gradum unum facere.

Etenim quoniam Telluris ſuperficies Sphærica eſt, non poteſt inter duo ejus puncta cadere arcus breviſſimus, qui major ſit quam 180 gr. hoc eſt quam ſemiperipheria circuli maximi. Atqui 180 gr. faciunt 2700 milliaria Germanica, ſi unus gradus ponatur facere quindecim. Quare nulla loca diſtant pluribus, quam 2700 milliaribus Germanicis. Alia vero eſt conditio itineratiæ diſtantiæ.

Pro-

Propositio V.

Distantia antipodum est 2700 milliarium Germanicorum, sive 180 graduum.

Distantia inter antipodes brevissima non est una, sed infinitæ sunt, eæque omnes æquales, etsi proprie loquendo non possint dici brevissimæ distantiæ, sed, quibus nullæ breviores sunt.

Distantiæ circulares inter antipodes sunt omnes peripheriæ maximæ nullæ peripheriæ minores, qualium inter alia loca; quæ non e diametro opponuntur, sunt infinitæ.

Peripheria per duo loca transiens, transit etiam per loca antipodum istorum locorum.

Distantiæ loci alicujus à duobus locis, qui antipodum sunt, simul sumtæ faciunt 180 gradus. Itaque cognita distantia loci alicujus ab alio, nota quoque erit distantia loci illius ab antipodum alterius loco.

Quinque hæ propositiones ita manifestæ sunt veritatis, ut cuilibet eas perpendenti facile sit eam perspicere & intelligere.

Propositio VI.

Dato loco aliquo in superficie Globi, exhibere omnia illa loca, quæ habeant unam & eandem datam distantiam à loco illo dato; oportet autem datam distantiam non esse majorem quam 2700 milliarium Germanicorum.

Datus locus adducatur ad æneum meridianum, polus elevetur juxta loci latitudinem atque quadrans affigatur verticali puncto. Porro data distantia convertatur in gradus, qui gradus numerentur in quadrante a puncto verticali. Terminus numerationis notetur cretâ: circumducatur deinde quadrans super superficiem globi: notatum punctum indicabit vel monstrabit omnia

loca

loca Tellutis, quæ datam distantiam à dato loco habent.

Vel, Sumatur intervallo circini in Æquatore gradus conversæ distantiæ, & uno pede defixo in datum locum, circumducatur pes alter. Loca, per quæ transit, sunt quæsita.

Si vero gradus ex conversa distantia orti, plures sint, quam nonaginta, hoc est quadrante, sumatur eorum complementum ad 180: & antipodum locus adducatur ad superiorem æquei Meridiani semiciculum; polus elevetur pro ejus latitudine, & quadrans verticali puncto affigatur, & numerentur in eo gradus complementi; terminusque numerationis cretâ notetur. Si tunc circumducatur quadrans, notatum ejus punctum omnia quæsita loca, quæ nimirum à dato loco datam habebunt distantiam. Si circino expedire negotium placet, ages, ut antea diximus in Mappis Chorographicis.

Propositio VII.

Quænam faciant, ut itineraria distantia sit major quam vera sive brevissima & Geographica.

1. Sylvæ, quæ inter loca aliqua jacent, inviæ. 2. Montes alti & valles profundæ. 3. Paludes, lacus & aqua in genere, si terrestria itinera spectemus. 4. In maritimis itineribus, hoc est in navigationibus, procurrentes terræ, & insulæ obstant directo itineri. 5. Maris peculiaris fluxus. 6. Venti.

Sed quærat aliquis, annon fieri possit, sive annon sint loca, quorum itineraria distantia sit minor, quam Geographica brevissima? Ad hoc respondeo, etsi Telluris figura sit sphærica quod ad sensum, tamen in primo libro jam indicavimus, hanc figuram non esse omnino Geometricam, sed multis locis elevatis atque depressis inæqualem

reddi

reddi. Si itaque concipiamus certam Telluris superficiem, sive superficiei à centro distantiam, ex. gr. vulgarem semidiametrum 860 milliarium, respectu cujus sumenda sint loca elevata vel depressa; hoc, inquam, supposito, possunt esse duo loca ita sita, ut itineraria distantia sit minor, quam Geographica brevissima: nimirum si loca illa sint in superficie Telluris, quæ 860 milliaribus à centro removetur, spatium autem intermedium sit depressius.

PROPOSITIO VIII.

Duorum locorum in Globo datorum distantiam invenire, ut etiam in Mappa Chorographica.

Adducatur unus è datis locis ad meridianum æneum, quadrans affigatur vertici, & applicetur ad alterum locum datum: numerentur tunc in hoc gradus intercepti inter verticem & hunc locum: hi gradus convertantur in milliaria vel aliam mensuram, in qua cognoscere volumus distantiam illorum locorum; hæc erit quæsita.

Vel, capiatur circino intervallum duorum locorum, & translato hoc ad Æquatorem consideretur, quot gradus in hoc occupet: hi enim sunt ipsa locorum distantia, quos in milliaria vel aliam mensuram convertere debemus.

Si vero major sit distantia, quam ut quadrante vel circino intervallum sumi possit (nimirum si major quam 90 gradus), erit unius loci ab alterius loci antipodibus distantia minor, quam 90 grad. Inquiratur itaque hæc, & auferatur, ab 180 gradibus: residui gradus erunt distantia quæsita.

In Mappis universalibus, sicut etiam in particularibus magnarum partium non potest accurate & vere inveniri distantia locorum: in particularibus autem Chorographicis solet apponi scala milliarium vel leucarum, cujus beneficio cognoscitur

ſcitur locorum diſtantia in illis Mappis contentorum. Si enim circino ſumas duorum locorum intervallum, & hoc in ſcalam transferas, ſtatim cognoſces locorum illorum diſtantiam.

Sed ſi Mappa ſit majoris alicujus portionis, non caret vitio hæc methodus. Etenim nulla Mappa fieri poteſt ulla methodo, quæ locorum diſtantias veras exhibeat: ſed talis quidem poteſt, quæ unius loci à reliquis omnibus diſtantiam monſtret, ut diximus in Methodo conſtructionis Mapparum.

Propositio IX.

Dat â latitudine & longitudine duorum locorum, invenire eorum diſtantiam.

Facilis eſt ſolutio hujus problematis per Globum, & Planiſphærium Catholicum; difficilis vero, ſed accurata per calculum & Trigonometricam ſupputationem.

In Globo fit hoc modo: Aſſumatur meridianus aliquis pro libitu (præſtat aſſumere unius loci meridianum, ſi per ejus longitudinis punctum aliquis tranſeat, nempe ſi longitudo ſit 10, 20, 30, &c. vel ſequentium denariorum, vel quod commodius erit, aſſumatur primus meridianus) & numeretur in Æquatore ab eo differentia longitudinis locorum, terminus numerationis adducatur ſub æneum meridianum, & numeretur in hoc latitudo alterius loci; punctum Globi, quod ſubjicitur termino numerationis, notetur cretâ: in primo quoque meridiano notetur punctum latitudinis pro altero loco. Deinde circino capiatur intervallum inter notata puncta, & transferatur vel in Æquatorem vel in primum meridianum: ita cognoſcemus diſtantiam locorum in gradibus & graduum partibus: qui gradus convertendi erunt in milliaria vel aliam menſuram,

quam

quam volumus. Si intervallum majus sit, quam ut circino commode sumi possit, agemus, ut in Prop. VII, vel filum accurate tensum adhibebimus.

Quoniam planisphærium aptius vel commodius est ad usum, præsertim nautis, & multi ejus beneficio problemata solvere amant, atque hujus Problematis frequens usus est, placet etiam hanc methodum per planisphærium proponere.

Sunt autem casus duo problematis. Vel enim una & eadem est locorum data longitudo aut 180 differentia, nempe si in eodem meridiano jaceant, vel diversa est longitudo. Si eadem, non opus est alia methodo, nisi ut differentia latitudinis convertatur in milliaria: namque ipsa illa differentia est distantia locorum in gradibus: si diversæ speciei sint latitudines, nempe una borealis, altera australis, addendi erunt gradus latitudinum: Si differentia 180 graduum, nempe si in diversis semicirculis ejusdem circuli longitudinis, simili modo agendum erit, quod cuivis facile est colligere. Aliter fit, si longitudo locorum sit inæqualis, hoc est si in diversis meridianis sita fuerint loca, & extra Æquatorem.

Sed utile fuerit ad distinctam problematis intelligentiam, enumerare prius casus, qui variant solutionem, & plerique facillimam habent, ut manifestum erit per exempla, quæ studiosi exercere debent.

1. Si eadem sit locorum longitudo & sint cognominis latitudinis. In hoc casu differentia latitudinum est ipsa distantia in gradibus, qui in milliaria vel aliam mensuram mutari possunt.

2. Si eadem sit locorum longitudo, sed sint diversi nominis latitudines, unius borealis, alterius australis. In hoc casu, addendæ erunt latitudines in unam summam, hæc indicabit distantiam in gradibus.

3. Si differentia longitudinum sit 180 graduum, & sint cognominis latitudinis, erunt sumenda complementa latitudinum ad 90 gr. sive locorum distantiæ à polo vicino, & illæ addendæ: summa enim indicabit distantiam in gradibus.

4. Si differentia longitudinum sit 180 graduum, & sint diversi nominis latitudines, sumatur latitudinum differentia, & auferatur ab 180 gradibus vel semicirculo. Residuus numerus exhibebit distantiam in gradibus.

5. Si ambo loca fuerint in Æquatore, differentia longitudinis est ipsa distantia.

6. Si latitudo locorum fuerit una & eadem, neque major viginti gradibus, & differentia longitudinis parva, ingrediemur cum ea latitudine Tabulam magnitudinis parallelorum positam cap. IV. & gradus unius quantitatem excerpemus. Deinde differentiam longitudinis sumemus, & hosce gradus convertemus in excerpta milliaria vel excerptam mensuram.

7. Si vero & longitudo & latitudo sit diversa, vel, si latitudo quidem eadem, sed major quam 20 gr. & longitudinis differentia majuscula, quod quidem in plerisque exemplis usu venit, in hoc casu non licet uti prioribus compendiis, sed difficilior est solutio, & de hoc casu præcipue proponitur Problema. Solutionem per globum jam tradidimus; per planisphærium methodus hæc est: Regula planisphærii adducatur ad unius loci latitudinem sive gradum elevationis poli: deinde numeretur differentia longitudinum in meridianis, incipiendo ab altera parte, & ubi punctum observetur, quo meridianus hic terminans numerationem secat parallelum alterius loci latitudinis. Super istud punctum Indicis extremitas constituatur. Hoc facto regula applicetur ad Æquatoris lineam. Numerus parallelorum inter po-

polum & Indicem interceptorum est distantia quæsita in gradibus.

Ita per planisphærium solvitur problema. Alia est methodus à Maurolico inventa, quæ per linearum ductus in circulo docet jucundâ operatione exhibere distantiam, ex qua lineari descriptione etiam deducitur modus quo per calculum solvitur problema. Describatur centro E peripheria circuli quædam : semidiameter una B E : arcus B A sumatur æqualis differentiæ longitudinum locorum (si differentia sit major, quam 180 gr. sumta, hujus differentiæ complementum ad 360 gr.), & ducatur semidiameter A E. Deinde sumatur arcus A F (versus B) æqualis latitudini loci A, & ex B arcus B G æqualis latitudini loci B: demittatur G I ex G perpendicularis in B E, & F H ex F in A E. Ducatur I H, & super hanc ex punctis I & H erigantur perpendiculares, I L æqualis I G, & H K æqualis H F (in eandem plagam, si latitudines locorum fuerint cognomines; sed si diversi nominis, tunc ducenda erit I L ab una plaga rectæ I H, & H K ab altera). Hisce factis recta L K erit subtensa quæsitæ distantiæ sive subtensa arcus illius, qui distantiam indicabit in gradibus. Itaque intervallo circini K L, sumatur arcus B X : hic repræsentabit distantiam in gradibus.

Modus iste Maurolici ex sphæricorum Triangulorum solutione vel habitudine est desumtus, neque linearis hæc methodus accuratam distantiam exhibebit, etsi facilis sit & jucunda praxis: sed sola methodus per numeros vel Trigonometriam sphæricorum Triangulorum exhibet accuratam distantiam. Habetur hic enim Triangulum sphæricum, in quo dantur duo latera, nempe locorum distantiæ à polo (complementa latitudinum) & angulus contentus, cujus mensura est differentia

longitudinis. Quæritur latus tertium. Cujus inveniendi etsi plures sint methodi, tamen generalissima & casuum varietatem negligens est hæc: 1. Si latitudines locorum sint cognomines, fiat: Ut quadratum sinus totius ad rectangulum contentum sub sinibus distantiæ locorum à polo, ita sinus versus differentiæ longitudinum (si ea major sit quam 180 gr. sumitur ejus complementum ad 360 gr.) ad quartum quendam numerum. Sumatur deinde latitudinum differentia, & hujus complementi sinus. Porro inventus antea quartus numerus conferatur cum hoc sinu: Si huic fuerit æqualis, erit locorum distantia 90 graduum. Si minor fuerit, subtrahatur, & residuus erit sinus arcus, cujus complementum est distantia locorum. Si denique major sit inventus quartus dicto sinu, subtrahatur hic ex illo, & residuus erit sinus arcus, qui adjectus ad 90 gradus exhibebit distantiam quæsitam in gradibus, qui convertendi sunt in distantiam itinerariam.

2. Si latitudines sint diversi nominis, nempe una borealis, altera australis, sumatur pro loco alterutro ejus antipodum locus, & hujus distantia inveniatur ab altero loco juxta dictam methodum. Erit enim hujus latitudo eadem quæ loci istius, sed ejusdem nominis cum altero loco: Itaque in Triangulo sphærico erunt duo latera data & angulus est complementum differentiæ longitudinis locorum ad 180 grad. (vel excessus supra 180, si differentia hæc major fuerit quam 180.) Inventâ itaque distantiâ inter unum locum & alterius loci antipodes, habetur quoque ipsorum locorum distantia. Etenim hæc est prioris complementum ad 180 gr. ut in præcedenti propositione dictum est.

In locis propinquis & non multum ab Æquatore distantibus (nimirum non ultra 18 gradum) faci-

faciliori methodo, etsi non Apodictica, utemur, quæ distantiam exhibebit à vera parum diversam: nimirum differentiæ longitudinis sumemus quadratum, atque etiam latitudinis differentiæ. Quadrata addemus atque ex aggregato extrahemus radicem quadratam. Hæc indicabit distantiam locorum parum à vera discrepantem.

Vel ita ages magis certâ methodo, quæ etiam ad loca ultra 20 gr. latitudinis adhiberi potest: Ex tabula quantitatis parallelorum excerpe proportionem paralleli majoris latitudinis ad Æquatorem: Et, ut quantitas Æquatoris ad quantitatem paralleli, ita differentia longitudinis ad alium, sive ad differentiam longitudinis sumtam in parallelo majoris latitudinis. Hæc quantitas assumatur pro differentia latitudinis, & fiat ut prius.

Facilior est problematis solutio, si Tabulas Logarithmorum adhibeamus, & Triangulum obliquangulum in duo rectangula resolvamus. Sic enim nulla multiplicatione vel divisione opus est.

Propositio X.

Datâ latitudine duorum locorum, & plagâ in qua unus ab altero situs est, invenire distantiam.

Hoc problema idem est cum illo Trigonometrico abstracto: Datis in Triangulo sphærico duobus lateribus, & angulo qui uni lateri dato opponitur, invenire latus tertium. Data enim duo latera sunt in hoc problemate Geographico, distantiæ duorum locorum à polo, & angulus oppositus alterutri dato lateri est angulus positionis sive angulus plagæ unius loci ad alterum, vel hujus anguli complementum ad 180 gr.

Per globum itaque solutio problematis fit hoc modo. Assumatur primus meridianus pro meridiano loci, cujus plaga ad alterum non datur: &

in hoc meridiano notetur punctum latitudinis pro isto loco. Deinde polus elevetur pro latitudine alterius loci, & quadrans affigatur vertici, altera autem ejus extremitas applicetur Horizontis plagæ vel gradui, pro data plaga.

Deinde volvatur globus, donec notatum in meridiano primo punctum ad quadrantem perveniat. Ita arcus quadrantis inter verticem & punctum illud interceptus est distantia quæsita duorum locorum: simul habebitur differentia longitudinis in Æquatore, nempe arcus Æquatoris inter æneum & primum meridianum interceptus.

Quomodo per planisphærium, & per calculum tam vulgarem quam Logarithmicum problema sit solvendum, relinquo vivæ Præceptorum informationi, ne multa hic dicam, quæ multis non erunt usui.

Propositio XI.

Datâ duorum locorum longitudine, unius latitudine & plaga in qua alter locus ad hunc jacet, invenire distantiam.

Habemus iterum Triangulum sphæricum, cujus latera sunt, distantiæ locorum à polo & ipsorum locorum mutua distantia, in quo datur unum latus, nempe distantia unius loci à polo, & dantur duo anguli, unus, cujus mensura est differentia longitudinis, alter ex data plaga alterius loci cognoscitur. Ex hisce tribus datis quæritur latus oppositum angulo differentiæ longitudinis. Solutio fieri potest facilis per globum, & per planisphærium: & per calculum Logarithmicum satis accurata, sicut etiam per calculum vulgarem. Nos ob causam in præcedenti propos. allatam solam methodum, quæ globum adhibet, monstrabimus, etsi per planisphærium faciliorem sit; sed quæ per globum fit, ipsum Triangulum repræsentat.

Pri-

Primus meridianus assumatur pro meridiano loci, cujus latitudo non datur: Et in Æquatore ab eo meridiano numerentur gradus differentiæ longitudinis locorum. Terminus notetur creta, & ad meridianum æneum adducatur: ita hic repræsentabit meridianum alterius loci; numerentur in eo gradus datæ latitudinis, & globo immoto polus elevetur pro ea latitudine: Quadrans affigatur vertici, altera extremitas ad plagam Horizontis datam. In hoc globi situ punctum, in quo quadrans secat primum meridianum, repræsentabit alterum locum, & arcus quadrantis interceptus inter verticem & illud punctum est distantia quæsita. Habetur quoque eâdem operâ alterius hujus loci latitudo.

PROPOSITIO XII.

Datâ duorum locorum in uno Meridiano sitorum, sive ejusdem longitudinis distantiâ, & plagis, in quibus tertius aliquis locus ab illis duobus jacet, invenire hujus tertii ab utroque illorum distantiam.

Habemus iterum Triangulum sphæricum, cujus tria latera sunt distantiæ inter tria illa loca. Et datur unum latus, nempe distantia duorum locorum (quæ in gradus convertenda erit, nisi ita detur) & anguli duo adjacentes dantur, quæruntur duo reliqua latera.

Omissis methodis per calculum & planisphærium agentibus, etsi accuratioribus, trademus hic tantum eam, quæ per globum solvit, & ipsam rem magis ob oculos ponit.

Gradus distantiæ duorum locorum sumantur in æneo meridiano ubicunque libet, & notentur termini: ita ut hi repræsentent loca, quorum distantia datur. Deinde elevetur polus pro unius termini latitudine, quadrans affigatur vertici & applicetur ad plagam datam, in qua alter locus ad

locum, qui à termino illo repræsentatur, situs est, & cretâ notetur quadrantis in globo extensio sive vestigium. Dein polus elevetur pro alterius termini latitudine, & quadrans illi termino affigatur, altera extremitas ad alteram plagam datam. Punctum, in quo quadrans secabit arcum cretâ descriptum, repræsentabit locum tertium, unde facile erit ejus distantiam à duobus istis terminis sumere.

CAPUT XXXIV.

De Horizonte sensibili sive visibili.

HOrizon *sensibilis* dicitur peripheria in superficie Telluris, quæ terminat oculi circumducti prospectum, sive quæ terminat partem superficiei, quam oculus circumductus videre potest, sive ex qua radii ad oculum pervenire possunt. Ejus semidiameter, dicitur arcus Telluris maximus inter pedem spectatoris & peripheriam illam interceptus, qui proinde in eam perpendicularis est.

PROPOSITIO I.

Horizontis sensibilis extensio sive semidiameter tam pro diversa oculi altitudine, quam pro diversitate assumtæ semidiametri Telluris varia existit.

Sit Telluris circulus maximus M P N Q. T centrum: T P semidiameter, P O altitudo oculi: O sit oculus. Ducantur ex O tangentes O N, O M: & concipiamus radium N O quasi circumduci in superficie Telluris: atque ita describere peripheriam: hæc erit Horizon sensilis: ejus semediameter P N, P M: Etenim radii N O, M O, sunt ultimi, qui ad O oculum possunt pervenire à superficie Telluris, quam hic perfecte rotundam esse supponimus.

Et

Et manifestum est, si minorem vel majorem assumamus altitudinem P O, quod etiam P N arcus major vel minor sit futurus. Eodem modo si F P ponatur plurium vel pauciorum milliarium, erit quoque P N plurium vel pauciorum milliarium.

Hæ duæ causæ esse videntur, quod Autores antiqui diversas opiniones de magnitudine hujus Horizontis sive extensionis Visus secuti sint. Macrobius enim assignat ei semidiametrum P N stadiorum 180, hoc est $22\frac{1}{2}$ milliarium. Eratosthenes stadiorum 350, quæ faciunt 44 milliaria. Albertus Magnus, stadiorum 1000, hoc est, milliarium 125. Proclus stadiorum 2000, hoc est milliarium 250. Plurimi assignant 500 stadia, sive milliaria $62\frac{1}{2}$. Existimo tamen causas diversitatis harum assignationum non esse tantum illas duas, quas dixi, sed etiam ipsorum stadiorum assumtam diversitatem, ut ex sequenti Propos. manifestum est.

PROPOSITIO II.

Datâ staturâ hominis à pede ad oculum, & semidiametro Telluris datâ, invenire semidiametrum Horizontis sensilis.

P O sit hominis statura: O oculus. T P est semidiameter. O N radius tangens Telluris superficiem, terminat Horizontem sensilem sive aspectum: itaque P N est semidiameter; hujus longitudo quæritur. Addatur P O, ex. gr. quinque pedum ad T P semidiametrum 19598300: ita habebitur T O, & in Triangulo N T O præter T O & T N scimus angulum T N O esse rectum, sive 90 gr. Itaque angulus N T O invenitur juxta hanc proportionem:

Ut T O ad T N, ita sinus totus ad sinum anguli N O T, cujus complementum ad 90 gr. est angu-

lus NTO sive arcus NP, qui in milliaria potest converti.

COROLLARIUM. Licet itaque cognoscere, si alia atque alia assumatur quantitas semidiametri TN, vel TP, atque alia oculi O altitudo, quanta inde existat variatio Horizontis sensilis.

PROPOSITIO III.

Datâ oculi altitudine in turri vel monte, invenire distantiam ultimi puncti, ad quod oculus se extendit, sive quod oculus videre potest.

Sit PO data altitudo turris, in qua oculus constitutus circumspicit loca.

In Triangulo itaque NTO rectangulo data se habent eodem modo, ac in præced. problemate. Itaque angulus NTP & arcus NP invenientur eodem modo, quo in præcedentis solutione usi fuimus.

PROPOSITIO IV.

Datâ semidiametro Horizontis sensilis, sive datâ distantiâ maximâ, ex qua oculus videre supponitur, invenire altitudinem oculi.

Idem hoc est cum eo problemate. Datâ maximâ distantiâ, è qua montis vertex videtur, invenire altitudinem montis.

In Triangulo NTO datur angulus rectus TNO, & angulus NTO cognoscitur ex data semidiametro Horizontis sensilis PN: præterea datur semidiameter Telluris TN. Itaque invenietur TO juxta proportionem hanc:

Ut sinus totus ad secantem anguli NTO, ita TN ad TO. Ex qua si subtrahatur TP, residuus numerus indicabit altitudinem quæsitam oculi.

Possumus itaque, suppositâ certâ semidiametri Telluris quantitate, ex assignata à diversis autoribus Horizontis visibilis quantitate, invenire, quan-

quantam altitudinem oculi assumserint singuli autores.

PROPOSITIO V.

Datâ oculi altitudine & visa alicujus erecta magnitudine, turris, mali navis vel montis altitudine, invenire distantiam hujus ab oculo, hoc est, distantiam navis.

Ex. gr. In Diagrammate præcedentium propositionum, sit P O oculi altitudo, in navi, turri vel littore. F S sit malus navis alterius. Et sit P punctum & F S navis ita sita, ut in P primo videatur S fastigium mali. Erit itaque punctum S in linea O N, quæ ex oculo O ducitur tangens: Etenim quicquid infra hanc O N X situm est, illud nullos radios directos mittere potest in oculum O: sed debet adeo appropinquare ut vertex vel apex incidat in rectam O X.

Quæritur itaque distantia F P, nempe in qua primus radius ex S potest ad oculum O pervenire.

In Triangulo N O T invenitur angulus N T O ex datis N T, T O, & recto angulo T N O. Et in Triangulo itidem rectangulo N T S datur N T, T S, & angulus rectus S N T: invenietur angulus N T S: atque ita habebitur totus angulus O T S, cujus mensura est arcus P S, quæsita distantia.

PROPOSITIO VI.

Contra, *si data sit oculi altitudo, & distantia, ex qua primo, appropinquantis navis mali, vel turris fastigium cernitur, invenire altitudinem turris vel mali navis.*

In Diagrammate præcedentis propositionis: in Triangulo N O T ex datis N T, T O, invenitur arcus N P, qui subtractus è noto arcu P F (ex data distantia in minuta conversa) relinquitur arcus F N, sive angulus N T S. Et in Triangulo

N T S rectangulo datur N T, & N est rectus, ideo invenietur hypotenusa T S, ex qua si auferatur T F, relinquitur F S altitudo turris quæsita vel mali navis, vel montis alicujus.

Propositio VII.

Refractio radiorum in aëre auget apparentem Horizontis sensibilis semidiametrum.

Etenim diversa est aëris in diversis locis refractio; crassior, quo terræ magis propinquus. Ideo etsi radius à puncto ultra N sito, ex. gr. ex F, non possit directâ viâ ad oculum O pervenire, tamen ita refringi potest in aëre ejus radius, ut refractus sit N O sive tangens Telluris.

Caput XXXV.

De Artis Nauticæ tribus partibus; & in specie, de parte prima, nempe Navium structura.

Propositio I.

Ars sive *Scientia Nautica dicitur, quæ docet, quomodo navis ex uno loco ad alium per mare commodissime & tutissime possit adjuvantibus ventis deduci.*

Quoniam itaque in hac disciplina loca Telluris inter se sive ad se invicem comparantur & eorum respectivus situs expenditur, ideo merito ad Respectivam Geographiæ partem refertur.

Cæterum Artis hujus nobilissimæ & humanæ societati utilissimæ *partes tres* constitui posse commode existimo. 1. ποιητικὴ, sive artem fabricandarum navium, quæ simul motum navis in aquam considerat, vel notum præsupponit. 2. De onere navibus imponendo. 3. Directionem sive gubernationem navis, quæ dicitur Ars Naucleri sive gubernatio, & in genere dicitur Ars nautica

per

per excellentiam : cui etiam definitio artis Nauticæ omnium maxime competit. Atque hæc pars majori jure ad Geographiam pertinet, quam duæ priores, quæ rectius ad Staticam & Mechanicen referuntur : Directionis autem Ars tota ex Geographia dependet.

Propositio II.

In fabrica navium attendendum est ad hæc.

1. Ut materia sive ligna sumantur, quæ in mari durare possunt diutissime, de quo Vitruvius & alii autores consulantur. Huc etiam pertinet quomodo ligna sint præparanda, & eorum densitas augenda, humor inutilis absumendus (Belgæ vocant *kalfateren*) igne, pice illinendæ & defendendæ à corruptione. Hæc doctrina sumitur ex Physica, &c.

2. Ut talis figura tribuatur navi, quæ ad celerrimum motum sit aptissima & à levi potentia moveatur : Belgæ hanc proprietatem ita effantur, *het Schip seylt wel*, *het is raas in 't seylen* ; item *het is een kloeck Schip in 't seylen.*

Huc pertinet diversarum navium figuratum tam antiquarum quam modernarum explicatio, ubi plurima scitu dignissima tam ex antiquitate quam novis inventionibus afferenda essent : præterea ex Statica & Phoronomica de diversæ figuræ corporum motu proponenda, inprimis ea quæ divinus Archimedes scripta reliquit ad motum corporum in aqua pertinentia. Verumenimvero, cum pauci fortasse harum rerum studiis delectentur, & nos hic tantum epitomen Geographiæ Generalis proponamus, ideo non putavi consultum fore, ista omnia hic explicare : sed sufficere judicavi, si tantum ipsa rerum capita & partes hujus disciplinæ enumeratem, quod idem etiam de sequentibus monitos volo lectores. Si tamen hunc nostrum la-

borem juventuti gratum fuisse cognoscemus, secunda in editione omnia ista plenissime explicata dabimus, sicut etiam plurima in præcedentibus hujus Geographiæ capitibus.

Cæterum, ut ad propositum revertamur, maximi momenti est hæc pars doctrinæ nauticæ de apta figura ad celerem & facilem motum, & præcipuam commendationem ab ista naves habent, (præcipue in pugnis navalibus) atque magna navium diversitas in hac proprietate deprehenditur. Pertinet, ut dixi, hæc pars, sive dependet ex Statica & Phoronomica.

3. In fabrica quoque hac & circa figuram ad illud attendendum est, ut navis facili negotio contra procellas & tempestates defendi possit, vel ne à procellis & ventis facile evertatur: sed de hoc pluribus in parte secunda, ubi de onere navibus imponendo agitur. Hæc quoque pars ex Statica, Phoronomica & spiritali scientia dependet.

4. Consideranda est magnitudo navium: ubi plurima ex antiquitate & ejus cum modernis comparatione. Alexandrinam Architecto Archimede ad jussum Hieronis Siciliæ Regis factam, & ad Ptolomæum Ægypti regem dono missam, fuisse 12000 doliorum putant: Philopatoris vero navis à Callixeno scribitur habuisse longitudinem 280 cubitorum, latitudinem 38, altitudinem 48. Hodie maximæ sunt naves Hispanorum seu Lusitanorum, quas vocant Caracas, quæ vehunt mille circiter & plures vehes, (*last* vocant Germani, censetur autem vehes doliorum 12) Belgarum naves non ascendunt 700 vehes.

5. Pertinet inprimis ad navium fabricam, singularum partium navis constructio & cognitio, quæ sunt, Carina, gubernaculum, costæ, prora, puppis, mali, vela, rudentes, anchoræ, &c. quarum omnium non tantum materia, figura, cohærentia,

tia, sed etiam pondera sunt explicanda & magnitudo.

6. Ad fabricam quoque navium referri potest cognitio, quomodo promte occurrendum sit fracturæ vel aliis vitiis navium, ut nimiæ aquæ admissionem, &c.

Cui usui & aliis in navigatione inter nautas est faber lignarius, quem vocant *Scheeps-timmerman.*

Hæc de prima Artis Nauticæ parte, nempe ποιητικῆ sive fabrica dicta sunt in compendio.

Caput XXXVI.

De onere navibus imponendo, sive secunda artis Nauticæ parte.

Propositio I.

Onus navibus imponendum exprimitur per vehes & dolia.

Dolium navis censetur 2000 librarum. Vehes doliorum XII, atque adeo librarum 24000.

Propositio II.

Corpus sive materia, quæ levior est quam aqua, non mergitur omnino in aqua, sed eminet aliqua sui parte: verum si majoris sit ponderis, quam aqua, demergetur ad fundum usque: si denique ejusdem ponderis, servat datum in aqua locum.

Huc pertinet cognitio diversi ponderis diversorum corporum, plumbi, auri, ferri, tritici, arenæ, olei, vini, &c. quorum omnium gravitas ad aquæ gravitatem comparari debet.

Coroll. Ex hoc itaque patet, onus materiæ imponendæ navi, sumtum cum onere ipsius navis debere esse minus quam onus vel gravita-

tem

tem aquæ, cujus moles æqualis sit soliditati vel capacitati totius navis.

Propositio III.

Quò figura navis magis accedit ad ordinatam, hoc est cubicam æqualitatem longitudinis, latitudinis, & crassitiei, eo majus pondus sustinere potest in aqua.

Demonstratio ex Statica peti debet.

Propositio IV.

In onere navibus imponendo ad duo respiciendum est. 1. Ne tantum imponatur onus, ut gravitas ejus cum ipsius navis gravitate sumta fiat æqualis vel major mole aquæ, quæ navis soliditati æqualis est: sed ut minor maneat, non tamen multo minor esse debet. Quod si materia navi imposita sit adeo levis, saburra onus augendum erit. 2. Consideranda est aquæ, per quam ducenda est navis, profunditas.

Etenim etsi aquæ gravitas admittat hanc vel istam navis onerisque impositi gravitatem quando hæc minor est, quam aquæ moli navis æqualis gravitas, tamen si aqua habeat minorem profunditatem, quam pars navis infra superficiem aquæ mersa, non concedet fundus navi motum, sed illam detinebit. Hæc causa est, quod Hispanicæ naves majus onus vehunt, quam Belgarum, quia mare ad littus & in portibus habent profundius, sicut etiam capaciores naves appellunt ad Zeelandiam, quam ad Hollandiam.

Propositio V.

Si navis ita onerata sit, ut gravitas seu pondus ejus sit fere æqualis gravitati aquæ marinæ molis æqualis capacitati navis, non quidem in mari submergetur, at ubi in fluvios delata fuerit, fundum petet.

Causa

Causa est, quoniam aqua fluviorum est levior quam aqua maris. Si itaque navis oneratæ gravitas sit fere æqualis aqueæ marinæ molis gravitati, erit ea major, quam gravitas aquæ fluviatilis, & propterea navis in fluvio submergetur, sive ad fundum feretur. Multæ propter hanc causam naves perierunt, quæ nautarum imperitorum culpâ nimis oneratæ fuerunt, vel non exoneratæ ante ostia fluviorum. Quanta autem debeat esse ea gravitas, cognoscitur ex proportione gravitatis aquæ marinæ ad gravitatem aquæ fluviatilis. Vide Propos. VIII.

PROPOSITIO VI.

Corpus quodvis aquæ innatans, eam habet gravitatem, quam aquea moles, æqualis parti corporis istius demersæ.

Coroll. Datâ parte navis, quæ in aqua mergitur, licet invenire gravitatem totius navis oneratæ. Etenim aquæ gravitas nota est vel facile est eam invenire: Ex. gr. pes aquæ Cubicus sit 70 librarum. Et sit pars navis demersa 2000 pedum cubicorum. Erit itaque molis aqueæ, quæ æqualis est parti navis immersæ, gravitas 1400000 librarum. Tanta quoque erit navis oneratæ gravitas.

PROPOSITIO VII.

In aquis diversæ gravitatis si corpus aliquod constituatur, pars hujus demersa in aqua leviori ad partem demersam in aqua graviori habet eam rationem, quam gravitas aquæ gravioris ad gravitatem aquæ levioris.

PROPOSITIO VIII.

Navis eam oneris quantitatem commode vehere plerunque censetur, cujus gravitas æqualis est gravitati

vitati dimidia aquæ molis, quam navis continere potest.

Ex. gr. Si navis capax sit doliorum aquæ 500000 (quorum singula censentur 2000 libris) hoc est, si capiat aquam librarum 1000000000, poterit ei commode imponi onus 250000 doliorum sive 500000000 librarum. Hoc sensu intelligendum est, quando dicunt, naves esse tot doliorum vel tot vehere vehes.

Hispanicæ Caracæ sustinent ad 1200 vehes: Belgarum naves Indicæ maximæ non ascendunt 800 vehes.

Propositio IX.

Quo majus est pondus navis oneratæ, eo minus à procellis & tempestatibus exagitantur.

Nimirum naves 2000 doliorum non timent eas tempestates, quæ navibus 300 vel etiam 700 doliorum molestæ sunt.

Multo plura hic addenda essent de minuendo vel augendo pondere navium, item de æquilibrio, & variatione ponderis in puppi, prora, medio, & de navibus submersis elevandis, sed pauca ista pro elementis sufficiunt.

Caput XXXVII.

De tertia & præcipua Artis Nauticæ parte, Limeneuretica, nempe Arte gubernandæ navis vel dirigendæ, & hujus subdivisione in quatuor partes.

Propositio I.

Ars gubernandæ vel dirigendæ navis dicitur, quæ docet, in quas plagas navis dirigenda sit in quolibet ejus situ in mari, ut ad locum propositum perveniatur sine periculo.

Ejus

Ejus artis partes facio quatuor.

1. Specialem Geographiam, hoc est Cognitionem spatii inter duo loca intercepti & ejus proprietatum. 2. Cognitionem plagarum in singulis locis. 3. Cognitionem lineæ, per quam ex uno loco ad alterum navis ducenda est. Sunt enim inter bina quævis loca infinitæ interceptæ lineæ: hæc pars dicitur Histriodromice. 4. Cognitionem situs singulorum locorum, ad quæ in navigando pervenitur, sive quomodo hæc loca sita sint ad eum locum, in quem navis dirigenda est.

Hæc præcipua est artis gubernandi pars.

Propositio II.

Cognitio spatii intermedii comprehendit hæc.

1. Terrarum situs, angulorum procurrentias, littorum flexus, promontoriorum, montium, sinuum, pulvinorum, profunditatis aquæ, fretorum, insularum, certarum notarum cujusvis littoris & partis maris, littoralium terrarum aspectum (Belgæ vocant, *de gedaente van't Landt*; item *soo doen hem het Landt op*) aquationis locorum &c. notitiam, quæ omnia quidem ex speciali Geographia & mappis nauticis, sed omnium facillime & certissime ex observatione & frequentibus navigationibus per aliquem aquæ tractum cognoscuntur. Quæ sola causa est, quod nauclerí quidam ad hunc locum, alii ad alium nave petendum sint aptiores.

2. Ventorum generalium & specialium, propriorum & statorum loci cujusvis cognitionem, quæ inprimis necessaria est in navigationibus, quæ in Zona Torrida & vicinis locis instituuntur. Hic enim & ventus generalis & in plurimis locis venti anniversarii (quos vocari *Moussons*, motiones, diximus capite xx) regnant, qui navigationem vel promovent vel impediunt. Mare enim

Indicum

Indicum navigatur anniversariis istis ventis. De hisce multa attulimus cap. xx, sicut etiam de statis procellis & procellarum signis, quæ omnia nauclero nota esse debent. Exemplum damni ex ignorantia hac orti dedimus capite citato.

3. Motuum maris in singulis tractibus conditionem & plagam, in quam nempe plagam fluctus & mare ferantur: abducunt enim secum navem. Illorum motuum diversitatem in multis locis attulimus capite XVII.

Inprimis requiritur notitia fluxus & refluxus maris & tempus sive horæ incrementi & decrementi ad singulos dies, cujus supputationem Belgæ vocant, *de tijdt-rekeningh*. Nisi enim horas istas nauclerus bene noverit, in maximum periculum adducitur sæpe navis, quando litoribus vel pulvinis vicina est, quorum plerique in summo incremento aquæ non impediunt navis transitum, at in decremento plerique. Item cum affluxu navigatio facilior est ad litora & in ostia fluviorum, contrarium in refluxu animadvertitur. De hujus temporis supputatione diximus pauca in propositione capitis XVII. Sed multo hic accuratior requiritur cognitio in quibusdam casibus, de quibus hoc loco plura dicenda essent, & nautarum methodus explicanda, sed quia breves esse studemus, hac quidem vice omittentur.

CAPUT XXXVIII.

De Cognitione plagarum in singulis locis.

PROPOSITIO I.

IN *singulis locis cognoscere plagas, nempe Septentrionem, Austrum, Orientem, Occidentem & plagas intermedias.* Belgæ vocant, *een streeck.*

Est hujus cognitio omnium totius artis nauticæ pro-

problematum maxime necessaria, cum navis dirigenda sit in aliquam plagam, quæ si ignoretur, non potest fieri directio. Et hujus solius cognitionis defectus veterum navigationem impediebat, atque in hac præcipua est discrepantia inter veterum & modernam navigationem. Etenim veteres non habebant methodum qua ad quodvis tempus in alto Oceano cognoscere possent, ubi Septentrio, ubi Auster & reliquæ plagæ essent: propterea vasto Oceano non audebant neque poterant se committere: sed tantum littora legebant, ut ita ex aliis signis plagas scirent.

Duplex erat veterum methodus, quæ etiam modernæ navigationi inserviunt, inveniendarum plagarum (est autem problema hoc idem cum eo, invenire lineam meridianam, & Septentrionis atque Austri plagam; ex hisce enim cognitis facile est reliquas cognoscere.) 1. Per stellas, nimirum nocte ursa, sive helice & stella polaris dicta in extremitate caudæ ursæ minoris (magnæ celebritatis apud antiquitatem) monstrabat plagam Septentrionis, unde reliquæ omnes inveniuntur, quoniam facie ad Septentrionem conversâ, Oriens est ad dextram, Occidens ad sinistram, quarum plagarum linea ad angulos rectos secat lineam Septentrionis & Austri, & hisce plagis cardinalibus cognitis facile est invenire plagas intermedias: in quem usum, ne opus esset descriptione, paratum habebant circulum cum plagis: cujus lineâ Septentrionali collocata super lineam Septentrionalem loci alicujus, reliquæ plagæ uno intuitu cognoscuntur.

Die vero per Orientem Solem vel Occidentem investigabant plagam sicut monstravimus capite XXVIII.

2. Altera veterum methodus cognoscendarum plagarum erat cognitio situs sive extensio litorum

&

& unius promontorii ad alterum. Etenim cum hujus extensionis plaga vel ex mappis vel ex observatione & experientia cognita ipsis esset, poterant in navigando illis visis cognoscere plagas reliquas (unâ enim plagâ cognitâ, omnes reliquæ inveniuntur.) Ideo veteres non longe recedebant à littoribus, nimirum ut cognitæ plagæ extensionis littorum beneficio scirent plagam, in quam navis dirigenda esset. Primâ enim methodo per stellas & Solem Orientem vel Occidentem non semper uti poterant.

3. Tertia veterum methodus cognitionis plagarum erat cursus navis observatus. Etenim è loco aliquo proficiscentes & navem in cognitam plagam dirigentes, poterant ex mutatione cursus navis vel flexu scire plagas.

4. Ex hisce patet, præcipuam causam periculosæ & imperfectæ veterum navigationis fuisse ignorantiam methodi, quâ ubique locorum & in medio atque vasto Oceano cognoscerent plagas, atque adeo illam plagam, in quam navis dirigenda esset. Etenim, ut dixi, methodus per stellas & Solem Orientem vel Occidentem non potest omnibus diebus neque horis singulorum dierum adhiberi: indicium vero ex littorum situ cessat in medio mari & nocte, neque de die satis tutum est.

Tertia methodus ex observato cursu navis non habet locum, ubi navis à furentibus ventis atque tempestatibus hinc inde in varias plagas circumagitur. Atqui in hoc casu præcipua difficultas est.

Hæc de veterum modis inveniendæ lineæ meridianæ & Septentrionis atque Austri monenda fuerunt, quia horum imperfectio causa est periculosæ & exiguæ navigationis veterum, cum nunquam vasto Oceano se committere possent, adeoque illas regiones, quas inter medius est Oceanus (quarum præcipua tota America) nunquam cognoverint.

Ho-

Hodie vero methodus cognoscendarum plagarum in omnibus sive inveniendæ lineæ Septentrionis & Austri, facilis est & plana, beneficio admirandæ proprietatis quam Magnes & omnia ferrea, (quæ magneti per aliquot tempus conjuncta vel magnetis polis fricata fuerunt; vel etiam in præparatione situm lineæ meridianæ habuerint) habere deprehensa sunt, nimirum quod Magnetica omnia non impedita vel detenta ab aliis in quovis loco puncta sua dirigant ad easdem circiter plagas. Etenim duo in Magnete puncta opposita sunt, quorum unum semper & in omnibus locis ad Septentrionem vel vicinam plagam se convertit, alterum ad Austrum, & propterea reliqua quoque Magnetis puncta, reliquas plagas nempe singula singulas respiciunt: verum non omnia considerantur, sed tantum puncta illa duo, quæ dixi ad Septentrionem se convertere & Austrum, quæ propterea dicuntur poli Magnetis, unus boreus, austrinus alter. Atque eadem virtus magno miraculo communicatur laminæ ferreæ (massæ cujusvis figuræ) vel acui, sed inversâ & contrariâ naturæ operatione. Etenim extremitas laminæ vel acus, quæ fricatur ad polum Magnetis boreum, vel saltem admovetur, illa non ad Septentrionem sed ad Austrum se convertit, atque illa extremitas, quæ polo australi magnetis fricatur, non ad Austrum, sed ad Septentrionem respicit. Dicuntur hæc acus puncta etiam poli. Quam sane insignem Magnetis virtutem veteribus ignotam fuisse etsi mirum videatur, certum tamen est. Etenim etsi plurimas egregias proprietates habeat Magnes & ferrea Magnete affricata, tamen omnes ad duas quasi species vel ad duo capita referri possunt: una est virtus illa, qua ferrum attrahit: altera, quâ ad Septentrionem & austrum in omni loco dirigit duo superficiei suæ puncta;

prio-

priorem facultatem non ignorarunt Veteres, sed hanc posteriorem.

Quoniam itaque Magnes hanc proprietatem habet, ideo ejus beneficio facile est invenire in quovis loco terræ, vel maris, ubi sit Septentrio, vel ubi Auster (unde reliquæ plagæ statim innotescunt). Etenim si in aliquo Magnete notata sint puncta illa Septentrionis & Austri, sive polus Boreus & Australinus, atque Magnetem hunc habeamus in navi, ubi in mari versamur, quando plagas scire cupimus, magnes suspensus è fune ut libere movere seipsum possit, polos suos ad plagam Septentrionis & Austri diriget, atque ita plagas quæsitas indicabit. Sed facilior ad usum est acus ferrea, cujus extremitas sit fricata ad polum Australinum Magnetis. Etenim hujus acus medium si collocetur supra acutum paxillum perpendicularem, ita ut libere possit se circumvolvere in gyrum, indicabit acus quiescens extremitate suâ unâ plagam Septentrionalem, & alterâ plagam Australem.

Ex hisce facilis est constructio instrumenti nautici.

Propositio II.

Compassum nauticum componere.

In charta aliqua descriptus circulus dividatur in gradus vel plagas 32, & uno ex istis gradibus vel unâ plagâ assumtâ pro plaga Septentrionali, ascribantur appellationes, Nord / (cum peculiari signo, lilio nempe) & inventis punctis pro reliquis plagis, Suyd / Ost / West / Nord ten Osten / Nord Ost / &c. (sicut capite xx eas proposuimus in Diagrammate.) Chartam hanc nautæ vocant *de Roose*.

Deinde acus Magnetica ita affigatur subtus chartam, ut medium acus sit infra ipsum centrum, & polus acûs Septentrionalis subjiciatur lineæ

lineæ chartæ, cui plagam Septentrionalem assci-psimus. porro confecta ita charta cum acu subtus latente imponatur paxillo æneo acuminato, ut liberam habeat circumrotationem. Ita Index Septentrionis, nempe lilium in quolibet loco monstrabit vel respiciet plagam Septentrionalem mundi & Telluris, atque indices reliquarum plagarum eodem modo plagas mundi reliquas. Atque hæc est fabrica illius instrumenti, quod nautæ vocant Compassum, alii pyxidem nauticam, nempe ipsum instrumentum cum arcula, in qua asservatur, cujus indiciis freti vasto se committunt Oceano atque remotissimas petunt terras, dirigendo navem in illam plagam, quam magnes jusserit: Constructio ista compassi est pro locis, in quibus acus magnetica respicit ipsam Septentrionalem plagam. de aliis locis vide propos. VI.

PROPOSITIO III.

Plagæ totidem sunt, quot puncta in Horizontis cujusvis peripheria; hoc est infinitæ: nautæ autem numerant 16 in parvis navigationibus, triginta duas in mediocribus: sexaginta quatuor in magnis per vastum Oceanum instituti itineribus.

De hac Propositione diximus cap. xx. unde desumi potest accurata hujus explicatio. Lusitani plagas vocant *Rumbos*, Belgæ, *de Cours*, item *een Streeck*, etsi hæc nomina quoque loxodromiæ tribuantur. Quando autem intermedias plagas denominare volunt, faciunt id per divisionem spatii inter duas plagas interjacentis, ex. gr. *een derdepart Zuydelicker*: Vel hoc modo, *wel soo Zuydelick*, &c.

PROPOSITIO IV.

Acus magnetica, (sicut ipsius magnetis poli) in paucissimis locis respicit ipsam Septentrionis & Austri

plagam, in plerisque locis & fere omnibus declinat aliquantum ab ea versus ortum vel occasum, & quidem in æquali declinatione, & propterea non indicat veras omnino plagas. Declinatio illa dicitur Chalybeclisis.

Etenim ad insularum Azorum sive Flandricarum unam el Corvo dictam, nulla est declinatio, sed ipsam plagam Septentrionalem acus monstrat. Idem in ejus meridiani quibusdam sed non omnibus partibus observatur. In locis ab hac insula versus Orientem sitis usque ad promontorium procurrentis Africæ dictum Cabo das agulhas (non procul à promontorio Bonæ spei) declinat acus à Septentrione versus Orientem in æquali declinatione, nimirum usque ad insulas Tristan de cunha, & 70 gradibus remotiorem partem accrescit declinatio, ita ut ibi sit 13 graduum circiter, inde rursus decrescit usque ad loca vicina promontorio das agulhas, ubi nulla est iterum declinatio. Ab eo vero loco versus Indiam incipit declinatio acus à Septentrione versus Occidentem Hamburgi chalybeclisis est graduum 9, Amstelodami 5 circiter hodie: nam olim major erat.

Observationes autem testantur declinationem hanc non manere eandem, sed progressu temporis mutari. Londini enim anno 1580 fuit observata 11 gr. 15. min. sed anno 1622 fuit 6 gr. 13 min. atque anno 1634 fuit 4 gr. 6 min. & fuerunt institutæ observationes non tantum novis sed etiam veteribus acubus. Parisiis anno 1640 observata fuit declinatio 3 grad. quæ anno 1610 fuit reperta 8 gr. Idem in aliis locis observatum fuit.

PROPOSITIO V.

Declinationem acus Magneticæ à vera Septentrionali plaga invenire in loco quovis.

Inveniatur linea meridiana de cœlo, sicut capite xx docuimus variis modis, & innotescet statim decli-

declinatio acus Magneticæ. Sed faciliorem methodum monstrabit sequens Propositio pro usu nautico.

Propositio VI.

Terminos nauticos, quibus in hac declinatione designanda utuntur, & correctionem compassi Magnetici sive nautici, modumque quem nauta usurpant ad declinationem istam in mari invenendam, explicare.

Belgæ declinationem istam vocant, *de miswijsing der Compassen*: declinationem versus Orientem vocant Nord-Oestering: declinationem versus Occidentem vocant Nord-Westering. Quantitatem declinationis denominant per rhombos, & rhomborum partes, *een streeck, een derdendeel van een streeck*, &c.

In compositione compassi sive pyxidis magneticæ corrigitur vel emendatur declinationis vitium seu defectus. Nimirum cognitâ declinatione acus in loco, pro quo paratur instrumentum, non debet acus illa sive lingula Magnetica affigi ei lineæ chartæ, quæ lilium habet & Septentrionis index esse debet, sed sub ea linea, quæ à Septentrionis vel lilii linea tot gradibus removetur, quot inventa habet declinatio Magnetis, versus ortûs vel occasûs lineam. Sic enim lilium & linea Septentrionis monstrabit verum Septentrionem, etsi acus declinet.

Pro usu autem nautico vel peregrinationis quoniam in diversis locis diversa est declinatio, ita aptari debet acus ad chartam, ut hæc possit circumduci acu immotâ, atque ejus plagæ linea supra acum adduci, quam observata declinatio monstraverit. Sic idem instrumentum inserviet pro omnibus locis.

Ad inveniendam autem declinationem acûs magneticæ à vera linea Septentrionis & Austri, ita agunt plerique naucleri. Observant plagam compassi, in qua Sol oritur: & vesperi plagam in qua Sol occidit (etsi enim tunc in alio loco sint, tamen parvo à priori absunt intervallo in quo non variatur declinatio.)

Si plagæ hæ compassi æqualiter distant à plaga compassi Septentrionali, tunc indicium est, quod acus in eo loco non habeat declinationem, atque ideo nullâ opus esse correctione, sed acum sub linea Septentrionis debere manere: Si vero plaga Orientis Solis longius quam plaga Occidentis Solis distet à plaga Septentrionis, indicio est acum declinare in illo loco à vera linea Septentrionis versus Occidentem: Si denique plaga Orientis Solis minus, quam Occidentis Solis distet à plaga Septentrionis chartæ, indicio est acum declinare versus Orientem. Quantitas declinationis cognoscitur ita: Sumantur arcus intercepti inter plagam compassi septentrionalem & plagas Orientis Occidentisque Solis, minor arcus à majori auferatur: residui dimidium est declinatio quæsita, & tot gradibus linea Septentrionis chartæ removenda est, ab acu vel lingula magnetica.

Methodus hæc duo habet incommoda. 1. Sol oriri videtur, cum adhuc 34 minutis infra Horizontem est, ex qua discrepantia apparentis & veri ortus, sicut etiam occasus, redundat error in declinationis quantitatem, qui etsi in locis Æquatori vicinis exiguus sit, tamen in locis ab Æquatore aliquantum remotioribus ad duos gradus ascendere potest. 2. Sol sæpe nubibus tectus oritur, quod perpetuum fere est in Zona Torrida.

Aliâ itaque methodo, quæ minus errori obnoxia est, utuntur interdum naucleri, nimirum observant plagam compassi, in qua Sol conspicitur aliquo

aliquo tempore post ortum, atque ad illud tempus observant altitudinem Solis. Deinde post meridiem exspectant, donec ad eandem altitudinem devenisse Solem deprehendant, quo deprehenso observant plagam compassi, in qua Sol tunc conspicitur. Ex hisce plagis sive arcubus inter illas & Septentrionis plagam interceptis invenitur declinatio acus eodem modo quo in priori methodo dictum est.

Tertiam etiam & quartam methodum aliquando adhibent nauclerí periti supputationis Trigonometricæ vel Planisphærii Catholici beneficio, quando nimirum per unam observationem statim inquirenda est declinatio acus ad cognoscendas plagas. Etenim vel observant plagam compassi in qua Sol oritur aut occidit, vel observant plagam, in qua Solem ad observatam aliquam altitudinem deprehendunt. Deinde per calculum Trigonometricum vel per Catholicon planisphæricum inveniunt, in qua plaga Sol revera hæreat ad istud tempus ortus vel altitudinis. Differentia hujus plagæ & plagæ observatæ in compasso est ipsa declinatio acus.

PROPOSITIO VII.

Exponere illa, quæ acum magneticam à naturali ejus situ in quovis loco abducunt, adeoque causa sunt, ut non monstret plagas sicut debebat.

Præcipua sunt hæc. 1. paxilli, cui incumbit acus, obtusa extremitas sive minus acuminata. 2. materia aliqua in foramine, quod recipit paxillum. 3. Si charta sive rosa jaceat extra Horizontalem situm. 4. Aëris aliqua admissio. 5. Ferri vicinia. Hæc impedimenta veræ ostensionis cavenda sunt.

Caput XXXIX.

De Histiodromia sive linea cursus navis.

DIfficillima est hæc pars totius Geographiæ, de qua autores ita obscure, plurimi etiam falsa scripserunt, ut lectores præter confusam aliquam imaginationem nihil ex illis scriptis haurire neque ipsam rem intelligere potuerint. Nos, quantum fieri potest, claram & distinctam explicationem afferre conabimur. Requiritur autem in lectore attenta consideratio.

Propositio I.

Si duo qualibet loca sint sita in uno Meridiano, sive, si ab uno aliquo loco alter locus situs sit versus plagam Septentrionis vel Austri, erit idem locus ab omnibus locis vel punctis quæ interjecta sunt inter duo illa primo assumta, situs versus eandem plagam Septentrionis aut Austri. Sive, Duorum locorum in uno Meridiano jacentium unus ab altero & ab omnibus intermediis punctis situs est versus eandem plagam Septentrionis vel Austri.

Manifesta est Propositionis veritas, si modo animo recte concipiatur. Per loca interjecta inter duo puncta vel loca intelliguntur omnia puncta, quæ sunt in arcu intercepto circuli maximi per duo primo assumta puncta ducti, sive puncta illius arcus qui distantiam brevissimam indicat. Dicatur autem locus is, ad quem alterius loci situs expenditur, locus primus; & alter ille, cujus situs expenditur, dicatur secundus. Atque ad faciliorem intelligentiam, locus primus concipiendus est ita, ut quasi in medio sit totius Telluris sive in medio circumjacentium regionum, & quod in meridiano Globi æneo situs sit, & per illum infiniti vertica-

les

les ducti transeant per circumjacentia loca ad Horizontem, atque ita ad illum expendatur situs reliquorum locorum omnium, sive distantia à meridiano ejus, vel anguli, quos verticales cum meridiano faciunt.

Causa sive ratio Propositionis est, quoniam situm secundi loci ad primum sive plagam denotat angulus quem meridianus primi loci facit cum verticali primi loci ducto per secundum illum locum. Si jam concipiamus omnia puncta interjecta inter duo unius meridiani loca assumta (hæc enim sunt, quorum unus ad alterum jacet versus plagam Septentrionis vel Austri) manifestum est, quod singulorum meridianus sit idem cum verticali, qui à singulis per alterutrum locum assumtum ducitur, hoc est nullum esse angulum inter meridianum & verticales. Quare locus assumtus ad singula interjecta puncta situs est versus plagam Septentrionis & Austri.

PROPOSITIO II.

Si duo loca qualibet assumantur in Æquatore, ad quorum unum sive primum situs alterius sive secundi expendatur, erit secundus à primo situs in plaga cardinali ortus vel occasus. Et secundus ad omnia interjecta loca situs erit in eadem plaga cardinali: Sive, Duorum locorum in Æquatore jacentium unus ab altero & ab omnibus intermediis punctis situs est versus eandem plagam Orientis vel Occidentis.

Ad faciliorem intelligentiam assumatur quilibet locus in Æquatore, & ita constituatur, ut Horizon ligneus fiat illius Horizon, hoc est ut poli Telluris sint in ipso Horizonte. Deinde assumatur secundus locus in Æquatore, cujus situm sive plagam ad primum consideramus. Manifestum est, quod plaga sit cardinalis Orientalis vel Occi-

dentalis. Est enim Æquator ipse verticalis, qui à primo loco ducitur per secundum locum perpendicularis in Horizontem, & lineam meridianam ad angulos rectos secat. Idem autem verum est de omnibus interjectis punctis, quæ si adducantur ad meridianum æneum, erit Horizon ligneus ipsorum Horizon, & Æquator erit verticalis eorum primarius, qui meridianam lineam ad angulos rectos secat, & per secundum locum transit. Erit itaque hic secundus ad omnia illa interjecta puncta situs in una eademque plaga cardinali Orientis vel Occidentis.

Propositio III.

Si secundus locus cum primo non sit situs in uno eodemque meridiano, neque ambo sint in Æquatore, non erit secundus locus ad primum & omnia puncta intermedia, situs in una eademque plaga, sed in diversis plagis ad diversa puncta.

Ex hac propositione dependet Originis linearum, quam navis describit, cognitio, ideo opera danda lectoribus, ut eam bene intelligant & capiant.

Assumantur in globo quælibet duo loca, quæ neque ambo in æquatore neque in uno meridiano jaceant (in hisce enim duabus situs speciebus non variatur loci secundi plaga ad loca intermedia) ex. gr. Amstelodamum pro primo assumatur sive unde iter instituendum vel navigatio, & Pernambucco Brasiliæ pro secundo, sive ad quem navigatio instituitur. Adducatur itaque Amstelodamum ad æneum meridianum, & polus elevetur pro illius latitudine (sic enim Horizon ligneus repræsentat illius Horizontem), quadrans affigatur vertici & applicetur ad Pernambuccum, monstrabit in Horizonte plagam, in qua Pernambuccum jacet ab Amstelodamo. Et arcus inter duo hæc loca inter-

terjectus exhibet in globo puncta intermedia. Ostendendum est, quod plagæ, in quibus Pernambuccum jacet à singulis hisce punctis, non sint eædem sed diversæ omnes, sive quod à singulis hisce intermediis locis Pernambuccum non jaceat versus unam eandemque plagam.

Ad hujus intelligentiam repetendum est ex antecedenti doctrina quod plagam alterius loci ab uno aliquo assumto indicet angulus quem facit hujus assumti loci meridianus cum verticali per alterum locum transeunte, sive arcus Horizontis interceptus inter meridianum & verticalem hunc sicut plagam Pernambucci ab Amstelodamo indicat angulus, quem facit quadrans cum meridiano æneo (qui est ipsius Amstelodami).

Ad probandam itaque propositionis veritatem assumantur inter Amstelodamum & Pernambuccum in arcu quadranti subjecto puncta quotvis, & per ea concipiantur transeuntes meridiani; præstat assumere illa puncta, per quæ in Globo transeunt meridiani (sive circuli longitudinum). Quoniam itaque quadrans per singula hæc loca & ipsum Pernambuccum transit, denotabit vel repræsentabit singulorum locorum verticalem eum, in quo Pernambuccum jacet ab illis, ideoque anguli, quos facit cum singulorum locorum meridianis, sunt anguli positionis, & indicant plagas, in quibus, vel versus quas Pernambuccum jacet à singulis locis intermediis. Isti vero anguli sunt inæquales, sive diversæ magnitudinis. Itaque plagæ quoque, versus quas à locis illis Pernambuccum jacet, sunt diversæ. Quod vero anguli isti sint inæquales, patet ex ipso aspectu, vel manifestius, si intervallo circini quovis describas arcus è punctis singulis, & arcus hosce inter meridianos singulos & verticalem interceptos metiaris: vel si confectum habeamus seorsim portionem curvam quæ aptari possit

ſuperficiei Globi: Vel ſi ipſa loca adducantur ad æneum meridianum & polus pro eorum latitudine elevetur, quadrans vertici applicetur & ad Pernambuccum, atque in eo ſitu numerentur arcus Horizontis gradus.

Corollarium. Magno itaque vitio laborant Mappæ ſive chartæ rectilineæ & nauticæ, quæ loca ita repræſentant, ut ſi aſſumantur duo loca quælibet, ad quorum unum ſitus ſeu plaga alterius expendatur, alter hic à locis intermediis in una eademque plaga eſſe videatur, quod tamen falſum eſt. Cauſa vitii eſt, quod meridianos exhibent parallelos, qui tamen in polis coëunt: Verum nautæ non curant hoc vitium, ſi modo loxodromiam vel plagam quam in navigatione ab uno loco ad alterum obſervare debent, referant.

Propositio IV.

Si ex uno loco Telluris in alium (quæ duo loca non ſint in uno meridiano, neque ambo in Æquatore) *inſtituendum ſit iter vel navis dirigenda & ducenda per viam breviſſimam, ſive hoc pacto, ut nunquam recedatur ab arcu verticalis interjecto, in tali itinere vel via ſingulis momentis mutatur plaga vel alia atque alia fit plaga, in quam iter vel navis dirigitur vel dirigenda eſt.*

Hæc propoſitio manifeſta eſt ex præcedenti. Sit enim ab Amſtelodamo ad Pernambuccum iter inſtituendum per viam breviſſimam, hoc eſt per arcum quadrantis affixi ad Amſtelodamum & tranſeuntis per Pernambuccum. Quoniam itaque in toto itinere ubique ſive in ſingulis punctis dirigitur iter vel navis verſus Pernambuccum, & vero in præcedenti oſtenſum eſt, quod diverſæ ſint plagæ, verſus quas ab illis mediis punctis jacet Pernambuccum, ideo manifeſtum eſt, quod alia atque alia ſingulis momentis vel in ſingulis punctis

fiat

fiat plaga, in quas iter dirigitur, vel dirigendum est ut Pernambuccum respiciat.

Si vero loca sita sint in uno meridiano, vel si ambo sint in Æquatore, alia est ratio. In illis enim manet eadem itineris plaga Septentrionis vel Austri: in hisce plaga cardinalis Orientis vel Occidentis.

Propositio V.

Non potest institui navigatio vel navis ita dirigi, ut singulis momentis in alias atque alias plagas tendat, sed per aliquod ad minimum tempus dum movetur, in unam eandemque specie plagam tendit. Itaque dum ab uno loco ad alium navigandum est, talis via (ex infinitis) vel linea via commodissima est, cujus bina vicina quaque puncta sita sunt in una eademque specie plaga, etsi via hæc brevissima non sit.

Etenim in momento nullus fit motus, sed omnis in tempore: itaque neque navis singulis momentis ex una plaga in aliam tendere potest, sed dum movetur, per aliquod saltem tempus versus eam tendit. Præterea nullo modo fieri posset, ut nautæ sciant plagas, in quas dirigenda esset navis, si toties plaga alia esset assumenda. Itaque manifestum est, illam viam inter duo loca esse pro navigatione commodissimam, cujus bina vicina quæque puncta sita sunt in una eadem que plaga, ut ita navis continue in unam plagam dirigi possit, & tali directione ad locum destinatum pervenire: Hoc itaque supposito, inquiramus, qualis via inde existat pro navis motu, quæ quidem via, si loca sita sint in uno meridiano, erit ipsius meridiani pars: Si in Æquatore, erit ipsius Æquatoris portio via illa, si in uno parallelo, hujus parallelli portio, si vero in alio circulo præter hosce, erit via illa alia linea, non ille circulus, ut in sequentibus ostendemus.

PROPOSITIO VI.

Si navigatio instituatur, vel navis continue dirigatur ad plagam Septentrionalem vel Australem (hoc est, si locus à quo & locus ad quem sint in uno Meridiano), *erit linea motus navis ipsius meridiani portio.*

Probatur ex propositione prima hujus capitis. Etenim locus, qui petitur, ad omnia intermedia loca, hoc est ad puncta arcus meridiani, situs est in una & eadem Septentrionis vel Austri plaga, ut ibi dictum. Atqui, per præcedentem propositionem, talis via à loco ad locum pro navigatione commoda est & eligenda, cujus bina vicina quæque puncta sita sunt in una eademque plaga. Quare, cum arcus Meridiani talis via sit, erit ille via sive linea motus navis, quam nempe navis motu suo describet, dum continue dirigitur ad Septentrionem vel Austrum.

PROPOSITIO VII.

Si navigatio ab aliquo loco in Æquatore sito instituatur versus plagam Orientalem vel Occidentalem (*hoc est, si navis à loco in Æquatore mota continue dirigatur versus cardinem Orientalem vel Occidentalem*), *erit linea motus, portio ipsius Æquatoris.*

Ostendimus in secunda propositione, si assumantur duo loca in æquatore, primus, à quo, secundus ad quem iter instituitur, quod secundus ab omnibus interjectis punctis, hoc est, punctis arcûs ipsius Æquatoris, situs sit in una eademque plaga Orientali vel Occidentali. Quoniam itaque in hasce plagas navis continue dirigitur, erit arcus Æquatoris interjectus inter duo loca via motûs navis. Et quoniam in v propositione supposuimus, talem viam inter duo loca pro navigatione eli-

eligendam esse & commodam, cujus nempe bina quæque vicina puncta sint sita in una eademque plaga, erit talis portio illa Æquatoris pro via motûs navis eligenda.

PROPOSITIO VIII.

Si navigatio ab aliquo loco extra Æquatorem sito institutatur versus plagam Orientalem vel Occidentalem, ita ut navis continue dirigatur in alterutrum ex istis cardinibus, erit linea motus navis non peripheria verticalis circuli, sed parallelus Æquatoris nempe circuli latitudinis loci, à quo navigatio institutur.

Quoniam enim navis, dum ab uno meridiano tendit ad vicinum, supponitur eandem respicere plagam, non manebit in verticali, sed statim in vicini meridiani punctum aliud, quod nempe sit punctum paralleli Æquatoris sive circuli latitudinis loci, unde discessum est. Hujus enim circuli singula puncta talia sunt, ut ductæ ad ea tangentes circuli istius respiciant cardinem ortus atque occasus singulorum istorum punctorum. Propterea carina navis, quoniam continue supponitur dirigi versus istos cardines, tanget continue parallelum hunc in aliquo puncto. Vel, quoniam hujus paralleli bina quæque vicina puncta talia sunt, ut unum ab altero sit situm versus unam eandemque plagam ortus vel occasus, atque navis in hanc plagam dirigi supponitur continue, neque est alia linea in Globo, cujus puncta ita se habeant, ideo sequitur, quod via navis motûs sit parallelus iste latitudinis loci.

COROLLARIUM. Ex tribus præcedentibus propositionibus colligimus, si navigatio à quovis Telluris loco instituatur, vel navis continue dirigatur versus plagam aliquam cardinalem, viam navis fore circularem.

Propositio IX.

Si navigatio instituenda sit ab uno loco ad alterum in eodem parallelo vel circulo latitudinis situm, erit via navis portio paralleli istius, etsi hæc non sit brevissima.

Etenim illa linea pro navigationis via eligitur, per quam ad locum destinatum pervenitur dirigendo continue navem versus unam eandemque plagam, sive cujus lineæ bina vicina quæque puncta sita sint in una eademque plaga. Atqui paralleli circuli bina vicina quæque puncta talia sunt. Quare portio paralleli erit via motus navis.

Corollarium. Triplex itaque situs est locorum, à quorum uno ad alterum cum instituitur navigatio, via navigationis est peripheria circuli; nimirum. 1. Si ambo loca in uno meridiano fuerint. 2. Si ambo in Æquatore. 3. Si ambo in uno parallelo vel circulo latitudinis. In duobus prioribus situs speciebus eadem est via vel linea navigationis cum distantia vel via brevissima: Sed in tertio situ via navigationis diversa est à via brevissima. Hæc enim est arcus circuli maximi inter duo loca interjectus. In alio quovis locorum situ via navigationis non potest esse peripheria circuli, ut dicemus in propositione sequenti.

Propositio X.

Si navigatio instituatur à quovis Telluris loco versus plagam quamlibet non Cardinalem, ita ut navis continue in illam plagam dirigatur, via motus hujus navis non est circularis, neque alia curva in seipsam recurrens, sed linea curva solida helici similis & Tellurem infinitis gyris atque flexibus ambiens.

Concipiamus navem ex aliquo loco solvere. Postquam illa in vicinum meridianum punctum pervenit, dirigitur versus sequentis sive proximi me-

meridiani punctum illud, quod ad prius punctum in eadem situm est plaga, in qua prius hoc ad locum primum, atque ita porro in sequentibus meridianis. Hæc autem puncta meridianorum omnium non faciunt peripheriam circuli, sed curvam solidam helicoidem. Distincta hujus rei explicatio facilius ex ostensione in Globo facta, quam multis verbis haberi potest.

Definitio. Loxodromia dicitur via sive linea motûs, quam navis describit, dum à loco aliquo Telluris movetur continue versus plagam unam non cardinalem.

Hæc est nominalis definitio: essentialis vero hujus lineæ definitio, hoc est ipsius naturæ & proprietatum cognitio difficillima est. Neque enim helix est, ut multi putant, neque à magnetis aliqua proprietate dependet, qui illam existere inde dicunt, quod navis sequatur ductum Magnetis, neque composita est ex multarum peripheriarum particulis minutis, ut Nonnius ponit (quod vel ex parallelis circulis manifestum est, qui eodem modo fiunt à motu navis, sicut Loxodromiæ) neque etiam Snelli explicatio plana est, qui dicit quod Loxodromia sit linea ἑλικοειδὴς, in terreni Globi superficie, quam ubique contingens recta linea cum omnibus meridianis per contactus ea puncta eductis æquales angulos comprehendit. Non enim explicat Snellius, quomodo concipi debeat talis tangens vel quomodo ducenda sit: & proprie loquendo Loxodromia non habet tangentes rectas lineas, quia est linea solida, cum tangentes ad curvum planas lineas tantum ducantur: in lineis quippe solidis ad quælibet puncta infinitæ tangentes possunt duci. Præterea aliis quoque linearum ductibus convenit ea definitio, cum ad quodvis cujusvis meridiani punctum talis tangens & ducta à vicino Meridiano linea curva concipi possit.

Nostra

Nostra definitio etiam ita potest proponi : *Loxodromia dicitur linea curva Tellurem multis gyris ambiens, cujus quodlibet punctum ab omnibus aliis ejus punctis jacet in una eademque specie plagæ : sive, in quâ si sumantur duo puncta, unum punctum ab altero & omnibus intermediis punctis in una plaga jacet : sive à cujus quovis puncto si ducantur circulares arcus ad omnia reliqua puncta, hi arcus faciunt angulos æquales cum Meridianis, qui per singula puncta hæc transeunt. Hæc definitio est essentialis.*

Propositio XI.

Si navigatio instituatur à loco aliquo versus alium, qui non in eodem meridiano nec Æquatore, nec parallelo cum priori sit situs, & in tota navigatione dirigatur navis continue in eam plagam, in qua locus designatus situs est à loco discessus, nunquam per istam navigationem pervenietur ad locum designatum sed continue magis magisque ab eo navis removebitur.

Hæc insignis proprietas navigationis magno fuit miraculo nautis, cum primo animadversa esset, quod priori seculo ætate Petri Nonnii Lusitani Mathematici contigit. Ad hunc enim accessit peritus quidam nauclerus, qui cum in Oceano navigasset, & aliquoties, ea loca aditurus, quæ versus ortum vel occasum jacebant, eam navem direxisset continue in talem plagam, nunquam tamen ad destinatum locum pervenerat, sed in eodem parallelo vel etiam aliâ viâ motum navis factum fuisse observaverat. Petiit itaque à Nonnio, ut causam hujus mirabilis phænomeni explicaret. Hæc fuit prima occasio & origo hujus contemplationis. Nonnius enim non multo post duos de hac materia libros edidit : deinde plurimi Mathematici in hoc negotio sive in hac curva linea explicanda laboraruntt : denique nautæ eam

ad

ad usum nauticum necessariam deprehenderunt: inde Tabulæ constructæ, de quibus postea.

Cæterum causa hujus phænomeni est, quod navis continue directa in eam plagam, in qua locus secundus à primo situs est, non manet in peripheria inter hæc loca intercepta, sed dum ad unum punctum pervenit, quia hic novus est Horizon & alia plaga assumti cursus extensio, atque hoc continue in sequentibus punctis fit, inde existit linea curva helicoïdes, in qua dum movetur navis, continue magis magisque alicubi removetur à loco destinato, alicubi propius accedit.

Propositio XII.

1. *Quando navigatio instituenda est ab uno loco ad alterum in eodem meridiano situm vel versus plagam Septentrionis & Austri, dirigenda est navis continue in hanc plagam Septentrionis vel Austri, sive, eligendus est meridianus pro via navis, & pervenietur ad locum alterum.*

2. Quando navigatio instituenda est ab uno loco ad alterum, & sint ambo in Æquatore, dirigenda erit navis in eam plagam, in qua alter à primo jacet, hoc est in plagam Orientis vel Occidentis, sive Æquatoris linea assumenda est pro via navis.

3. Quando navigatio instituenda est ab uno loco in alterum, & sint ambo in uno parallelo Æquatoris sita, non est dirigenda navis in eam plagam, in qua alter hic à primo jacet, sive quæ à primo ad alterum extenditur, nunquam enim ad alterum locum perveniret navis, sed infinitis gyris circa Tellurem versus polos circumiret: verum directio continue facienda est in plagam Orientis vel Occidentis: In hanc enim dum tendit navis, describit motu suo parallelum Æquatoris, & sic ad locum alterum pervenit.

4. Quan-

4. Quando navigatio instituenda est ab uno loco in alterum, quæ neque in uno meridiano, neque ambo in Æquatore, neque in uno parallelo Æquatoris sint, non est dirigenda navis in eam plagam, in qua alter locus à primo jacet, nunquam enim ad locum alterum perveniretur, sed motus navis describeret Loxodromiam quæ non transiret per alterum locum: verum directio instituenda est in eam plagam, in quam dum movetur navis, describit Loxodromiam, quæ per alterum locum transeat, sive in eam plagam, cujus angulus cum meridiano æqualis est inclinationi Loxodromiæ, quæ per duo illa loca transit.

Hæc omnia ex præcedentibus Propositionibus sequuntur.

Propositio XIII.

Loxodromiæ à quolibet Telluris loco infinitæ prodeunt sive concipi possunt, sicut infiniti verticales, sed numerantur tantum viginti octo circumcirca quemlibet locum, nimirum septem in quadrante inter loci meridianum & loci parallelum, ita ut angulum illum rectum dividant in octo æquales partes atque æquali angulo vicini bini distent. Ipse tamen parallelus dicitur octava Loxodromia.

Appellantur autem eisdem nominibus quibus venti seu plagæ. In globis ex centro compassorum, vel etiam aliis meridianorum punctis, prodire & circa Tellurem circumvolvi conspiciuntur.

Cæterum in usu nautico Loxodromiæ intermediæ denominantur per distantiam à vicinis Loxodromiis, ex. gr. tertiâ parte vel unâ quartâ magis borealis, magis orientalis, &c.

Propositio XIV.

Loxodromia inter duo loca intercepta est fere vel ad sensum æqualis hypotenusæ Trianguli plani rectangu-

dianguli, cujus una cathetus æqualis est differentiæ latitudinis duorum illorum locorum, altera cathetus æqualis est differentiæ longitudinis locorum sumtæ in parallelo, qui medius est inter parallelos locorum illorum.

Vocantur talia Triangula Loxodromica. Sumenda autem sunt pro accurato calculo loca admodum vicina, ut exigua portio interjaceat, nimirum loca, quorum differentia latitudinis est tantum unius scrupuli.

Corollarium. Licet itaque viam Loxodromiæ supputare ab uno loco ad alterum, & quidem beneficio sequentis Propositionis.

Propositio XV.

Partes Loxodromiæ unius interceptæ inter parallelos æquali intervallo distantes, sunt æquales.

Triangula itaque Loxodromica parva, plurima concipiuntur singulis in Loxodromiis, quorum unius Loxodromia si supputetur, habetur quantitas Loxodromiæ ab uno loco in alium, cujus latitudo nota sit.

Propositio XVI.

Data duorum locorum latitudine & longitudinis differentia invenire Loxodromiam, quâ ab uno loco ad alterum navigatur. Vel, Datis in globo vel Mappa nautica duobus locis invenire plagam, in quam navis dirigenda est, ut ex uno loco ad alterum deducatur.

Hoc est præcipuum vel unicum potius problema totius artis Nauticæ, ad quod omnia reliqua referuntur. Si nulla sit differentia latitudinis, non erit via navis Loxodromia, sed parallelus istorum locorum, qui tamen communiter dicitur octava Loxodromia, quoniam eodem modo, ac reliquæ Loxodromiæ, generatur per motum navis, quæ ad

car-

cardinem Orientalem vel Occidentalem dirigitur. Si itaque nulla sit differentia latitudinis, dicunt quod octava Loxodromia assumi debeat, & navem dirigendam esse ad cardinem Orientalem vel Occidentalem in tota navigatione. Etsi enim non dirigatur ad locum destinatum, tamen per istam falsam directionem ad locum deducetur navis.

Si nulla est differentia longitudinis, non erit via navis Loxodromica sed portio Meridiani, in quo loca ambo jacent, & assumitur plaga Septentrionis vel Austri pro directione navis.

Si vero loca data sint differentis latitudinis & longitudinis, & per globum operari placeat, notentur in meridiano æneo datæ latitudines, & si quidem unius latitudinis parallelus habeat in se centrum alicujus compassi, sive ex quo eductæ sunt Loxodromicæ, in globo adducatur hoc ad meridianum sub notato latitudinis gradu: deinde volvatur globus, donec tot gradus Æquatoris transeant per meridianum, quot sunt in longitudinis differentia; & observetur tunc, cujus loxodromiæ ex centro illo eductæ punctum aliquod sit sub altero meridiani notato puncto. Ea loxodromia est quæsita, & indicat in quam plagam dirigenda sit navis ut ex dato loco in datum locum perveniatur: Si nullius loxodromiæ punctum sit sub notato meridiani puncto, loxodromia inter duas vicinas illi puncto intermedia est assumenda.

Si vero in neutro latitudinis parallelo inveniatur centrum alicujus compassi, è quo loxodromiæ sint eductæ, eligatur aliqua loxodromia, quæ quæsitæ propinqua esse videatur, atque adducatur ad unum notatæ latitudinis sive meridiani punctum, & volvatur globus, ut prius, donec longitudinis differentia transeat per meridianum. Hoc facto, si assumtæ loxodromiæ punctum aliquod sit sub al-

tero

tero notato meridiani puncto, erit assumta loxodromia ea, quæ quæritur. Si non tale punctum deprehendatur, alia loxodromia est assumenda, atque ut prius agendum, donec talis inveniatur, cujus aliquod punctum deprehendatur, sub notato altero meridiani puncto, vel saltem non longo ab illo removeatur intervallo, eritque loxodromia denominanda à vicinis, inter quas quasi media concipienda est.

In mappis nauticis fit illud hoc modo, sicut unius loci plaga ab alio invenitur, quæ methodus in mappis æqualium latitudinis graduum vitiosa est, in mappis vero inæqualium graduum latitudinis monstrat satis accurate loxodromiam sive plagam in quam navis dirigenda est.

Habent etiam nautæ aliam methodum satis facilem, quâ per solutionem Trianguli plani rectanguli invenitur loxodromia sive navigationis plaga: sed ad illam methodum utuntur Tabulâ, quam vocant crescentis latitudinis, de qua diximus capite XXXII.

CAPUT XL.

De præcipuo Artis Nauticæ problemate, nempe de inveniendo loco in Mappis, ad quem in navigatione facta per aliquod tempus perventum est, sive de invenienda loci istius longitudine & latitudine.

PROPOSITIO I.

NOn potest cognosci plaga, in quam navis dirigenda sit, ut ad destinatum locum perveniat, nisi notus sit locus, in quo navis ad illud tempus constituta est.

Dixi-

Diximus in præcedenti capite, quod præcipuum artis nauticæ problema sit de invenienda plaga, in quam navis dirigenda est. Illam vero inveniri non posse, nisi sciatur locus, ex quo navis dirigenda est, manifestum est. Ideo problematis de loco illo inveniendo solutio est necessaria, imo problema de invenienda plaga reducitur ad hoc.

Propositio II.

Locum, ad quem navis ad quodvis navigationis tempus pervenit, invenire in mappis.

Hoc est illud opus, quod Belgæ vocant, *het besteck in de Pas-kaert*. Singulis enim diebus locum mappæ, ad quem existimant navem pervenisse, notant acicula, ut hac ratione sciant, in quo Telluris loco versentur, & quam in plagam sit navis dirigenda. Utuntur autem triplici methodo ad hoc negotium, prout hoc vel illud rectius observatum esse supponunt.

1. Observatio Rhombo in quo navis directa fuit à loco prioris diei vel loco in mappis dato, sive Rhombo, in quo mota fuit navis & observatâ quantitate confecti interea itineris. Hisce duobus cognitis invenitur locus navis in mappa ita: Sumatur norma, & unum ejus crus applicetur ad locum prioris diei vel unde discessit navis, alterum crus applicetur lineæ vicinæ, quæ plagam observatam vel cursum repræsentat: notetur cretâ punctum cruris, quod loco discessus imminet. Deinde intervallo circini sumantur ex opposita scala confecti itineris milliaria, & pes unus circini imponatur loco discessus, norma vero moveatur in linea plagæ donec alter pes circini attingat notatum normæ punctum. Locus mappæ, qui subjectus est illi puncto in eo situ normæ est quæsitus, in quo nempe navis tunc versatur.

Nau-

Naucleri sine norma duobus circinis problema expediunt.

Cæterum, si punctum in mappa accuratius per calculum invenire vel ipsum navis locum in Tellure determinate velis, problema erit hoc: Data unius loci longitudine & latitudine, & datâ plagâ, in qua ad alterum locum navigatum est, cum confecto itinere, invenire hujus alterius loci longitudinem & latitudinem. Hisce enim inventis, licet accuratius in mappa notare locum navis.

2. Observatâ plagâ, in qua ab uno loco noto ad alterum ignotum navigatum est, & observatâ hujus alterius latitudine sive elevatione poli; invenire hujus alterius situm in mappa.

Applicetur rursus unum crus normæ ad plagam observatam loco vicinam, & alterum crus imponatur loco noto (sive unde instituta est navigatio) fiatque ibi in crure signum creta. Deinde moveatur crus plagæ applicatum, donec notatum alterius cruris punctum incidat in parallelum observatæ latitudinis. Punctum enim incidentiæ est locus quæsitus, nempe locus navis. Si in mappa non sit parallelus latitudinis observatæ, sumantur intervallo circini in laterali linea gradus inter hanc latitudinem & vicinum parallelum intercepti, atque simul norma in linea plagæ, & circini pes unus in parallelo isto moveatur, donec alter circini pes & notatum cruris punctum conveniant. Punctum congressus indicat locum navis. Nautæ utuntur duobus circinis.

Si accuratius determinare velis per calculum quæsiti loci in mappa vel Tellure ipsa, problema est hoc: Datâ unius loci longitudine & latitudine, & plagâ, in qua ad alterum est instituta navigatio, atque hujus alterius datâ latitudine, invenire hujus longitudinem. Etenim longitudine & latitudine datâ, datur ipse locus.

3. Ob

3. Obſervatâ quantitate confecti itineris ab uno loco noto ad alterum ignotum, & obſervatâ hujus alterius latitudine, invenire hunc alterum in mappis.

Sumatur circini intervallo quantitas confecti itineris ex appoſita ſcala. Deinde ſi per latitudinis obſervatæ gradum in mappa tranſeat parallelus, ponatur unus pes circini in locum notum, alter pes in iſtum parallelum. Punctum hoc erit locus quæſitus. Si vero per latitudinis gradum non tranſeat parallelus, applicetur normæ crus unum vicino parallelo, in altero crure notetur gradus latitudinis, & moveatur norma, donec pes alter circini attingat notatum normæ punctum. Locus mappæ ſubjectus puncto illi in hoc ſitu erit quæſitus locus navis.

Si accuratam magis per calculum inventionem cupias, problema erit hoc: Datâ unius loci longitudine & latitudine, & alterius diſtantia in linea navigationis, atque hujus latitudine, invenire hujus alterius longitudinem. Cognita enim hac, cum latitudo obſervata ſit, habetur ipſius loci ſitus in mappis & Tellure.

Quarta etiam methodus & quinta inveniendi iſtius loci datur, nempe in quibus alterius ſive quæſiti loci longitudo obſervata eſſe ſupponitur, ignota autem latitudo. Verum, quoniam raro licet in mari obſervare longitudinem, ideo methodus hæc tanquam inutilis omittitur. Qui plura hac de re cupit, legat Snellium, Stevinum, Metium & alios, qui prolixe hæc tractarunt.

Propositio III.

In quam plagam navis moveatur, & in quo Rhombo, conjicere, etſi fallacia ſint indicia.

In ſolutionibus prioris Propoſitionis pro inveniendo loco navis aſſumta fuerunt tanquam nota

nota vel observata. 1. Plaga, in quam navis mota fuit, & rhombus, in quo. 2. Confecta via. 3. Latitudo loci, in quem perventum est. Jam itaque docendum est, quomodo hæc tria in mari observentur, ut ad inventionem loci adhiberi possint. Si enim hæc non recte observata vel nota sint, neque ipse locus verus invenietur, sed falsus. Primo de plaga cursus navis videamus & rhombo.

Cognoscunt illam naucleri ex compasso nautico seu magnetico. Quæ enim compassi plaga seu rhombus congruit cum linea conceptæ longitudinis navis, eam in plagam navis moveri ponitur, atque ejus rhombum describere. Rarius utuntur indicio à plaga apparentis ortus vel occasus Solis desumto, quem supputant.

Possunt indicia hæc à variis causis corrumpi, ita ut fallant in indicando rhombo & plaga. 1. Si incerta sit acus magneticæ declinatio in illo loco, atque ideo compassi plagæ non indicent veras plagas. 2. Si mare in illo loco fluxum habeat in certam plagam. Abripiet enim navem è rhombo vero, etsi navis in eandem plagam dirigatur. Fluxus & refluxus est frequens causa hujus erroris, & in multis Zonæ Torridæ locis viget motus generalis & perpetuus, in plurimis locis status à ventis statis. 3. Venti, inprimis procellæ, navem è rhombo itineris removent, etsi in eadem plaga tendat. 4. Fluctus maris, qui versus aliquam plagam feruntur, & navem secum ducunt. 5. Non potest gubernaculum, quo navis dirigitur in plagam quamlibet, moveri à nauclero sicut debebat fieri, obstantibus & renitentibus fluctibus maris.

Hæc omnia faciunt ut navis non removeatur in eo rhombo, cujus plagas indicat compassus; Quantum autem seducatur ab illo, conjecturâ ex vehementia fluxus maris & plagæ ejus, &c. addiscendum est, sed imperfecta admodum est methodus.

PROPOSITIO IV.

Confectum iter navis in Rhombo conjicere, metiri vel addiscere ad datum tempus à dato loco.

Illud nauclerí conjiciunt vel conjecturâ colligunt. 1. Quando observant vel experientiâ sciunt, quantum iter navis tali vento & celeritate conficere soleat. 2. Si in eodem meridiano vel linea vicina navigaverint cum vento aliquo, & observaverint latitudinem loci initio hujus motus & latitudinem loci in sequenti tempore. Differentia enim latitudinum in milliaria conversa indicat confectum iter pro tanto tempore & tali vento. Unde pro dato quovis tempore & tali vento manente colligitur confectum iter. 3. Majori industriâ confectum iter mensurant vel colligunt per naviculam & filum: cujus una extremitas alligata est naviculæ, altera cum globo est in navi ipsa. Etenim immotâ navi conceditur naviculæ navigatio, donec decem vel duodecim fili orgyis remota sit, & observatur tempus interea elapsum. Ex hoc pro quantovis tempore invenitur navis confectum iter.

Hæc indicia confecti itineris multis quoque à causis corrumpuntur vel incerta redduntur, imo ex seipsis incerta sunt, cum meræ sint conjecturæ. 1. Sæpe navis minorem vel majorem viam confecit, quam conjectura præbet, nempe quia in plerisque maris locis fluxus est in certam plagam, vel fluctus volvuntur in aliquam plagam. Si itaque navis in eandem plagam ditigatur, major erit confecta via, quam conjectura præbet; sin in contrarium, minor. 2. quia navis ab aliis causis in alias plagas abripitur, & sic per ambages pervenit ad alium locum. 3. Venti variis modis mutantur. 4. Quo navis majorem altitudinem habet, eo tardior videtur ejus motus, etsi tardior non sit.

PRO-

Propositio V.

Latitudinem loci, ad quem perventum est, observare.

Observant illam nauclerí de cælo per Solem die, & stellas nocte, sicut capite XXIII monstravimus. Instrumentis utuntur tribus, Astrolabio, Radio, & Triangulo.

Hujus observatio etsi minus errori obnoxia sit & minus conjecturalis, quam priorum duarum, nempe rhombi motæ navis & confecti itineris, tamen non raro vitiosa invenitur. 1. quia agitatio navis impedit observationem. 2. quia oculus non recte applicatur instrumentis. 3. quia refractio negligitur.

Propositio VI.

Ex hisce constat, methodos quibus nautæ utuntur ad inveniendum locum in mappis, ad quem pervenerunt, esse fallaces, quoniam neque de rhombo & plaga itineris, neque de quantitate confecti itineris, neque de observata latitudine loci possunt esse certi: latitudinis tamen loci, ad quem perventum est, observatio, quia conjecturalis non est & minus errori obnoxia, præsertim aëre & mari tranquillo, potest ab illa fallacia eximi.

Ex illa vero sola non invenitur locus ipse in mappa vel tellure, sed (ut satis superque dictum est capite XXX) requiritur secundum, nempe vel distantia ab altero dato loco (confectum iter), vel plaga aut rhombus, quo ex dato loco ad illum navigatur, vel denique longitudo loci illius ab hoc. Incertam esse diximus confecti itineris sive distantiæ observationem, sicut etiam plagarum & rhomborum. Ideo ad inveniendam longitudinem loci illius recurritur. Cognita enim loci longitudine & latitudine (cujus inventionem do-

euimus) invenitur ipse locus in mappis & determinatur in Telluris globo.

Ex quo manifestum est, Artem nauticam ad perfectionem suam requirere solutionem illius Problematis: *Invenire loci, in quo versamur, longitudinem ad quodvis tempus vel quolibet die.* Palma in medio posita est; rapiat, qui potest.

FINIS.

mi-

per-
fro-
nem
dio-